
LATELIUS
YNOPSIS
OLOGIAE
T. V


J. PLATELI
SYNOPSI
8
27 - A
41

R. P. JACOBI PLATELIJ

è SOCIETATE JESU

SS. Theolog. in Universitate Duacena Professoris

SYNOPSIS

TOTIUS CURSUS THEOLOGICI

Pars postrema & posthuma

DE SACRAMENTIS

ad mentem Authoris elaborata, & in multis aucta.

Omnem Theologiæ Moralis & Practicæ, nova convincendi methodo, miraque addiscendi & retinendi facilitate nucleum administrans:

ACPRÆTEREA EIUSDEM

Synopsios ad expeditiorem utentium commoditatem breviori Synopsi, vel Compendio locupletata, & plurimorum desiderio expetita.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SEBASTIANUM KETTELER 1694
Sumptibus Andreæ Poleti.
CUM PRIVILEGIO.

APPROBATIO

Amplissimorum & Eximiorum Dominorum Doctorum ac Professorum Universitatis Duacenæ.

Coronidem ex omnium votis optatissimam Synopsi cursus Theologici R. P. JACOBI PLATELII tandem imposuit R. P. FRANCISCUS DE VOURMESTRAUX ejusdem cum eo Societatis. Nec ulli alteri id melius committi poterat, quippe & stilum, & claram solidamque Magistri sui doctrinam in suis additamentis ita expressit, ut unum utriusque ingenium esse diceres. Cum igitur pars hæc postrema & posthuma in nullo cedat prioribus, quas cum Eximiis Dominis. *Jacobo Randour*, & *Petro De Lalaing*, olim in hac Universitate S. Theologiæ Doctoribus ac Professoribus Regiis, nunc vita functis, ut par erat approbavimus, omnibusque perutiles judicavimus, non possumus enudem ei calculum denegare, præsertim cum materias hisce temporibus maximè controversas tam succinctè, ac dilucidè absque ullius offendiculo pertractet, ut nullus sit qui ex iis non ingentem gustum

per-

percipiat, fructumque faciat. Quare duplici titulo eam prælo dignissimam censemus. Datum Duaci, 11. Februarii, M. DC. LXXXIII.

MATTHIAS GERTMAN
SS. Th. D. & Professor Primarius.

HENRICUS DE CERF
SS. Th. D. & Regius Professor.

NICOLAUS DERREZ
SS. Th. D. & Regius Professor.

THEO

THEOLOGIÆ

PARS QVINTA.

DE SACRAMENTIS

CAPUT I.

Sacramenti in genere quidditas, effectus, & causalitas.

§. I.

Sacramenti in genere quidditas.

Diversa vocis sacramenti acceptio.

1 HÆc vox Sacramentum triplici sensu accipitur à Sacris Scriptoribus. 1. pro re occulta præsertim sacra; sic ut Sacramentum idem sit inquit S Thomas q.60. a. 1 ac sacrum Secretum; sic sumitur Sap. 2. dum dicitur, *nescierunt Sacramenta Dei*. Eodem sensu usurpatur ab Apostolo ad Ephes. 1. dum ait de Deo *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*. & 1. ad Tim. 3. vocat Incarnationem *magnum pietatis Sacramentum* 2. Pro signo rei sacræ occultæ. Sic sumitur ab eodem Apost ad Ephes. 5. dum de conjunctione viri cum fœmina in legitimo matrimonio dicit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia*, in quantum scilicet hæc conjunctio signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, 3. Pro signo aliquo sensibili nostræ sanctificationis; & in hoc sensu accipitur in hoc tractatu, fuitque olim

accepta à Tertull. Cyp. Amb. Hier. aliisque PP. apud Bell. lib. 1. de Sacram. c. 7. ex quo patet hanc Sacramenti acceptionem immeritò ut novam reprehendi à Lutheranis, Calvinistis, aliisque sectariis.

Sacramentum est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

2 Sacramentum in hoc postremo sensu generatim sumptum definitur a S. Tho. p. 3. q. 60. a. 2. aliisque communiter *signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines*: id est signum rei sacræ formaliter homines sanctificantis. Itaque ly sanctificans in ista definitione non refertur ad Sacramentum, sed ad rem sacram formaliter sanctificantem, videlicet gratiam cujus est signum.

Ex parte generis definiti subintelligenda sunt ea, quæ ad rationem sacramenti ex communi TT. sensu sunt requisita, nempe 1. ut signum sensibile, quia debet esse accommodatum hominibus; qui sensibus signa percipiunt 2. Vt sit signum ex institutione divina; quia, cum sit solius Dei, conferre gratiam, ut causæ principalis; ita illius est instituere signa, ejus collationem infallibiliter significantia. 3. Vt sit signum sacrum, id est res vel ceremonia sacra, tum ex parte institutoris, nempe Dei, & rei significatæ, quæ est gratia, tum ex parte sua, quatenus est ceremonia ad Dei cultum pertinens. 4. Vt sit signum permanens; quia iuxta Aug. l. 19. contra Faustum c. 11. Sacramenta sunt præcipuæ ceremoniæ, quibus populus Dei in unam religionem coalescit; & ab aliis distinguitur; ac proinde debent tamdiu perseverare, quamdiu perseverat forma religionis, propter quam instituta sunt.

Neque huic conditioni obstat, quod pleraque Sacramenta consistant in actione aliqua transeunti v. g. in ablutione, unctione &c. cum certa verborum formula, quæ est etiam aliquod transiens: quia sacramenta dicuntur permanentia; non quia singula in particulari permanent; sed quia simili semper ritu conferuntur secundum essentialia.

Non est de ratione Sacramenti in genere esse

3 Non est de ratione Sacramenti in genere esse signum practicum, seu factivum alicujus sanctitatis, quam significat, ita Vasq. Merat. Hurt. contra Suar. Bell. Amic. prob. 1. ex S. Th. parte 3. q. 60. a. 1. O. ubi ait:

ait; *Specialiter autem nunc loquimur de Sacramentis, secundum quod important habitudinem signi, & secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi*, & ad 1. *& ideo non oportet quod sacramentum semper importet causalitatem*.

signum practicum sanctitatis quam significat.

2 Quia Sacramenta vetera non fuerunt causa gratiæ sanctificantis quam principaliter significabant; & per cujus significationem constituebantur in esse signi sacramentalis; ut patet ex decreto Eugenii IV. in Conc. Florent. ubi habetur: *nova legis septem sunt Sacramenta: Baptismus &c. quæ multùm à sacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*.

4 Quod si prædicta definitio Sacramenti in genere paulò aliter explicetur, ita ut ly *sanctificans* referatur ad sacramentum; intelligaturque non de sanctitate aliqua determinata, vel perfecta, quæ fit per gratiam habitualem, quamque conferunt Sacramenta novæ legis: vel imperfecta seu legali consistente in externa aliqua consecratione, expiatione, aggregatione ad populum Dei &c. qualem conferebant sacramenta antiquæ legis: sed de sanctitate latius sumpta prout abstrahit à perfecta & imperfecta: tunc poterit admitti, quod ad rationem Sacramenti in genere etiam requiratur ut sit signum practicum seu effectivum sanctitatis, & huic sententiæ satis aperte favet S.Th. 1.2. q 102. a.4 ubi dicit Sacramenta consecrare suscipientem, & ibid. a.5. docet in veteri lege ea tantum fuisse sacramenta, per quæ conferebatur aliqua consecratio & in 4. dist. 1. q. 1. a. 1. quæst. 1 sic habet: *dicendum quod sacramentum secundum proprietatem vocabuli videtur importare sanctitatem active*: & lib. 5. sentent. q. 3. ad 5. *Sacramentum simpliciter est quod causat sanctitatem. Quod autem significat tantum, non est sacramentum nisi secundum quid, & ideo esse causam ponitur in definitione sacramenti*, id etiam suadet ratio; quia sacramenta instituta sunt ad sanctificationem hominum: est autem de ratione medii habere aliquam causalitatem respectu finis.

Potest tamen etiam affirmari bono sensu, favetque S. Thom. variis locis.

Dicitur univoce de sacramentis novæ & antiquæ legis.

5 Sacramentum in genere supra definitum dicitur univoce de novis & veteribus. Est S. Th. q. 60. a. 1. O. ubi tacite retractat contrarium, quod habet in 4. dist. 1. q. 1. a. 10. & colligitur ex Trid. sess. 7 can. 2. sacramenta vetera simpliciter vocante sacramenta; quod non faceret si tantum essent analogice & improprie sacramenta, idque facile intelligitur in sententia asserente ad rationem sacramenti in genere non requiri ut sit signum practicum seu effectivum sanctitatis; sed satis esse quod illam significet, quia tunc nihil impedit quominus in definitione sacramenti intelligatur sanctitas proprie dicta; quia verè commune est sacramentis novæ & antiquæ legis significare sanctitatem proprie dictam; cum hoc discrimine quod antiqua non causarent hanc sanctitatem: nova autem eam efficiant; sed hoc tenet se ex parte specificæ eorum differentiæ; ideoque non impedit quominus ratio generica significativa sanctitati proprie dictæ sic utriusque communis.

In sententia autem requirente ad rationem genericam sacramenti, ut sit signum practicum sanctitatis, difficilius est intelligere istam univocationem: quia tum in definitione accipienda erit sanctitas prout abstrahit a perfecta & imperfecta: non satis autem apparet quomodo detur ratio univoca sanctitati perfectæ & imperfectæ quare tunc ratio generica sacramenti videretur potius dicenda analoga sacramentis utriusque legis, quam univoca: neque hoc impediret quominus sacramenta antiquæ legis dicerentur simpliciter sacramenta, ita licet secundum multos ratio entis sit analoga respectu Dei & creaturæ: non definit tamen creatura dici simpliciter ens.

Definitiones genericæ sacramentorum novæ & antiquæ legis.

6 Sacramentum sumptum prout commune est solis sacramentis antiquæ legis, definiri potest signum sensibile & permanens, à Deo institutum ad significandam tantum veram sanctitatem. Prout autem commune est solis sacramentis novæ legis: signum sensibile & permanens à Deo institutum ad significandam & efficiendam veram sanctitatem. In sententia autem requirente ad rationem genericam sacramenti ut sit signum practicum, tunc sacramentum.

tum antiquæ legis definiendum esset signum sensibile permanens à Deo institutum ad efficiendam sanctitatem aliquam imperfectam, & insuper perfectam significandam, sive autem hæc, sive illa admittatur definitio, in ea semper distinguuntur sacramenta novæ legis à sacramentis antiquæ; quod illa non tantum significent sed etiam causent perfectam sanctitatem: hæc vero tantum significent.

7 Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma: patet cum ex August tract. 80. in Ioan. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: tum ex decreto Eugenii IV in Conc. Florent. dicente, *hæc omnia* (septem legis novæ sacramenta) *tribus perficiuntur rebus tanquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri &c*

Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma.

Dixi perficiuntur; non autem constant, ob Sacramentum Eucharistiæ, quod licet verbis etiam perficiatur, dum fit: non tamen constat verbis in facto esse, sed speciebus & corpore Christi: unde etiam permanet postquam verba consecratoria desierunt.

Dices: sacramentum pœnitentiæ videtur perfici solis verbis, videlicet confessione Pœnitentis, & absolutione sacerdotis: & Matrimonium ordinariè perficitur solis contrahentium verbis consensum exprimentibus: ergo &c. R. in utroque sacramento reperiri etiam aliquid præter verba, quod se habeat instar materiæ; in primo quidem internos actus pœnitentis, videlicet contritionem & propositum emendationis, qui fiunt sensibiles per ipsam confessionem, aut verba quibus exprimuntur. In 2. autem ipsa contrahentium corpora, quorum dominium in se invicem transferunt contrahentes. Quod si non verbis, sed scriptura aut nutibus consensum exprimerent ob impotentiam loquendi, ista signa consensus essent æquivalenter verba.

Id etiam verificatur de sacramentis pœnitentiæ & Matrimonii.

8 Dicuntur autem perfici rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, non quod duo habeant reipsa rationem veræ materiæ, & formæ, sed propter analogiam ad illa, in hoc sitam, quod, sicut in physicis materia est pars indeterminata &

indifferens ad quodlibet compositum, forma verò determinans ad hoc potius, quam illud; ita in sacramentis res secundum se, est quodpiam indeterminatum in ratione signi, & indifferens ad varias significationes: verba autem, quæ juxta Aug. in ratione significandi, principatum obtinent, determinant ad hanc potius significationem quam ad illam.

Aggregatum ex rebus & verbis habet se instar materiæ respectu significationis sacramentalis.

Neque obstat, quod aggregatum ex rebus, & verbis, consideratum prout substat significationi sacramentali, à qua superveniente constituitur in esse signi sacri, videatur habere rationem materiæ, atque ita verba ad materiam potius, quam ad formam pertineant. Potest enim idem diverso respectu habere rationem nunc materiæ, nunc formæ ut patet in ligno, quod conflatur intrinsece ex materia prima, & forma substantiali, cum tamen hoc totum habeat se instar materiæ respectu formæ artificialis v. g. statuæ, sedis &c.

Potest igitur sacramentum, sicut cætera arte facta, spectari dupliciter: primo per modum compositi physici, quomodo constat rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma. 2. per modum compositi artificialis: quo modo constat aggregato ex rebus, & verbis tamquam materia, & significatione sacramentali ex institutione Christi huic aggregato indivisibiliter imposita, tamquam forma; sic tamen ut in recto supponat pro constituto ex rebus, & verbis. Hinc significatio rectè dicitur forma totius, & forma partis videlicet verborum.

Materia sacramentorum in quibusdam determinata usque ad speciem infimam.

9 Materia Sacramentorum in quibusdam à Christo determinata est usque ad speciem infimam, ut aqua in Baptismo: oleum in extrema unctione: Chrisma in confirmatione &c. in quibusdam verò habetur tantum determinatio aliqua generica: ita Materia Sacramenti pœnitentiæ saltem partialiter est dolor de peccatis sive conceptus ex motivo contritionis, sive ex motivo attritionis ut communius Doctores: qui actus specie differunt & in sacramento ordinis determinatio materiæ adhuc magis generica est: tantum enim Christus determinavit ut adhiberetur signum aliquod sensibile potestatis traditæ

cum

cum verbis eam exprimentibus, relicta Ecclesiæ determinatione signi in particulari, ut patet ex eo quod diversum adhibeatur in Ecclesia latina & græca, in ipsis etiam formis reperitur aliqua indeterminatio, non tamen tanta ac in ipsa materia, atque hæc omnia magis patebunt ex dicendis de materia, & forma singulorum sacramentorum in particulari.

Mutatio substantialis materiæ, aut formæ invalidat sacramentum.

10 Servanda est quoad substantiam materia, & forma à Christo præscripta ita, ut irrita sit confectio Sacramenti si interveniat mutatio substantialis: secus si sit tantum accidentalis, censetur autem substantialis mutatio materiæ, quando tanta est ut juxta communem conceptionem & æstimationem hominum distinguatur moraliter specie ab ea, quam Christus requisivit, ideoque diverso nomine appelletur, reputatur autem tantum accidentalis quando non adest talis distinctio: sive interim materia una distinguatur specie physica sive non. Identitas enim aut diversitas substantialis non tam attenditur secundum speciem physicam, quam moralem. Hinc licet forte vinum Gallicum differat specie physica ab Hispanico; non differt tamen substantialiter in ordine ad consecrationem & utrumque valide consecratur. E contra verò licet fortè panis non differat specie physica à massa farinæ subactæ adhuc cruda, differt tamen ab ea substantialiter in ordine ad consecrationem & invalide consecraretur.

Mutatio formæ censetur substantialis quando mutatur verborum sensus.

Mutatio autem formæ æstimatur substantialis, quando mutatur ejus sensus. Accidentalis autem, quando idem sensus remanet; ratio est quod verba in sacramentis non operentur secundum sonum syllabarum & verborum; sed secundum sensum. Hinc

11 Colliges 1. mutationem formæ ex una lingua in aliam non esse substantialem; quia non variat sensum. 2. nec talem esse substitutionem unius vocis in locum alterius; ut si quis pro *baptizo* dicat *abluo*; quia remanet idem sensus. Debet tamen vox substituta distincte idem significare: si enim tantum confuse idem significet erit mutatio substantialis, adeoque invalidabit sacramentum: ut si quis dicat *baptizo te in nomine Trinitatis*, pro Baptizo te in nomi-

ne Patris & Filii, & Spiritus Sancti. 3. Verborum transpositionem, additionem, detractionem inducere mutationem substantialem, & consequenter invalidare sacramentum, quando tollunt debitum sensum: secus, cum eum non tollunt. 4. Verborum interruptionem non officere valori sacramenti, quando tam brevis est ut morali judicio verba adhuc coalescant in vnam orationem, ideoque faciant eundem sensum secus, si tanta sit, ut non coalescant. 5. Verba corrupte pronunciata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantia, aliove simili vitio non reddere sacramentum invalidum, si adhuc sic pronuncientur, ut omnibus attentis eundem sensum animis audientium ingenerent, ac integre & recte pronunciata: secus si fiat contrarium, unusquisque tamen tenetur diligentiam adhibere, ut formas sacramentorum recte & integre pronunciet.

Peccat mortaliter qui mutat substantialiter materiam aut formam sacramentorum.

12 Qui scienter mutat substantialiter materiam aut formam sacramentorum peccat mortaliter; quia Sacramentum reddit irritum; si autem mutatio sit tantum accidentalis, semper quidem peccatum est si fiat cum advertentia; non semper tamen mortale est, sed quandoque veniale ob exiguitatem mutationis; ut si omittatur particula *enim* in forma consecrationis: vel particula *ego* in forma Baptismi: mortale autem semper est sequentibus casibus. 1. Si mutatio illa sit notabilis, ut si in consecratione calicis omittantur verba, quæ sequuntur essentialem ejus formam. 2. Si mutatio licet in se levis facta sit ex contemptu. 3. Si fiat animo inducendi ritum contrarium ritui Ecclesiæ; aut ex simili intentione schismatica, ita quoad utramque partem DD. communiter.

Ad sacramentum non requiruntur nec sufficiunt verba concionalia: sed necessaria sunt consecratoria.

13 Ad sacramentorum valorem nec requiruntur absolute nec sufficiunt verba concionalia, sed necessario requiruntur consecratoria. Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas essentialiter requirentes concionatoria, quibus divinæ promissiones circa Sacramentorum effectus explicantur ad fidem circa illas excitandam in suscipientibus. Quamvis autem etiam adhibeant consecratoria v.g. in Baptismo ego

te

te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non tamen adhibent illa ut consecratoria.

Prima pars patet ex baptismo parvulorum, quos constat licite,& valide in Ecclesia baptizari, quamvis non sint capaces intelligendi verbum concionale,aut fidem ex ejus auditu concipiendi. Quod enim finxit Lutherus,eis,dum Baptizantur,concedi tantisper usum rationis,manifestum est delirium. Secunda prob. 1.è Scriptura Matth.ult. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* quibus verbis Ecclesia semper intellexit præscriptam esse a Christo formam baptismi. Item ex Luc.22. Vbi Christus conficiens sacramentum corporis sui, & præcipiens Apostolis, ut idem facerent, verba consecratoria adhibuit. 2. ex traditione CC.perpetua praxi Ecclesiæ, & PP. apud Bellar.1 de Sacram.c.19.ubi Dionysius verba Sacramentorum appellat *invocationes consecratorias*. Et Aug. dicit, *Baptismum certis verbis evangelicis*, id est, (ut ipsemet explicat) invocatione nominis Dei, & SS. Trintatis consecrari.

Quod ergo dicit Christus Matth. ult. *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* non ita accipiendum est, quasi velit verbum concionale ad baptismum requiri, per modum partis essentialis, aut alicujus necessariò prærequisiti, sed solùm præcipit ut adulti mist eriorum fidei nostræ ignari de illis prius instruantur, quam baptizentur: unde instructionem solùm prærequirit per modum dispositionis ad baptismum adultis rerum fidei antecedenter ignaris licite conferendum.

Christus præcepit ut baptismo adultum præmittatur instructio tanquam dispositio.

Neque his obstat Hieronymus, dum exponens illud Apostoli ad Ephes. 5. *mundans eam* (scilicet Ecclesiam) *lavacro aqua in verbo vita*, per verbum vitæ intelligit verbum doctrinæ, seu concionis. Ibi enim locum hunc non explicat literaliter, ut alii PP. citati à Bell.& Vasquez, qui per verbum vitæ passim intelligunt consecratorium: sed tropologice de singulis hominibus, quorum animas vocat viros, corpora verò uxores, & respiciens ad alia ejusdem Apostoli verba, *viri diligite uxores vestras*, uniuscujusque

que

que animam hortatur ut corpus suum diligat & verbo doctrinæ à peccatis emundet.

14 Cum verò Aug. tract. 80. in Ioann. explicans illa Christi verba, *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*, ait: *unde ista tanta virtus aquæ ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur:* &c. non vult animam emundari sola fide per verbum concionale excitata, cùm ex toto contexto satis appareat eum requirere verba consecratoria; sed docet generatim omnem emundationem spiritualem, tum in sacramento, tum extra illud fieri per verbum: sive consecratorium, ut in sacramentis; sive concionale extra sacramenta, de utroque enim ibi agit, & utrique tribuit vim emundandi; concionali dispositive per excitationem fidei, consecratorio causative per virtutem à Christi institutione acceptam quæ virtus quia nec in se, nec in suo effectu sensibus percipitur, sed sola fide creditur, ideo dicit: *non quia dicitur, sed quia creditur*. Quibus verbis non significat verbum consecratorium emundare per actum fidei elicitum; sed per hoc, quod contineat objectum credendum nempe mysterium SS. Trinitatis, & virtutem divinam sibi ex institutione Christi assistentem.

Aug. vim emundandi tribuit verbo concionali dispositive, consecratorio seu ut vocat Evangelico, causative idque quia creditur id est quatenus continet mysterium quod fide participetur.

Ita porrò intelligendum Augustinum patet, tum ex lib. 6. contra Donatist. c. 25. ubi manifeste requirit verba consecratoria, quæ ipse vocat, *Evangelica*, quod etiam ante docuerat l. 3. c. 14. & 15. signatè addens hæc verba, *Evangelica* esse, *ego te Baptizo* &c. tum ex epist. 23 ad Bonifacium, aliisque locis contra Donatist. in quibus diserte tradit parvulos valide baptizari ab infidelibus absque omni fide offerentium, & ministrorum, tum denique ex illo ipso tractatu, ex quo sumpta sunt verba objectionis: quod enim dicit paulò ante *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, intelligi non potest de verbo concionatorio, cum hoc præcedat ablutionem aquæ ac proinde ad illam non accedat, nec eam ullo modo afficiat: sed solùm de consecratorio, quo dicit *Baptismum consecrari*: ut possit mundare; quod ipsi Calvinistæ satis agnoscunt; qui utique non rebaptizant infan-

infantes in Ecclesia Romana Baptizatos, in qua tamen solùm adhibetur verbum consecratorium.

§. II.

Sacramenti novæ legis effectus, & causalitas.

15 SAcramenta novæ legis, causant gratiam, vere ac propriè neque solùm remote, & velut per accidens excitando fidem in suscipientibus (ut volunt hæretici) sed etiam proxime; & per se: non tamen, ut causæ principales, qualis est solus Deus, sed ut instrumentales.

Sacramenta causant gratiam proxime & per se: id enim Scripturæ & PP. docent non tamen ut causæ principales sed ut instrumentales.

1. Pars est de fide 1. è Scripturis, Baptismo, aliisque Sacramentis, alio modo tribuentibus vim regenerandi, & sanctificandi, quam verbo concionatorio, aut alteri signo fidem excitanti, ut Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S.* Ephes. 5. *mundans eam lavacro aquæ.* Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2. ex Trid. sess. 6. can. 5. 6. 7. & 8. Item ex Florent. ponente hanc differentiam inter sacramenta vera, & nova, quod illa non causarent gratiam, hæc verò, & gratiam contineant, & digne suscipientibus conferant:

Confirmatur ex iis Scripturis, quæ significant actum fidei non esse effectum sacramenti (ut volunt hæretici) sed dispositionem præviam, ad ejus effectum, ut Marci 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Act. 2. Vbi populo credenti, & compuncto per prædicationem Petri, ac interroganti, *quid faciemus viri fratres?* respondet Petrus, *pœnitentiam agite, & baptizatur unusquisque vestrum.* Act. 8. Vbi Eunucho ad Christum converso & baptismum poscenti dicit Philippus; *si credis ex toto corde, licet* &c.

Prob. etiam ex PP. Tertull. l. de resurrect. carnis, ubi ait, *caro abluitur, ut anima emaculetur.* Aug. tract. 80. in Ioan aperte supponente sacramenta causare gratiam dum quærit, *unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat, & cor abluat:* & l. 19. contra Faustum cap. 11. *sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum:*

rimum. Item ex Cyrillo Chrysost. Ambr. Hieronym. aliisque apud Bellarm ita clarè doctrinam nostram tradentibus; ut non habeant adversarii, quod respondeant; nisi ipsos fuisse homines, & errare potuisse, ut Lutherus: vel ipsos hyperbolice locutos, ut Calvinus.

Nostra justificatio à Scri pt. & Trid. soli Deo tribuitur ut causæ principalis.

Secunda pars, quod scilicet sint causæ instrumentales tantùm. Prob. 1. ex Scriptura, soli Deo, tamquam causæ principali tribuente nostram justificationem Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates*, ad Rom. 3. *Vnus est Deus qui justificat*, 2. ex Trident. sess. 6. c. 7. ubi dicitur, *hujus justificationis causa sunt, efficiens* (principalis) *misericors Deus, meritoria, Iesus Christus: instrumentalis Sacramentum Baptismi*. Ex qua Tridentini doctrina (quam tuentur omnes Catholici) patet mentiri Calvinum, aliosque hæreticos, dum dicunt Catholicos Spiritui sancto adimere omnem influxum in nostram justificationem, & eam solis elementis, ac sensibilibus symbolis tribuere, &c.

Rectè dicuntur causare gratiam ex opere operato, licet ad hunc effectum in adultis plerumque requiratur aliquis pius animi motus per modum dispositionis.

16 Rectè dicuntur causare gratiam ex opere operato, hoc est præcise ratione ipsius operis exterius positi juxta Christi institutionem; modo tamen non ponatur obex per defectum dispositionis, ab eodem Christo in adultis requisitæ.

Vnde conclusio hæc, non ita intelligenda est, quasi velimus ad effectum Sacramenti nullo modo requiri fidem, aut pœnitentiam, ullumve alium pium animi motum, quod nobis falsò objiciunt hæretici: cum Catholici omnes profiteantur in adultis requiri tales motus per modum dispositionis, ad hoc, ut Sacramentum gratiam operetur, sed dicimus ipsum opus externum prout distinctum ab internis actibus fidei, spei & similibus, ex institutione Christi habere vim per seipsum gratiam conferendi, supposita dispositione adultis requisita, ita ut eam subinde causet absque ullo bono actu interno conferentis, & suscipientis.

Prob. Conc. 1. ex Trid. sess. 6. can. 8. ubi dicit anathema hoc negantibus patetque ex baptismo parvulorum, in quo absque ulla dispositione ex parte susci-

suscipientis, & subinde etiam ex parte ministri, & offerentium confertur gratia præcisè ratione operis positi ex Christi institutione, quod Theologi phrasi in scholis passim iam recepta convenienter appellant operari ex opere operato.

Nec est, quod hæretici hunc loquendi modum sugillent tanquam novum, aut barbarum. 1. enim est antiquior Luthero, & ejus gregalibus, cum ante annos quadringentos eo in terminis usus sit. Innocent. III. l. 3. de Myster. Missæ. 2. esto, sit novus, aut minus latinus, non tamen propterea rejiciendus, modò sit aptus ad veritatem fidei clarius exprimendam: melius enim est (inquit, Aug. in Psal. 138.) quod nos reprehendant grammatici, quam non intelligant populi.

17. Neque his obstat illud 1. Pet. 3. *Quod & vos nunc similis forma salvos facit baptismi, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*: solum enim vult baptismum non justificare quatenus est ablutio corporis; sed quatenus est ablutio animæ baptizati conscientiam ita emundans, ut non timeat sisti divino tribunali, & à Deo etiam hoc explicari de adultis, ad quos dirigitur hic sermo.

S. Petrus solùm vult baptismum non sanctificare quatenus est ablutio corporis, sed quatenus est ablutio mentis.

Scripturæ, quæ docent hominem justificari per fidem, ut ad Rom. 1. ad Hebr. 10. solum volunt fidem concurrere ad justificationem per modum radicis, & primæ dispositionis ad illam; vel si sit charitate formata, per modum causæ formalis, cum quo stat, quod sacramenta concurrant tanquam causæ instrumentales.

Illud Iob 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* solum probat Deum esse causam principalem justificationis: quod admittimus.

Scripturæ & Patres tribuentes nostram justificationem soli Deo debent intelligi de Deo ut causa principali.

Cum verò Hieronymus in c. 4. Isaiæ, dicit: *homo aquam præbet, Deus autem Spiritum S.* tantum vult hominem humana actione aquam solam præbere, & corpus abluere; non negat tamen eadem actione, quatenus à Christo instituta est, conferri gratiam per modum causæ instrumentalis licet solus Deus principaliter, & authoritative eam conferat.

28. Quo

rimum. Item ex Cyrillo Chrysost. Ambr. Hieronym. aliisque apud Bellarm ita clarè doctrinam nostram tradentibus; ut non habeant adversarii, quod respondeant; nisi ipsos fuisse homines, & errare potuisse, ut Lutherus: vel ipsos hyperbolice locutos, ut Calvinus.

Nostra justificatio à Script. & Trid. soli Deo tribuitur ut causæ principalis.

Secunda pars, quod scilicet sint causæ instrumentales tantùm. Prob. 1. ex Scriptura, soli Deo, tamquam causæ principali tribuente nostram justificationem Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates*, ad Rom. 3. *Vnus est Deus qui justificat*, 2. ex Trident. sess. 6. c. 7. ubi dicitur, *hujus justificationis causa sunt, efficiens* (principalis) *misericors Deus, meritoria, Iesus Christus: instrumentalis Sacramentum Baptismi*. Ex qua Tridentini doctrina (quam tuentur omnes Catholici) patet mentiri Calvinum, aliosque hæreticos, dum dicunt Catholicos Spiritui sancto adimere omnem influxum in nostram justificationem, & eam solis elementis, ac sensibilibus symbolis tribuere, &c.

Rectè dicuntur causare gratiam ex opere operato, licet ad hunc effectum in adultis plerumque requiratur aliquis pius animi motus per modum dispositionis.

16 Rectè dicuntur causare gratiam ex opere operato, hoc est præcise ratione ipsius operis exterius positi juxta Christi institutionem; modo tamen non ponatur obex per defectum dispositionis, ab eodem Christo in adultis requisitæ.

Vnde conclusio hæc, non ita intelligenda est, quasi velimus ad effectum Sacramenti nullo modo requiri fidem, aut pœnitentiam, ullumve alium pium animi motum, quod nobis falsò objiciunt hæretici: cum Catholici omnes profiteantur in adultis requiri tales motus per modum dispositionis, ad hoc, ut Sacramentum gratiam operetur, sed dicimus ipsum opus externum prout distinctum ab internis actibus fidei, spei & similibus, ex institutione Christi habere vim per seipsum gratiam conferendi, supposita dispositione adultis requisita, ita ut eam subinde causet absque ullo bono actu interno conferentis, & suscipientis.

Prob. Conc. 1. ex Trid. sess. 6. can. 8. ubi dicit anathema hoc negantibus patetque ex baptismo parvulorum, in quo absque ulla dispositione ex parte

susci.

suscipientis, & subinde etiam ex parte ministri, & offerentium confertur gratia præcisè ratione operis positi ex Christi institutione, quod Theologi phrasi in scholis passim iam recepta convenienter appellant operari ex opere operato.

Nec est, quod hæretici hunc loquendi modum sugillent tanquam novum, aut barbarum. 1. enim est antiquior Luthero, & ejus gregalibus, cum ante annos quadringentos eo in terminis usus sit. Innocent. III. l. 3. de Myster. Missæ. 2. esto, sit novus, aut minus latinus, non tamen propterea rejiciendus, modò sit aptus ad veritatem fidei clarius exprimendam: melius enim est (inquit, Aug. in Psal. 138.) quod nos reprehendant grammatici, quam non intelligant populi.

S. Petrus solùm vult baptismum non sanctificare quatenus est ablutio corporis, sed quatenus est ablutio mentis.

17. Neque his obstat illud 1. Pet. 3. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*: solum enim vult baptismum non justificare quatenus est ablutio corporis; sed quatenus est ablutio animæ baptizati conscientiam ita emundans, ut non timeat sisti divino tribunali, & à Deo etiam hoc explicari de adultis, ad quos dirigitur hic sermo.

Scripturæ, quæ docent hominem justificari per fidem, ut ad Rom. 1. ad Hebr. 10. solum volunt fidem concurrere ad justificationem per modum radicis, & primæ dispositionis ad illam; vel si sit charitate formata, per modum causæ formalis, cum quo stat, quod sacramenta concurrant tanquam causæ instrumentales.

Scripturæ & Patres tribuentes nostram justificationem soli Deo debent intelligi de Deo ut causa principali.

Illud Iob 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* solum probat Deum esse causam principalem justificationis: quod admittimus.

Cum verò Hieronymus in c. 4. Isaiæ, dicit: *homo aquam præbet, Deus autem Spiritum S.* tantum vult hominem humana actione aquam solam præbere, & corpus abluere; non negat tamen eadem actione, quatenus à Christo instituta est, conferri gratiam per modum causæ instrumentalis licet solus Deus principaliter, & authoritative eam conferat.

28. Quo

18. Quo modo etiam explicandus Aug. l. 13. de Trin. c. 26. ubi dicit solum Deum dare Spiritum S. Alia ejusdem loca nobis in speciem adversantia, ut tract. 8. in Ioan. ubi justificationem tribuit verbo fidei. Item sermone 30. de verbis Domini, ubi dicit baptismum per fidem mundare. In lib. quæst. veteris, & novi Testam. ubi ait: *nec cœleste regnum consequi poterit, qui se per aquam, non per fidem mundari credit*: hæc inquam & similia partim ex dictis intelligi possunt; partim ex aliis etiam locis in quibus aperte nostram sententiam tradit explicanda sunt, & ad primum quidem patet ex dictis n. 9. eum per verbum fidei intelligere verbum consecratorium, seu formam sacramentalem, cuius effectus, & significatum est objectum fidei, seu mysterium quod lumine naturali non percipitur, sed sola fide creditur. Secundo loco solùm vult, quod baptismus mundet per fidem tamquam dispositionem in adulto requisitam, & tamquam causam formalem, si sit charitate formata. Lib. Quæst. vet. & nov. test. non est Augustini, sed cujuspiam hæretici: ut notat Bell. l. de script. Eccl.

Nullum sacramentum antiquæ legis, ne ipsa quidem circumcisio conferebat gratiam ex opere operato.

19. Ita proprium est Sacramentis novæ legis causare gratiam ex opere operato, ut id nulli sacramento antiquæ legis convenerit, ne ipsi quidem circumcisioni, quæ erat præcipuum istius legis sacramentum. Prob. 1. ex Apostolo 1. ad Cor. 7. dicente *Circumcisio nihil est*, & ad Gal. 4. Sacramenta antiquæ legis vocat *infirma & egena elementa*, quomodo enim id verum esset; si circumcisio ex opere operato justificasset parvulum liberando eum à peccato originali, ut facit baptismus. 2. ex PP. Iustino Iren. Chrys. Cyril. Ephiph. Damasc. Tertul. Ambr. Hier. Ansel. &c. asserentibus circumcisionem nihil contulisse ad justitiam, sed tantum fuisse speciale signum distinctivum populi Dei, quorum verba reperies apud Suar. Vasq. Bellar. Lugo & aliis: 3. ex Florent. in decreto de sacramentis ubi sive ulla exceptione asseritur antiqua sacramenta tantum figurasse gratiam per passionem Christi dandam: nostra autem illi conferre, 4. ratione, quia non est credibile Deum instituisse medium aliquod ad delendum peccatum originale ex

opere

opere operato, quod tamen uni tantum sexui posset applicari.

Dices 1 Innocentius III. capitulo *Majores de baptismo* dicit baptismum successisse circumcisioni, & verba illa *Masculi cuius præputii caro circumcisa non fuerit* &c. comparat eum illis, nisi; *nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. 2. Augustin. lib. 3 contra Iulian. cap. 18. & lib. 4. de bapt. cap. 24. & lib. 2. contra Petilian. cap. 72. asserit per circumcisionem remissum fuisse originale, idem sentiunt Greg. Bern. Rupert.

R. 1. Plures alios PP. super citatos contrarium sentire 2. posse illos inter se conciliari: si dicatur peccatum originale fuisse quidem remissum per circumcisionem; sed non ex opere operato, ut remittitur per baptismum: sed per fidem in Christum venturum circumcisioni annexam, cujus fidei ipsa erat publica & externa professio. Patres autem pro nostra conclusione citatos tantum denegare eam virtutem circumcisioni tanquam ex opere operato. Alios autem in objectione allatos istam tantum vim tribuere circumcisioni quatenus per eam fiebat professio in Christum venturum.

Circumcisio remittebat originale non opere operato sed vi fidei in Christum venturum; cujus fidei erat publica quædam professio.

20. Pro majori hujus rei intelligentia sciendum est infantes ante legem scriptam sive in lege naturæ liberatos fuisse à peccato originali per fidem parentum in Christum venturum signo aliquo externo illis applicatam, ut communiter sentiunt Theologi. Posteros autem Abraham ex speciali Dei mandato obligatos ad masculos suos octavo die nativitatis circumcidendos, assumpsisse istam circumcisionem in signum dictæ fidei in Christum venturum, atque ita dici posse dictos masculos fuisse ab originali liberatos per circumcisionem ut continentem professionem Fidei quam faciebant parentes eorum, illisque in eum finem applicabant.

Dum igitur Innocentius III & supra citati Patres dicunt Baptismum successisse circumcisioni, & utriusque comparationem instituunt circa remissionem originalis; non volunt istam remissionem fuisse factam per utrumque eodem modo; sed tantum remitti

mitti nunc originale per baptismum, quòd tum remittebatur per circumcisionem, cum quo stat hoc discrimen, quod nunc remittitur per baptismum ex opere operato: tunc autem tantum remitteretur per circumcisionem, quatenus erat professio fidei in Christum venturum. Quod conforme est Augustino lib. de nupt. & concup. c. 11. ubi cum dixit peccatum originale expiatum fuisse circumcisione, pro ratione subiunxit: *quia per eandem fidem venturi in carne Christi & morituri pro nobis etiam justi salvabantur antiqui.*

Dum Patres comparant baptismum circumcisioni quoad remissionem originalis abstrahunt à modo quo fit hæc remissio.

21. Dices 2 August. l. 1. contra Crescent. comparat circumcisionem cum baptismo in eo; quod sicut circumcisio facta à ministro infideli non erat reiteranda; sic nec baptismus collatus ab hæretico, ergo censet validam fuisse circumcisionem absque fide ministri, adeoque habuisse effectum suum ex opere operato. R. dist. cons. ergo censet validam fuisse circumcisionem in ordine ad implendum præceptum circumcisionis conc. in ordine ad remissionem peccati originalis nego, ad hoc enim debebat esse fides in circumcidente, vel saltem in parentibus circumcisionem procurantibus, quæ infantibus parvulo applicabatur per hoc signum sensibile, idque satis aperte tradit S. Th. 3. p. q. 70. a. 4. in O. his verbis: *in circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei, passionis Christi, cujus signum erat circumcisio: ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se; vel alius pro parvulis.*

Dices 3. si valor circumcisionis in ordine ad remittendum originale dependisset à fide circumcidentis, semper fuisset incertus illius valor in ordine ad hunc effectum ergo circumcisus potuisset semper dubitare & esse anxius de remissione istius peccati, R. sicut jam non est sufficiens ratio dubitandi de valore baptismi ex eo quod eius valor pendeat ab intentione ministri, ita nec tunc de valore circumcisionis, eo quod penderet à fide circumcidentis.

Causant

Causant gratiam non physice, sed moraliter tantùm

tum, per hoc quod Deum objective moveant ad physicam ejus productionem, non quomodo chirographum regium aut denarius plumbeus movet quæstorem ad pecuniæ solutionem; sic enim non haberent rationem causæ per se moventis: sed quatenus morali æstimatione sunt actiones ipsius Christi tanquam ministri principalis, utpote ab eo ita institutæ, ut ipsius nomine fiant.

gratiam non Physice sed moraliter.

Hæc conclusio est Altisiodor. Bonav. Richard. Durand. Scot. Vasq. Becan. Conn. Præp. Lugo & e Thomistis Cani. Ledesm. contra Alan. Bellar. Val. Suar. Henric. Merat. VVigg. & plerosque Thomistas, quibus favet S. Thomas hic.

Prob. 1. quia gratia ex natura sua postulat physice produci à solo Deo, cum extra sacramenta à solo Deo infundatur, nec possit ab ulla creatura physice attingi, nisi supernaturaliter, & per miraculum: ad quod adstruendum nulla hic apparet necessitas: cum Scriptura, & dicta PP. omnia optime explicentur de efficientia morali. 2. Quia causalitas moralis, est magis proportionata naturis Sacramentorum, quæ sunt arte facta moralia, cùm forma illorum, id est significatio sacramentalis, per quam causant, sit quid morale, scilicet denominatio extrinseca a libero actu præterito quo Christus illa instituit. 3. Quia certum est sacramenta quosdam effectus causare tantùm moraliter nempe gratias actuales, quæ pro exigentia occasionum conferuntur intuitu sacramentorum antea susceptorum: item gratiam habitualem in casu revivіscentiæ, de qua infra: cùm enim istos effectus causent diu postquam desierunt, non possunt illos causare physice per actionem immediate, & realiter à se egredientem, cum implicet actionem physice egredi ab eo, quod non est.

Causalitas moralis est magis proportionata sacramentarum naturæ quam physica.

4 Denique, quia licet probabile sit, quod docent plerique contra Vasq. Conin. &c. posse quodlibet à Deo assumi, ad producendum quidlibet instrumentaliter physice, adeoque rem corpoream ad productionem gratiæ spiritualis, hoc tamen specialiter repugnat sacramentis, cum enim sacramenta omnia (excepta Eucharistia) in usu, & actione consistant,

Sacramenta causant eo instanti quo desinunt, adeoque moraliter: cujus

ut passim concedunt adversarii, non possunt gratiam causare, nisi eo instanti quo non sunt amplius nempe in instanti terminativo prolationis formæ, vel applicationis materiæ, quod instans est extrinsecum sacramentis utpote entibus successivis, adeoque extrinsece desinentibus per primum sui non esse atqui sacramenta non possunt physice causare gratiam, cùm non amplius existunt: existentia enim est conditio requisita ad causandum physice, etiam in iis, quæ non nisi supernaturaliter, & per potentiam obedientialem operantur; ergo &c.

ad causalitatem physicam non magis sufficiat immediate ante extitisse, quam immediate post futurum esse.

22 Nec satisfacies, si dicas cum Soto, aliisque Thomistis sufficere, quod sacramentum immediate ante extiterit, tùm quia non magis habet nunc esse, quod immediate ante exstitit, & jam desiit, quam quod immediate post futurum est, sed nondum existit, adeoque nec magis potest physice causare; tum quia responsio illa locum habere non potest in casu maxime ordinario, quo applicatio materiæ tota absolvitur, ante prolationem formæ, vel contrà: tunc enim pars Sacramenti quæ desiit, non potest immediate causare postquam desiit, quandoquidem altera parte necdum absoluta Sacramentum sit adhuc imperfectum: quæ ratio etiam militat adversus Suar. aliosque volentes Sacramenta causare gratiam per suum indivisibile terminativum.

Non possunt causare physice per indivisibile terminativum quia non est eorum pars, nec virtus.

Adde quod probabilius sit non dari indivisibilia in continuo. Item quod indivisibile terminativum Sacramenti, etiamsi daretur, non sit sacramentum, sicut indivisibile terminans motum non est motus: Unde Sacramentum non potest dici per illud causare, præsertim cum illud indivisibile non sit virtus activa sacramenti; sicut indivisibile terminans corpus non est virtus activa corporis.

23 Atque hinc etiam refellas eos, qui dicunt Sacramentum causare gratiam, per ultimam partem sui completivam v. g. per ultimam partem formæ aut applicationis materiæ operantem in virtute precedentium neque enim pars ultima Sacramenti est magis virtus activa illius, aut partium præcedentium, quam indivisibile terminans: nisi forte in

Non possunt dici causare physice per ultimam partem sui completivam.

sensu

sensu morali, quo modo ultima syllaba orationis in virtute præcedentium, per suam significationem movet intellectum audientis, ad formandum conceptum rei significatæ.

24 Quod autem dicunt quidam recentiores Thomistæ totum Sacramentum producere gratiam ratione determinationis, quam singulæ partes successive applicatæ relinquunt in ipso suscipiente, parum est intelligibile: non enim apparet, quid sit ista determinatio, nisi aliquid morale, nempe denominatio extrinseca ab actibus præteritis, à qua proinde effectus Sacramenti non posset physice procedere, sed solum moraliter.

25 Quæ ex Scripturis, & PP. contra afferri solent, cum ad utramque causalitatem sint indifferentia, de morali facile explicari possunt; imo hi subinde ita loquuntur, ut magis faveant morali, quam physicæ: ut cum Sacramentis efficientiam tribuunt virtute passionis Christi, quam constat solum causare moraliter. Item cum dicunt ea esse vasa plena Christi sanguine, & similia, quæ cùm solùm vera sint in sensu morali, eo modo censendi sunt loqui de causalitate: nominatim verò Cypr. Hieron. Aug. &c. apud Vasq. favent causalitati morali, cum expresse dicunt Sacramenta exterius quidem adhiberi; sed solum Deum operari effectum interiorem, quod procul dubio non dicerent, si in Sacramentis agnovissent virtutem physicam, quamvis solum instrumentalem: cum ex doctrina Trident. sess. 6. c. 5. voluntas citra errorem simpliciter dici non possit nihil efficere in ordine ad actus supernaturales, licet ad eos concurrat solum ut causa instrumentalis.

Script & PP locutiones sunt ad utramque causalitatem indifferentes adeoque intelligi possunt de morali imo pleraque favent morali.

26 Quare cum PP. ita loquuntur, ut videantur Sacramentis negare efficientiam gratiæ, intelligendi sunt de efficientia physica, & maxime rigorosa: de morali verò, dum eam illis tribuunt, ut sic in eorum dictis vitetur contradictio; similiter de efficientia morali explicanda sunt Concilia, dum dicunt Sacramenta imprimere characterem, esse causas instrumentales justificationis &c. ut manifeste colligitur ex Trident. sess. 6. c. 7. ubi postquam immediate

ante dixit Christum esse causam justificationis meritoriam, id est moralem, subdit baptismum esse ejusdem justificationis causam instrumentalem nempe in eodem genere causæ, quo Christus, cujus est instrumentum.

PP. subinde comparant Sacramenta entibus physicis non quoad modum influendi, sed quoad effectum, & quoad modum participandi virtutem ab alio.

27 Quod si subinde PP. influxum Sacramentorum comparent operationi physicæ, ut Sylvest. apud Niceph. l. 7. c. 33. dum ait: *hac aqua*, nempe baptismi, *Divina virtute per invocationem vivificæ Trinitatis concepta, sicut extra corpus homines abluit; ita etiam intra animam à sorde mundificat*, Item Cyril. Alex. l. 2. in Ioan. c. 42. *sicut aqua calefacta igne calorem efficit, ita Spiritus S. operatione ad virtutem divinam reformata baptizatum abstergit*. Item S. Leo. serm. 5. de nativit. ubi comparat influxum baptismi cum influxu materno B. V. in Christi generationem, quem constat physicum fuisse: dicendi sunt, non instituere comparationem quod modum influendi; sed vel quoad effectum, ut Sylvester, vel quoad detersionem sordium corporis, & animæ, vel quoad modum participandi virtute ab alia causa ulteriore, ut Cyril & Leo; sic tamen, ut non velint esse omnimodam paritatem; cum constet Sacramenta non esse causas principales gratiæ, ut est aqua calefacta caloris, & B. V. humanæ generationis Christi.

Neque tamen deest ratio, cur SS. PP. vim Sacramentorum ita mirentur, & extollant: prorsus enim mirabile est, quod suam potentiam Deus, & Christi merita rebus adeo infirmis lege infallibili addiderit, ad effectus adeò mirabiles ponendos, sive interim physice id fiat, sive moraliter tantùm. In eo verò, quod Sacramentum per potentiam obedientialem physice gratiam attingat, quod etiam posset musca, nihil adeo mirandum apparet.

S. Th. favet causalitati physicæ; subinde etiam favet morali.

28 Fatendum quidem est S. Th. variis locis favere causalitati physicæ, nominatim hic q. 62. a. 1. 3. & 4. Item q. 78. art. 4. & alibi: sed non pauca etiam habet contrarium suadentia: nam præterquam quod nullibi expresse dicit Sacramenta esse causas physicas gratiæ, variis locis oppositum satis insi-

insinuat. 1. Enim hic q. 62. a. 4. ad 1. vim Sacramentorum comparat vi cuidam spirituali inexistenti vocibus sensibilibus, qua movent intellectum ad repræsentationem rei significatæ; quam vim constat solum esse moralem; sitam in vocum significatione orta ex institutione hominum. 2. quia hic a. 5. dicit virtutem derivari in Sacramenta ab humanitate Christi media ejus passione à qua, utpote non amplius existente, certum est nihil posse physice derivari. 3. quia ut fuse, probat Vasq dum Sacramentis tribuit virtutem physicam, eam solum tribuit in ordine ad aliquam actionem præviam productioni gratiæ v. g. ad ablutionem corporis.

Humanitas Christi secundum se est tantum causa instrumentalis meriti infiniti.

29 Nec refert quod dicat humanitatem Christi esse instrumentum conjunctum in ordine ad productionem gratiæ, Sacramentum verò esse instrumentum separatum, quod intelligendum videtur de instrumento physico, cum humanitas Christi non videatur posse dici instrumentum in genere causæ moralis, sed dicendam esse causam principalem meritoriam: etsi enim Christus complete sumptus sit causa principalis meritoria gratiæ: humanitas tamen secundum se considerata, ut præcisa ab unione hypostatica solum est causa instrumentalis, cùm ex se non habeat virtutem, & proportionem ad meritum tanti valoris.

30 Cum Trid. sess. 6. c. 16. dicit Christum jugiter virtutem influere in justificatos, sicut caput in membra, & vitis in palmites, quorum influxum constat esse physicum, non vult significare omnimodam similitudinem influxus; alioqui humanitas Christi esset causa principalis gratiæ; sicut caput & vitis influxus sibi proprii, quod tamen falsum est: sed solum secundum quid, nempe in eo, quod sicut influxus capitis & vitis necessarius est ad vitam membrorum & palmitum, ita necessarius sit influxus Christi capitis moralis ad spiritualem vitam membrorum sui corporis mystici; quod est Ecclesia, qui tamen humanitatis Christi influxus, sicut in moralia, solum fuit moralis, (ut supra probatum est; p. 4. nu. 158.) ita etiam in gratiam solum est moralis,

ut factis indicat Trid. sess. 6. c. 7 expresse docens Christum concurrere ad justificationem, ut causam meritoriam.

Hæ formæ Ego te Baptizo; absolvo &c.

Neque propterea desinent verificari hæc verba formæ baptismi, *Ego te baptizo. &c.* & pœnitentiæ, *Ego te absolvo* sicuti enim sufficit causalitas moralis, ut passio, & sanguis Christi dicantur nos emundare à peccato, ita eadem sufficit, ut minister per Sacramentum proprie dicatur suscipientem mundare, absolvere, &c.

Æque de morali ac physica causalitate verificantur.

Si inferas, ergo creditor per exhibitionem chirographi movens debitorem ad solvendum, dici poterit solvere, quod est absurdum. Negabitur sequela, quia cum solutio connotet obligationem in solvente, & jus in eo cui solvitur, non potest alium denominare, quam debitorem. Simile est in Sacramento pœnitentiæ, v. g. in quo pœnitens ponit materiam Sacramenti, nempe actus suos, & illi mediantibus aliquo modo causat gratiam peccati remissivam: neque tamen dicitur absolvere seipsum, quia absolvere à peccatis, non est gratiam illam quomodocumque causare: sed causare per modum judicis sententiam ferentis, sive id fiat physice, sive moraliter tantum.

Quamvis Sacramenta solum concurrunt moraliter: non tamen habent rationem puri signi, aut conditionis, sed veræ causæ: unde differunt à veteribus & signis magicis.

31. Quamvis Sacramenta solum moraliter concurrant ad gratiam, non habent tamen rationem puri signi, sicut denarius plumbeus v. g. respectu solutionis ad quam movet; vel meræ conditionis sine qua non, qualiter institutio novi festi concurrit ad jejunium Petri antecedenter ex voto obligati ad jejunandum in vigilia cujuslibet festi: sed sunt veræ causæ quatenus habent vim movendi Deum tamquam actiones Christi, ut dictum est nu 21. Atque hinc patet etiam in nostra doctrina verum esse discrimen, quod adfert Trid. inter Sacramenta vetera & nova: quod nempe hæc vere causant gratiam, illa verò eam tantum significarent: quia nempe vetera Sacramenta non erant causæ morales gratiæ, sed pura signa, aut conditiones quippe, quæ per se non movebant Deum tanquam Christi actiones pretium gratiæ moraliter continentes, cum enim Christus non-

dum

dum esset, adeoque ab ipso non essent institutæ, non poterant censeri ejus actiones, cum nihil censeri possit operari per instrumentum morale separatum, antequam sit.

Ex quibus ulterius colligitur distinctio inter Sacramenta & signa magica in modum concurrendi ad proprios effectus: hæc enim concurrunt ut meræ conditiones ex arbitrario dæmonis pacto requisitæ: quod si forte concurrant etiam ut causæ morales, quatenus continent invocationem dæmonis, aut honorem, quo ipse movetur; non habent tamen eandem infallibilitatem, quam Sacramenta; cum sæpè effectum non sortiantur, vel Deo impediente, vel dæmone ipso fidem fallente.

32 Ad id quod quidam opponant, Sacramenta, si solum moraliter concurrant non fore instrumenta Dei, sed utentium; 1. Quia Deus illis non movebit, sed movebitur; instrumentum autem morale est ejus, non qui movetur, sed ejus qui per illud alterum movet ad operandum, ut patet in consilio; mandato, &c. 2. quia non mediabunt inter Deum, & effectum, sed Deum movebunt ad effectum: & tamen instrumentum debet mediare inter causam principalem, & effectum; 3 quia non erunt instrumenta proportionata causalitati Dei gratiam physice operantis.

Sacramenta sunt instrumenta moralia Dei, quatenus illa instituit ut ijs moveatur.

Facile responderi potest Sacramenta esse instrumenta utentium tanquam minus principalium, Christi verò tanquam ministri principalis, & Dei tanquam primi eorum authoris. Ad 1. in contrarium dico instrumentum morale posse etiam esse illius qui movetur, si (quod hic contingit) is qui movetur, illud instituerit ut eo moveatur; ut patet in pictore alterum hortante ut sibi pretium proponat, quo moveatur ad pingendum: eo enim casu pretium oblatum, est etiam instrumentum morale ipsius pictoris, non solius offerentis. Ad 2. dico Sacramenta mediare inter Deum illa instituentem, & gratiam eorum intuitu operantem, quod sufficit, ut sint instrumenta ejus moralia. Potest enim influxus instrumenti moralis, quatenus moventis causam principa-

lem esse prior influxu causæ principalis, quatenus attingentis effectum, modo principalis eo fine instituerit instrumentum, ut per illud moveatur.

Causant gratiam & characterum in instanti sui terminativo, quia in eo habent completam significationem & sunt totaliter in facto esse non ante.

33 Causant gratiam habitualem in instanti sui terminativo, quia in illo præcise, habent completam significationem & consequenter ultimam perfectionem in esse Sacramenti; antequam non possunt causare: cum autem sint causæ necessariæ, ea præcise posita statim causant.

Hoc porrò instans ex communiori doctrina philosophorum, de inceptione, & desitione entis successivi recte dicitur extrinsecum; cum enim illo instanti Sacramentum non sit amplius, sed immediate ante fuerit, est extrinsecum ejus existentiæ, seu durationi temporis, quo verum est dicere, Sacramentum existit. Et hæc doctrina facilior est, posita sola causalitate morali, quæ ad causandum non requirit existentiam causæ. Potest tamen etiam habere locum in sententia. Suar. admittente indivisibilia terminantia, licet enim indivisibile terminans, per quod in ea sententia causat Sacramentum, certo sensu sit intrinsecum Sacramento, non est tamen pars illius; cum omnis pars continui successivi, sit necessariò, & essentialiter divisibilis, & successiva, adeoque est simpliciter extrinsecum latitudini temporis, in quo verum est dicere, existit Sacramentum.

Quamvis Sacramentum ante instans terminativum sit totum in fieri non est tamen totum in facto esse.

34 Quamvis ante illud instans, Sacramentum sit totum in fieri, seu totum distributive secundum quamlibet sui partem proportionalem, decrescentem versus illud instans; non est tamen totum in facto esse, seu totum collective, sic ut ante istud instans fuerit verum dicere totum Sacramentum est positum: nam ante istud instans semper defuit aliquid Sacramenti, licet minus, & minus in infinitum: jam verò Sacramentum quamvis sit causa necessaria, non potest causare, nisi eo instanti, quo est totum in facto esse, seu totum collective: cum ante illud semper aliquid ei desit ad perfectum esse Sacramenti.

35 Neque inde sequitur formas Sacramentorum de præsenti non posse verificari, adhoc enim sufficit coexistentia causæ & effectus: quæ enim non distant

ab

ab invicem, moraliter coexistunt; unde cum productio gratiæ immediate sequatur verba illa, *Ego te absolvo*, &c. dici potest illis moraliter coexistere, & ita formam absolutionis verificari de præsenti moraliter.

Si opponas ex concl. nostra, sequi possibilem esse casum, in quo Sacramentum rècte, & integre susceptum non conferat gratiam, ut si in illo instanti extrinseco suscipiens moriatur, & hic desinat esse in statu viatoris requisito ad gratiam recipiendam.

Potest Sacramentum integre susceptum carere effectu, si in instanti ejus terminativo suscipiens desinat vivere; cum tunc desit conditio ad illum requisita nempe status viatoris.

36 Resp. 1. Cessare difficultatem, si vita hominis dicatur necessario desinere intrinsece, sic enim in casu posito instans extrinsecum Sacramento erit intrinsecum vitæ suscipientis. 2. non esse absurdum admittere hunc casum: cum enim eo casu desit conditio requisita ad operationem Sacramenti, nempe status viatoris, pro illo instanti quo deberet operari, non magis absurdum est dicere tunc nihil agere: quàm cùm ultima syllaba non est sufficienter pronunciata, dum suscipiens moritur. 3. Denique non esse minus credibile eo casu in instanti extrinseco vitæ conferri gratiam, cujus causa adæquata ante mortem est posita, quam quod volunt quidam Thomistæ augmentum gratiæ respondens actibus remissioribus conferri in egressu animæ è corpore. Adde non incongrue dici posse casum hunc esse moraliter impossibilem, aut pertinere ad divinam providentiam non permittere, ut contingat.

37 Forma Sacramenti censetur sufficienter completa cum Verba ejus ita totaliter prolata sunt, etiam quoad ultimam syllabam, ut sit perfecte significativa ad sensum à Christo intentum, quàmvis nondum desierit pronuntiatio. Vnde si materia prius applicata, pronuntiatio ultimæ syllabæ producatur justo longius v. g. ad unum miserere, non propterea differetur effectus usque ad terminum extrinsecum totius pronuntiationis: sed producetur eo præcise instanti, quo pronuntiatio est sufficiens ad sensum à Christo intentum.

Forma Sacramenti censetur sufficienter completa, quando pronunciatio ejus moraliter integra est.

Et quamvis forma secundum se pro illo instanti adhuc videatur esse indifferens ad completam significatio-

ficationem, utpote, quæ vitiari possit additione alicujus, quod essentialiter mutet ejus significationem: sicuti verbis consecrationis, *Hoc est Corpus meum*, addi potest, *phantasticum*: supposita tamen institutione Christi sufficienter determinatur ad significationem ab eo intentam, tum a circumstantiis, tum etiam probabiliter ab intentione ministri nolentis quidquam addere: unde non est ratio cur ultra differatur effectus.

Sola Sacramenta mortuorum videlicet Baptismus & Pœnitentia producunt per se primam gratiam.

38 Quamvis omnia Sacramenta novæ legis conferant gratiam sanctificantem, idque ex opere operato; ut supra dictum est, tantum tamen duo videlicet Baptismus & Pœnitentia per se producunt primam gratiam, qua peccator justificatur quia tantum illa duo à Christo instituta sunt ad remittenda peccata mortalia; ideoque dicuntur Sacramenta mortuorum. Alia autem per se præsupponunt statum gratiæ in suscipiente; ideoque dicuntur Sacramenta vivorum; & in iis non primam gratiam, quam supponunt, sed augumentum ejus conferunt.

Cætera Sacramenta quandoque etiam causant primam gratiam, sed per accidens.

39 Dixi *per se*: quia cætera etiam Sacramenta quandoque per accidens producunt primam gratiam justificantem; idque in tribus præsertim casibus, videlicet 1. cum quis invincibiliter ignorans se esse in statu peccati accedit ad ista Sacramenta credens se esse in statu gratiæ 2. cum aliquis conscius peccati mortalis conatur elicere perfectam contritionem, & tamen tantum habet attritionem, deestque Sacerdos cui confiteatur. 3. Quando quis peccata confessus cum sola attritione non valide absolvitur vel quia Confessarius non habet in eum jurisdictionem: vel quia caret intentione absolvendi. Non videtur enim credibile Christum sic instituisse ista Sacramenta ut voluerit eorum fructu eum carere, qui quantum in se est disponit se ad ea debite suscipienda, ut accidit in 2. & 3. casu; aut bona fide credit se debite dispositum, ut in primo.

Dices: status gratiæ est dispositio prærequisita ad effectum istorum sacramentorum: ideo enim dicuntur Sacramenta vivorum; quia præsupponunt spiritualem animæ vitam, quæ est gratia R. per se quidem loquen-

loquendo, & velut ex primaria Chriſti inſtitutione prærequiri realem gratiæ ſtatum propter rationem allatam: ideoque unumquemque teneri ad ſtatum ipſum procurandum priuſquam iſta Sacramenta ſuſcipiat; per accidens tamen & velut ex ſecundaria Chriſti intentione ſufficere etiam ſtatum gratiæ aut prudenter exiſtimatum, aut ſaltem quantum in ſe eſt ab eo qui Sacramenta iſta ſuſcipit, prius procuratum, in quantum ſcilicet Chriſtus ex ſpeciali bonitate & miſericordia noluerit ut fructu iſtorum Sacramentorum privarentur, qui, quantum in ſe eſt, debite ſe ad illa diſponerent aut diſpoſitos crederent.

40 Sacramenta omnia novæ legis æqualem gratiam conferunt æqualiter diſpoſitis: inæqualem vero diſpoſitis inæqualiter; majorem videlicet aut minorem prout ſuſcipiens magis aut minus diſpoſitus eſt, ita communiter Theologi cum S. Th. 3. p. q. 69. a. 8. in O. prob. 1. pars: quia Sacramenta operantur per modum cauſæ neceſſariæ: hoc autem ſemper æqualem effectum producit in ſubjecto æqualiter diſpoſito. Prob. etiam 2. pars 1. ex Trident. Seſſ. 6. cap. 7. ubi dicit in baptizatis recipi juſtitiam, *ſecundum menſuram quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult; & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*. Quod autem ibi dicitur de Baptiſmo; de aliis etiam Sacramentis intelligendum eſt; cum omnium circa hoc ſit par ratio 2. ratione: quia cauſæ neceſſariæ, ut ſunt Sacramenta, plus aut minus operantur in ſubjecto, ſecundum majorem aut minorem ejus diſpoſitione: ita, inquit, S. Th. loco cit. *ab eodem igne plus accipit caloris, qui plus ei appropinquat; licet ignis quantum eſt de ſe æqualiter ad omnes effectum ſuum diffundat*. **Sacramenta ſecundum majorem aut minorem diſpoſitionem recipientis conferunt majorem aut minorem gratiam.**

41 Dices 1. Sacramenta operantur quantum poſſunt, cum ſint cauſæ neceſſariæ: ergo ſemper habent effectum æqualiter intenſum. R. diſt. ant. operantur quantum poſſunt reſpective ad diſpoſitionem ſubjecti C. ſine reſpectu, ad illam. N. unde nulla eſt conſeq. **Operantur quantum poſſunt reſpective ad diſpoſitionem ſubjecti.**

42 Dices 2. ſi daretur major gratia ob meliorem

diſpo-

dispositionem: excessus ille non daretur ex opere operato ipsius Sacramenti, sed ex opere operantis, seu ipsius suscipientis: atqui Sacramenta habent effectum suum ex opere operato; ergo &c. Prob. ma. quia melior illa dispositio plerumque consistit in actibus suscipientis Sacramentum. R. excessum illum dari ob meliorem dispositionem non ut causam; sed ut conditionem sine qua Sacramentum non produceret ex opere operato istum excessum gratiæ. Fatendum quidem est dari etiam aliquam gratiam correspondentem actibus meritoriis quibus aliquis melius se disponit; sed non agimus jam de ista gratia; sed de ea quæ datur vi Sacramenti ex opere operato, & dicimus illam inæqualiter dari inæqualiter dispositis.

Dantur etiam suo tempore gratiæ actuales vi Sacramentorum prius susceptorum.

43 Quodlibet Sacramentum præter gratiam habitualem causat etiam gratias actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti suo tempore adultis conferuntur ad obtinendum finem proprium cujusque Sacramenti nisi se illis indignos reddant peccatis suis. Ita communiter Theologi cum S. Tho. p. 3. q 61. a. 2. in O. prob. quia istæ gratiæ actuales necessariæ sunt ut obtineatur proprius finis cujusque Sacramenti v. g. vi Baptismi Christiana vita: vi Confirmationis fortitudo ad fidem profitendam &c. cum enim fines isti sunt supernaturales non possunt obtineri naturæ viribus.

Dixi 1. *illas suo tempore conferri*, quia istæ gratiæ actuales non statim à suscepto Sacramento, nec simul conferuntur; sed tantum successive prout occurrunt occasiones spectantes ad finem Sacramenti suscepti. Statim tamen acquiritur jus ad istas gratias vi Sacramenti tempore suo habendas.

Dixi 2. *adultis*: quia parvuli ante usum rationis non sunt capaces istarum gratiarum: unde si post Baptismum moriantur ante usum rationis, non recipiunt adæquate effectum Baptismi; quia nullas gratias actuales vi illius recipiunt ad Christianè vivendum.

Amissa & peccatum gratia san-

Dixi 3. *nisi se illis indignos reddant peccatis sui*: si enim peccando mortaliter amittant gratiam sancti-

fican-

ficantem, amittunt etiam jus ad istas gratias actuales: quia amisso culpa sua primario Sacramenti effectu, quæ est gratia sanctificans, æquum videtur, ut etiam secundario priventur. Probabile tamen est gratia sanctificante per pænitentiam recuperata, revivìscere jus ad prædictas gratias actuales.

ctificante amittitur jus ad istas gratias actuales.

44. Dices 1. gratia sanctificans cum virtutibus ei annexis videtur sufficere ad obtinendum proprium finem cujusque Sacramenti R. N. ass. quia natura lapsa recurrentibus occasionibus identidem excitanda & impellenda est ad prosequendum bonum conveniens fini Sacramenti, & malum disconveniens fugiendum. Hæc autem excitatio & impulsio fit per gratias actuales.

Vi Sacramenti dantur uberiores quam alias fuissent datæ, non tamen semper efficaces.

45 Dices 2. seclusa susceptione Sacramenti darentur etiam actuales istæ gratiæ ad prædictum finem, ut patet in iis, qui nunquam suscepto Confirmationis sacramento fortiter fidem professi sunt: aut absque Sacramento pœnitentiæ constanter peccata vitarunt. R. dari quidem etiam istas gratias absque susceptione Sacramenti, ut probat argumentum; sed minus copiosas.

Dices 3. vel jus illud, quod per Sacramentum acquiritur est ad gratias efficaces vel tantum sufficientes; non 1. quia alioqui semper obtineretur finis Sacramenti, quod aperte falsum est. Non etiam 2. quia nemini desunt gratiæ sufficientes; ac proinde independentes sunt à Sacramento R. jus illud esse ad auxilia gratiæ abundantiora ordinariis; non tamen necessario inferentia actionem: unde potest quis cum illis excidere à fine Sacramenti.

§. III.

De secundario Sacramentorum effectu qui est character.

46 CHaracter generatim sumptus nihil aliud est quam signum aliquod vel sigillum quo res aliqua notatur, quatuor præsertim ex causis. 1. ut per illud cognoscatur & ab aliis distinguatur. In eum finem oves sæpe notantur charactere domini sui. 2. ut con-

ut configuretur alteri rei S. Franciscus gessit stigmata Christi, ut configuraretur Christo. 3. ut rei pretium designetur: sic nummi valor impressione certi sigilli designatur 4. Denique ut significetur rei signatæ deputatio ad certum statum aut officium: sic olim milites charactere aliquo militari insignebantur.

Character Sacramentalis est signum spirituale impressum animæ ad certos fines.

Character autem sacramentalis est signum aliquod spirituale impressum animæ per quod homo deputatur ad cultum Dei, configuratur Christo, & ab aliis distinguitur.

47 Signum istud non est aliqua relatio solius rationis; aut mera denominatio extrinseca, qua quis ratione Sacramenti suscepti censeatur ad certum statum aut munus deputari, ut erronee docuit Durandus: sed est forma aliqua realis impressa animæ ob prædictos fines: idque manifeste colligitur ex Trid. sess. 7. can. 9. dicente, characterem imprimi animæ: esse signum aliquod indelebile &c istæ enim locutiones manifeste important formam aliquam realem.

Character spectat ad prædicamentum qualitatis: & sub diversa consideratione reduci potest ad diversas ejus species.

48. Hæc forma realis non spectat ad prædicamentum relationis, ut vult Scotus, sed qualitatis, ut cum S. Th. communiter docent Theologi. Prob. 1. pars: quia relatio prædicamentalis non distinguitur realiter à fundamento, termino, & ratione fundandi; ac proinde si v.g. character Baptismi esset talis, realiter non distingueretur à Baptizato, qui esset fundamentum: à statu Christiano qui esset terminus, & ratione fundandi qui est Baptismus: quod dici non potest.

Nec refert quod forma ista sit signum; signum autem dicat ordinem seu respectum ad rem significatam quia iste ordo seu respectus non est prædicamentalis, sed trascendentalis, utpote isti formæ intrinsecus & essentialis.

Prob. etiam 2. pars, ab aliorum prædicamentorum enumeratione. Non enim potest pertinere ad prædicamentum substantiæ cum sit accidens: non etiam ad prædicamentum quantitatis; quia quantitas est aliquid materiale: character autem sacramentalis est aliquid spirituale. Nec denique ad prædi-

camenta

camenta aut actionis, aut passionis, aut ubi, aut quando, aut situs, aut habitus, ut manifestum est: superest igitur ut pertineat ad prædicamentum qualitatis.

49. Si autem petas ad quam speciem qualitatis pertineat: R. posse sub diuersa consideratione reduci ad diuersas ejus species. Quatenus enim est qualitas aliqua permanens bene afficiēs subjectum suum, revocatur ad primam. Quatenus verò est signum potestatis alicujus acceptæ, revocari potest ad secundam; quatenus autem ornat, & perficit subjectum suum, dici potest pertinere ad tertiam. Quatenus denique est signum aliquod seu sigillum, cujus impressione ab aliis distinguimur deduci potest ad quartam. Atque ita facile est conciliare diuersos authores ad diversas species eum reuocantes.

50. Tria Sacramenta characterem imprimunt; videlicet Baptismus, Confirmatio & Ordo Est de fide ex Florent. in decreto de Sacramentis, ubi dicitur: *Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo quæ characterem... imprimunt* &c. & ex Trid ses. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus sacramentis videlicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima .... anathema sit.*

Tria Sacramenta videlicet Baptismus, Confirmatio & Ordo Charaterem imprimunt.

Eandem veritatem tradunt plurimi Patres apud Bellarm. lib. 2. de sacram. cap 21.

Dices nullibi in Scriptura id afferitur, R. 1. satis esse, quod id habetur per traditionem, sitque definitum in prædictis Conciliis 2. Characterem baptismalem insinuari ab Apostolo ad Ephes. 1. dicente, *in quo credentes signati estis spiritui promissionis sancto*, dum scilicet Baptizati estis ut exponunt Chrys. Theoph. Hier. Beda, Anselm. & alii, exponentes istum locum idem ab eodem innuitur ad Ephes. 4. dum ait *nolite contristare spiritum sanctum Dei in quo signati estis in diem redemptionis*. De character autem qui in confirmatione imprimitur, multi hunc locum accipiunt. *Qui unxit nos Deus & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris* 2. ad Cor. 1.

Habetur id traditione & colligitur ex Scripturis.

51. Petes quem in finem imprimatur character in istis tribus Sacramentis? R. in Baptismo imprimi, 1. ut

Assignantur

ter varii fines ob quos in istis sacramentis imprimitur character.

ut significetur babtizatum pertinere ad Christi familiam, ac proinde esse sub singulari eius protectione, 2. ut baptizatus configuretur Christo, juxta illud Apost. ad Hebr. 3. *quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis*. 3. Vt fiat idoneus ad recipienda cætera Sacramenta, & cultum Religionis Christianæ exercendum. In Confirmatione autem per eum militiç Christi specialiter adscribimur ad fidem ejus ac religionem fortiter propugnandam. Denique in Sacramento ordinis per eum deputamur ad sacra ministeria obeunda, quæ propria sunt ordinis suscepti.

Subjectum immediatum characteris est anima.

52. Subiectum immediatum characteris est anima, ita Bellarmin. Vasq. Suar. Lugo, Amicus, &c. contra Thomistas docentem Characterem immediate recipi in intellectu: & Scotistas volentes recipi immediate in voluntate.

Idque sufficienter colligitur ex Flor. & Trid. simpliciter dicentibus character imprimi animæ.

Prob. 1. ex Florent. & Trident. simpliciter Asserentibus characterem esse signum aliquod *Animæ impressum*: quæ locutio satis denotat animam esse immediatum ejus subjectum, 2. Quia character non est operativus: ergo non debet recipi in principio proxime operativo, ut sunt potentiæ animæ, supposito quod realiter ab ea distinguantur: sed in ipsa anima. Ita secundum Thomistas quia gratia habitualis non est operativa recipitur immediate in anima prob. ant. quia non est assignabilis effectus in quem physice influat. Non gratia justificans: quia hæc ordinarie prius natura infunditur, quam imprimatur character. Non gratiæ actuales, quia consistunt in actibus vitalibus intellectus & voluntatis, quorum principium sunt illæ ipsæ duæ potentiæ cum Deo illas specialiter ad istos actus movente. 3. denique quia intellectus & voluntas, uti & cæteræ potentiæ animæ probabiliter non distinguuntur ab anima adque in hac sententia clarum est animam esse immediatum Characteris subjectum.

53 Dices 1. cum Thomistis character ordinatur ad divinum cultum cujus fundamentum est fides: ergo debet esse in eodem subjecto cum fide videlicet in intellectu. R. ordinari ad divinum cultum, non ut ejus principium effectivum, sed ut nota personæ

ad

ad eum deputatæ. Vnde nulla est consequentia. Dices secundò cum Scotistis character est signum obligationis ad ea exequenda quæ exigit Sacramentum in cujus susceptione impressus est, atqui subjectum obligationis est voluntas: ergo &c. R. neg. conf. quia non est necesse ut nota obligationis recipiatur in ipsa potentia capaci obligationis ut est voluntas. Vt patet in notis mancipiorum, tonsura clericorum &c.

Character est indelebilis saltem respectu hujus vitæ: quia ut minimum id important Florent. & Trid. simpliciter afferentia characterem esse indelebilem, 2. quia alioqui non esset ratio cur Sacramenta characterem imprimentia non essent iterabilia ut cætera. Et vero Florentinum ex indelebilitate characteris infert eorum initerabilitatem.

Character est indelebilis, ideoque Sacramenta quæ eum imprimunt sunt initerabilia.

54 Probabilius est esse etiam indelebilem respectum alterius vitæ. Quia id conformius est prædictis Conciliis simpliciter afferentibus esse indelebilem. Et ipsi etiam rationi quia tam ipse character quam anima, quæ est ejus subjectum, est natura sua incorruptibilis.

55 Dices 1. Non remanet in inferis religiosus Dei cultus ad quem deputatur, qui Characterem Baptismalem suscepit. Neque in cœlo remanet spiritualis illa potestas ad conficienda aut ministranda Sacramenta, quam potestatem significat character ordinis: ergo nec remanet character. R. N. Conf. quia hoc non obstante est sufficiens ratio remanendi, in beatis quidem ad ornamentum: in damnatis vero ad confusionem. *Sicut etiam* inquit S. Th. p. 3. q. 63. a. 5. ad 3. *militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam*, & in his, qui vicerunt, *ad gloriam; & in his, qui sunt victi ad pœnam.*

Character sacramentalis remanet etiam post hanc vitam in Beatis & damnatis.

56 Dices 2. Habitus fidei & spei non remanent in damnatis: ergo nec character. R. N. Conf. disparitas est quod isti habitus ordinentur ad justificationem sintque principia actuum supernaturalium quorum damnati sunt incapaces, quod non convenit characteri.

§. IV.

De institutione & Ministro Sacramentorum.

Sacramenta omnia novæ legis immediate instituta sunt à Christo.

57 SAcramenta omnia novæ legis immediate stituta sunt à Christo. Est communis & ta, & juxta varios etiam de fide ex Trid. sess.7 C 1. sic loquente: *Si quis dixerit Sacramenta nova non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro insti anathema sit*. Vbi licet non addatur particula im diate, nihilominus subintelligenda est; quia hoc git proprietas sermonis; si enim aliqua tantum diate per Apostolos instituisset; non diceretur pliciter illa instituisse, sicut non dicitur institu Sacramentalia, quia dedit Ecclesiæ potestatem instituendi.

Nunquam fuit in Ecclesia potestas mutandi aliquid circa substantialia Sacramentorum multo minus novam instituendi.

Confir. 1. ex eo quod Concilium sess. 21. c.2. claret fuisse semper in Ecclesia potestatem varia tuendi & mutandi circa Sacramentorum dispen tionem; salva tamen eorum substantia: ergo agnoscit potestatem mutandi Sacramenta qu substantiam: ac proinde nec ea quoad substant instituendi, cum non minus sit instituere, quam tare. Ex eo quod sess.14. can. 1. expresse definiat tremam unctionem fuisse à Christo institutam,& Apostolo Iacobo solum promulgatam: ergo à tiori idem censet de aliis Sacramentis: quia si id bium foret de aliquo Sacramento, maxime esse extrema unctione.

58 Prob. 2. Ex Patribus apud Bellarm. Sua alios duorum testimonia referam Ambrosii & gustini primus diserte id asserit l. de Sacram. *Author Sacramentorum quis est nisi Dominus Ie* Idem alter supponit epist. 118. dum ait: *Priman nere te volo, Dominum nostrum Iesum Christum jugo suo nos subdidisse: unde Sacramentis numero cissimis, observatu facillimis, dignitate præstantiss servitutum novi populi colligavit*.

59 Prob. 3. Ratione: quia Sacramenta, om habent vim suam omnem ex Christi meritis: at

ad Christum spectabat merita sua illis applicare; ergo &c. deinde exigebat Sacramentorum Dignitas, & major illis veneratio concilianda, ut singula essent immediate à Christo instituta.

60 Dices 1. Sacramentum Extremæ Vnctionis videtur à Iacobo Apostolo institutum cap. 5. Epistolæ suæ catholicæ his verbis. *Infirmatur quis in vobis, inducat præsbyteros Ecclesiæ; & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, &c.* R. Verbis istis non contineri institutionem sed promulgationem istius Sacramenti: videturque fuisse in usu ante hanc promulgationem: nam Marc. 6. de Apostolis dicitur *Vngebant oleo multos ægros, & sanabant* quo facto, ait Trident sess. 14. cap. 1. Extremam unctionem fuisse insinuatam.

Sacramentum extremæ unctionis non fuit institutum ab Apostolo Iacobo, sed tantum promulgatum.

61 Dices 2. non reperitur in scriptura singulorum Sacramentorum institutio: ergo non sunt singula divinæ institutionis. R. 1. n. c. potest etiam divina institutio innotescere per traditionem. R. 2. vel explicite vel saltem implicite singulorum mentionem fieri in scriptura; Baptismi quidem Mat. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. Confir. Mat. 19. *Oblati sunt ei parvuli ut manus eis imponeret*. Eucharistiæ Mat. 26. Mar. 14. & Luc. 22. in ultima cœna. Pœnitentiæ Ioan. 20 *quorum remiseritis peccata* &c. Extremæ Vnctionis. Marci 6. *Vngebant oleo multos ægros & sanabant*, & Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis inducat præsbyteros &c.* Ordinis locis pro Eucharistia citatis. Quando ut tradit Trid. sess. 22. cap. 1. *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit*. Denique Matrimonii Matt. 19. ubi Christus dicit. *Quod Deus conjunxit homo non separet*.

62 Dices 3. Augustinus lib. 3. de doct. Christ. c. 9. de Sacramentis novæ legis sic loquitur: *quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatu castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina*: Ergo juxta August. partim a Christo partim ab Apostolis instituta sunt. R. N. cons. postremis enim illis verbis, *& Apostolica tradidit disciplina*.

Augustinus etiam intelligendus est de promulgatione non de institutione dum dicit aliqua.

tradita esse per disciplinam Apostolicam.

disciplina. Tantum vult Sacramenta à Christo instituta, fuisse ab Apostolis promulgata & explicata; idque denotat vox disciplina, quæ non institutionem significat sed magisterium docentis & explicantis.

63 Dices 4. S. Cyprianus lib. de ablutione pedum non longe à principio sic loquitur de Eucharistia; ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, in cæteris homines Spiritum S. habere Doctorem. R. 1 hunc librum non esse Cypriani, sed cujuspiam ignoti, ut observat Bellar. lib de Script. Eccles. 2. ly *in cæteris* non referri ad alia Sacramenta (nimis enim clarum est Baptismum fuisse à Christo institutum Mat. ult.) sed ad cæremonias & ritus accidentales qui observantur in confectione istius Sacramenti

De lege Dei ordinaria soli homines possunt esse ministri Sacramentorum.

64 De Lege Dei ordinaria soli homines possunt esse Ministri Sacramentorum novæ legis est communis & certa. Solis enim hominibus dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris &c. hoc facite in meam commemorationem: quorum remiseritis peccata &c.* Aliorum autem Sacramentorum eadem est ratio, & vero conveniebant ut ministri ordinarii Sacramentorum essent ejusdem naturæ cum ministro principali, qui est Christus: & cum eis qui possunt ea recipere, qui sunt soli homines.

65 Dices Nicephorus lib. 2. hist. Eccles. cap. 20. testatur Amphilochium fuisse ab Angelis ordinatum Episcopum & cæteros Episcopos ratam habuisse hanc ordinationem. Et Sabellicus lib. 2. cap. refert Onuphrium Anachoretam solitum Dominico quoque die Eucharistiam ab Angelo accipere. Aliique scriptores fide digni memorant B. Agnetem de montepolitiano, B. Catharinam Senensem, B. Stanislaum Societatis IESV quandoque ministrante Angelo sacra Eucharistia refectos. R. id non esse contra conclusionem quæ tantum asserit solos homines de lege Dei ordinaria esse ministros Sacramentorum: cum quo stat quod Angeli de lege Dei extraordinaria, & ex speciali ejus commissione possint etiam ministrare Sacramenta.

De lege Dei ordi-

66 Iuxta legem Dei ordinariam soli homines viatores possunt esse Ministri Sacramentorum: ita com.

communiter DD. Prob. 1. Quia Christus instituens Sacramenta & eorum Ministros designans, solos viatores alloquebatur. 2. Quia juxta eandem legem soli homines viatores possunt recipere Sacramenta: ergo & ea conficere aut ministrare. 3. Quia alioqui Episcopus damnatus posset alteri damnato conferre Sacramentum ordinis: & sacerdos damnatus panem & vinum à dæmonibus allatam convertere in Corpus & sanguinem Christi; si essent in inferno cum corpore: quæ absurda & falsa sunt.

naria solùm homines viatores possunt esse ministri Sacramentorum.

67 Dices Stapletonius in collectaneis de S. Thoma Apostolo refert anno 1120. quendam indorum Patriarcham Romam venisse, & Calixto 3. Papæ & Cardinalibus congregatis testatum esse dictum Apostolum quovis anno solitum esse Eucharistiam populo distribuere, sic tamen ut accedente aliquo indigno manum retraheret: atque in ea narratione videtur supponi Apostolum celebrasse, & hostias populo distribuendas consecrasse.

Potest tamen aliter fieri ex speciali Dei commissione.

R. si vera est hæc narratio, S. Thomam id tantum fecisse ex speciali Dei commissione, ut Ministrum extraordinarium. Quod autem additur de missa ob eo etiam celebrata & hostiis consecratis nullo modo videtur verisimile; quia non est credibile ipsum singulis annis resurrexisse aut esse etiam in cœlo cum corpore; sed tantum assumpsisse corpus aereum quale non sufficiebat ad consecrandum, quia ad hoc debuit esse homo.

68 Ad Valorem Sacramenti non requiritur fides in Ministro, est de fide contra varios hæreticos, quibus re necdum definita præivit Agrippinus Episcopus Carthag. quem secutus est S. Cyprianus Agrippini successor, multique alii Africæ Episcopi docentes invalidum esse baptismum ab hæreticis collatum; adeoque rebaptizandos ab iis baptizatos. Quem tamen errorem deposuit S. Cyprianus de eo reprehensus à Cornelio Papa, ut testatur Augustinus Epist. 84. ad Vincent. quod etiam facere plerique Africæ Episcopi, ut scribit Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Sed Donatistæ eum pertinaciter secuti sunt, etiam post Ecclesiæ definitionem, quos

Est de fide non esse necessarium fidem ministri ad valorem Sacramenti ut constat ex traditione Ecclesiæ, & definitione Trident.

secuti sunt Albigenses, VVicleffistæ aliique hæretici contra quos.

Prob. Concl. 1. ex antiqua Ecclesiæ traditione, quam contra S. Cyp. aliosque Africæ Episcopos adferunt Stephanus Papa, & Aug. lib. 2. contra Donatistas cap. 7. aliique Patres docentes neminem fuisse in Ecclesia ante Agrippinum qui oppositum teneret. 2. quia id definitum fuit in universali Concilio, ut testatur August. lib. 2. contra Donatistas cap. 4. & lib. 6. cap. 1. & 8. hoc autem universale Concilium non potuit esse aliud, quam Nicænum, ut definitum fuit in Later & novissime in Trid. sess. 6. cap. 4. de Bapt. 3. ratione, quia Sacramenta virtutem suam habent ex Passione & Meritis Christi, non autem ex fide aut meritis ministrorum, qui non suo sed nomine Christi ut Ministri principalis Sacramenta conficiunt.

De fide etiam est non requiri sanctitatem aut probitatem ministri ex Conc. Consta. & Trid.

69 Neque ad valorem Sacramentorum requiritur sanctitas aut probitas ministri. Est etiam de fide contra eosdem Donatistas & Albigenses, quorum errorem cumulans VVicleffus, etiam prædestinationem in Ministro requisivit. Prob. 1 ex Conc. Constan. sess. 8 & Trid. sess. 7. can. 10. id definientibus, 2. ex PP. Cypri. serm. de Baptismo, Chrysost. hom. 8. in 1. ad Cor. ac præsertim Aug. lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 10. ubi ait, *omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos suscipientibus*. 3. ratione, quia virtus Sacramentorum non pendet à meritis ministrorum, sed solius Christi. Et vero si valor Sacramentorum dependeret à probitate ministri, cum hæc desit in multis, Christus parum consuluisset Ecclesiæ suæ, & cum sit ignota, quilibet meritò dubitaret de valore Baptismi sui, absolutionis, & ordinationis &c.

Minister immundus non mundat virtute propria sed Christi ut Ministri principalis.

70 Dices 1. Ecclesiast. 24. dicitur ab immundo quis mundabitur, & infra qui baptizatur à mortuo, quid ei proderit lavatio ejus? R. nihil quidem posse mundari ab immundo ut tali, & virtute propria mundanti: verum minister immundus non mundat virtute propria, sed Christi ut ministri principalis.

Alter

Alter locus nihil facit ad rem ; quia non agitur ibi de baptiſmo noſtro; ſed de purificatione ab immunditia legali, quæ in lege veteri oriebatur ex contactu mortui.

Dices 2. Ioannis 20. Chriſtus dans Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata ait: *accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata &c.* ergo requirit Spiritum S. quem non habet infidelis aut exiſtens in peccato mortali, R. n. conſ. quia prædictis verbis tantum ſignificatur dari miniſtris in ſua ordinatione Spiritum S. ad hoc ut digne munere ſuo fungantur.

Dices 3. Actio Sacramentalis miniſtri exiſtentis in peccato mortali eſt peccaminoſa: ergo non poteſt movere Deum ad gratiam conferendam. R. diſtin. conſ. ex opere operantis conc. ex opere operato neg. quia ſic conſiderata eſt Chriſti ut miniſtri principalis.

Actio Sacramentalis Miniſtri mali excitat Deum ad gratiam conferendam quatenus ſit nomine Chriſti.

Dices 4. Stephanus Papa ſymoniace ordinatos à Formoſo prædeceſſore ſuo juſſit de novo ordinari: ergo cenſuit illos non fuiſſe valide ordinatos ob ſacrilegium in iſta ordinatione admiſſum. R. Stephanum quidem id feciſſe, & peccaſſe id faciendo; non tamen definiviſſe id faciendum.

71 Qui in ſtatu peccati mortalis ſacramentum conficit tanquam miniſter ad id conſecratus; aut ſpecialiter ab Eccleſia deputatus per ſe loquendo peccat mortaliter: eſt communis & certa prob. 1. ex Apoſt. 1. ad Tim. 3. ubi de Diaconis ait *& hi autem probentur primum ? & ſic miniſtrent nullum crimen habentes*, quanto ergo magis Sacerdotes tenentur ſine crimine miniſterium ſuum, quod longe ſublimius eſt implere: 2. ex Aug. lib. 2. contra epiſt. Parmen. capit. 10. dicente ſacramenta obeſſe indigne illa tractantibus. Et Greg. cap. *Quæſitum de temporibus ordinat.* Vbi decernit monendos eſſe ſacerdotes aliosque clericos iniquos & ſubinterminatione divini judicii obteſtandos ut ſi non pœnituerit *in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent*, 3. ratione, tum quia ſancta ſancte tractanda ſunt: tum quod miniſter Sacramentorum gerit perſonam Chriſti ut Miniſtri principalis.

Miniſter peccat mortaliter miniſtrando Sacramentum in ſtatu peccati mortalis.

Excipe laicum respectu Baptismi & quemlibet alium non solemniter Baptizantem.

72 Dixi 1. *tanquam minister ad id consecra* quia si non sit talis (ut accidit in Baptismo dum cus in necessitate baptizat: & in matrimonio in tentia docente conjuges esse ministros hujus Sa menti) communius docent Theologi hujusn ministrum non peccare mortaliter ministrantem cramentum in statu peccati. Ratio illorum est q absque consecratione aut speciali deputatione sit minister per se, sed tantum per accidens: la enim in necessitate baptizans, tantum id facit ir fectum Ministri ab Ecclesia deputati. Conjuges ro tantum sunt ministri Sacramenti Matrimonij quantum Christus civilem Matrimonij contracti quem per se faciunt, elevavit ad esse sacramenti dem dicunt de ministro deputato in necessitate l tizante sine solemnitate: quia tunc non agit ut nister specialiter ab Ecclesia deputatus. Ita expı S. Thomas p. 3. a. 69. ad 3. his verbis *in articulo tem necessitatis non peccaret baptizando in quo e possit laicus baptizare: si enim patet quod non e beret se ut ministrum Ecclesiæ; sed subveniret nec tatem patienti.*

Excipe etiam eum qui ignorat se esse in peccato, aut urgente necessitate non habet spatium procurandæ contritionis.

Dixi 2. aut specialiter ab Ecclesia deputatus; q respectu baptismi non est in Ministro specialis c secratio; sed tantum deputatio: censetur autem cialiter ab Ecclesia deputatus, qui solemni ritu ptizat.

Dixi 3. per se loquendo: quia per accidens po excusari à mortali, vel ratione invincibilis ignoı tiæ status sui: vel ratione repentinæ necessitatis urgentis, ut non relinquat Ministro spatium prc randæ contritionis, ut si infans ob periculum mo statim baptizandus sit, vel moribundus absolv dus.

73 Sacerdos aut Diaconus distribuens Cor Christi videtur peccare mortaliter, si id faciat e stens in mortali. Ita Theologi communius. Q licet tunc non conficiatur Sacramentum; videtur men gravis irreverentia committi erga Christ dum Minister ad id specialiter deputatus sancti mum ejus corpus dispensat in tali statu.

Ar

An autem tot peccata mortalia admittat quot hostias consecratas distribuit, controvertitur. Probabilius videtur unicum committere; quia morali consideratione singulæ hostiarum distributiones videntur facere unicam totalem Eucharistiæ distributionem. Hoc certum, reum talis dispensationis satisfacere in confessione si dicat se per unam atque alteram v.g. horam Eucharistiam in statu peccati distribuisse.

Peccat mortaliter qui distribuit corpus Christi in statu peccati mortalis.

74 Videtur tamen aliter sentiendum de eo qui in tali statu confessiones excipit; videlicet eum toties peccare mortaliter quoties absolvit, quia toties novum Sacramentuum conficit. Si tamen multos pœnitentes audierit, satisfaciet in confessione dicendo se per duas aut tres v.g. horas confessionibus audiendis vacasse: quia non est morale ut numerum pœnitentium tunc retineat.

Confessarius existens in mortali, tot peccata mortalia admittit, quod pœnitentes absolvit.

Quamvis Minister Sacramentorum reus peccati mortalis teneatur statum gratiæ procurare priusquam Sacramentum conficiat aut ministret; non tamen tenetur confessionem præmittere; sed satis est si eliciat actum contritionis. Ita DD. communiter. Excipe confectionem Eucharistiæ in Missa; cum enim Missam celebrans debeat communicare debet ex speciali præcepto Ecclesiæ prius confiteri si mortale aliquod admiserit.

75 Circa Sacramentalium confectionem ut sunt confectio Chrismatis, benedictio olei infirmorum, consecratio templorum, benedictio Abbatum, vestiũ Sacerdotalium aquæ lustralis, cinerum, palmarum, nuptiarum &c. communius docent Theologi non requiri in Ministro statum gratiæ sub mortali; quia non est unde paratur, tanta obligatio in his Sacramẽtalibus; cum nec exerceantur nomine Christi ut Ministri principalis: nec habeant vim sanctificandi animam ex opere operato. Varii tamen excipiunt confectionem Chrismatis, & benedictionem olei infirmorum 1. ex generali illo principio S. Th. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. *Quidquid homo quod sibi competit ex ordine, facit indigne; quod justum est injustè exequitur; ac per hoc mortaliter peccat;* atqui conficere Chrisma & bane-

Non requiritur status gratiæ ad sacramentalia licitè conficienda, varij tamen excipiunt confectionem Chrismatis & benedictionem olei infirmorum.

nedicere oleum infirmorum per se competit
Episcopali: ergo &c. 2. Quia licet in ista con
tione nullum fiat Sacramentum, fit tamen m
Sacramenti Confirmationis & Extremæ Vncti
& partialiter intuitu istius benedictionis con
gratia in istorum Sacramentorum administra
quia Chrisma & Oleum non est materia illoru
si ut benedictum.

Graves authores censent Diaconum ac Subdiaconum peccare mortaliter obeuntes in peccato propria ordinis sui ministeria.

76 Diaconum & Subdiaconum peccare mc
ter dum in mortali obeunt propria ordinis
steria tenent Sylvest. Navar. Tolet Sir. Mol. S
Gonet &c. quia Apost. 1. ad Timot. 3. agens d
conis inter alias conditiones requirit *ut mi*
nullum crimen habentes 2. quia S. Gregor. *cap.*
tum : de temporibus ordinat. generatim de c
improbis ait: *si non pœnituerint monendi sunt*
interminatione divini judicii obtestandi ut in te
nium suæ damnationis, in susceptis ordinibus no
nistrent. 3. quia videtur ita sentire S.Thomas
loco paulo ante citato generaliter pronun
Quidquid homo quod sibi competit ex ordine fac
digne, quod justum est injuste exequitur, ac p
peccat mortaliter.

Alij tamen communiter id negant: excepta distributione Eucharistiæ respectu diaconi.

Alii tamen communius contrarium sentiunt
in illorum ministeriis nulla intervenit confect
ministratio Sacramenti : excepta distributior
charistiæ respectu Diaconi. Apostolus verò &
gor. pro opposita citati intelligi possunt de cri
bus publicis. Et videtur certum quod in huju
criminibus ministrantes peccent mortaliter p
scandalum. Ratio autem S. Thomæ restringi
ad actus ordinis in quibus vel fit, vel ministrat
cramentum certe non potest in tota sua latit
accipi, alioqui enim comprehenderet etiam
mam tonsuram, & ministeria minorum ordinu
quæ nullus extendit istam sub mortali obligati

77 Nullo casu licitum est petere Sacrame
ab eo qui non habet necessariam aut legitima
testatem ad illud conferendum. Conclusio cer
quia hac petitione induceretur minister ad c
dum sacrilegè conficere Sacramentum ad que
ficie

ficiendum non habet necessariam potestatem.

78 Non licet etiam petere aut recipere Sacramentum à ministro non tolerato exceptis, baptismo & absolutione in articulo mortis. Hæc etiam conclusio certa est. Quia non licet alterum inducere ad id faciendum, quod sub gravi obligatione prohibetur facere.

Non licet petere aut recipere Sacramentum à ministro non tolerato; exceptis Baptismo, & absolutione in articulo mortis.

Dixi exceptis baptismo & absolutione in articulo mortis: quia hæc duo Sacramenta in tali articulo ob summam eorum necessitatem excipiuntur.

Petes quinam sint ministri non tolerati. R. eos solos jure communi post Concilium Constantiense & extravagantem Martini V. censeri tales qui sunt nominatim excommunicati aut suspensi & ut tales declarati; vel sunt notorii percussores clerici: quibus annumerandi sunt particularibus statutis plurium diœcesium publici fornicarii aut concubinarii, ita statuitur in diœcesi Camer. Atreb. Audom. Namur. Mechlin. &c.

79 Licitum est petere & recipére Sacramentum à ministro malo, sed tolerato, si ipsi ex officio incumbat illud ministrare, ut v. g. incumbit parocho respectu Parochiani. Quia id ab eo potens utitur jure suo & rem bonam petit, quam potest & debet alter benefacere. Si tamen possit commode idem Sacramentum ab altero Ministro bono accipere, tenetur ex charitate malum prætermittere quamvis ex officio obligatum ad illud ministrandum. Ita DD. communiter quo ad utrumque.

Licitum est petere Sacramentum à ministro malo si ex officio teneatur ad illud ministrandum.

Licitum etiam est ex causa rationabili petere & accipere Sacramentum à ministro malo tolerato licet ex officio non obligetur ad illud ministrandum, modo de se paratus sit id facere. Quia quod ab eo petitur honestum est & tale ut possis ab eo recte fieri. Nec tunc proprie inducitur ad faciendum id, quod prævidetur facturus cum peccato; quia, ut suppono ex se paratus erat ad id faciendum. Ita etiam DD. communiter.

Dixi 1. ex causa rationabili: quia absque tali causa non videtur id licitum cum id sit dare illi aliquo modo occasionem peccandi, censetur autem

Item si de se paratus sit ministr.

causa

re adsitque causa rationabilis petendi.

causa rationabilis, si v.g. urgeat præceptum c
nis annuæ, si lucrandum sit jubilæum, aut in
tia plenaria: si petens sit in statu peccati mort:
Dixi 2. modo paratus sit ad id faciendum
hoc secluso non sufficeret talis causa; sed req
tur necessitas.

Peccat mortaliter qui Sacramentum administrat indigno.

Ministrans Sacramentorum ex officio pecc:
taliter si illud ministret indigno. Est comm
certa 1. quia minister Sacramentorum tenet
liter dispensare sacramenta quæ illius cur:
missa sunt, juxta illud Apost. 1. ad Cor. 4. *Hic j*
ritur inter dispensatores ut fidelis quis in veniatur. 2
ministrando indigno cooperatur illius peccat
est illicitum.

Vt vitet peccatum non sufficit quod nescia
gnitatem suscipientis, sed requiritur ut cog
aut saltem merito præsumat ejus dignitatem
bitam ejus dispositionem: alioqui enim exp
se periculo ministrandi Sacramentum indign

Non est repellendus occulte indignus si non possit id fieri absque scandalo.

Quod si peccator sit occultus nec possit re
susceptione sacramenti nisi cum gravi ejus in
& aliorum scandalo, censent communiter DD
non esse repellendum Quia non licet infamai
ximum & alios scandilizare. Nec tunc cen
est cooperari ejus peccato; quia non potest illi
pedire nisi faciendo id quod ipsi non licet.

81 An autem idem dicendum sit de minist
consecrato v. g. de laico conferente Baptismun
conjugibus in sententia communi quod sint M
Sacramenti Matrimonii, controvertitur. Et q
quod spectat ad primum; videtur quod sic, vid
Laicum peccare mortaliter si baptismum co
indigno. Quamvis enim Minister consecrat
beat majorem obligationem sacramenta fideli
spensandi quam non consecratus: hic tamen v
etiam ad id obligatus quando reipsa Sacrame
baptismi dispensat. Deinde altera ratio non c
randi peccato alterius habet etiam locum re
ministri non consecrati.

82 Aliter tamen sentiendum est de conjug
Supposito suppositо quod sint ministri sacramenti matrin
nem

nempe conjugem scienter contrahentem matrimonium cum conjuge existente in mortali, adeoq; ministrantem hoc Sacramentum indigno, per hoc præcisè non peccare. Ita communius Theologi, Colligitur id efficaciter ex praxi Ecclesiæ ac Summorum Pontificum, qui sæpius justas ob causâs dispensarunt ut Catholici inirent conjugia cum hæreticis. Et in variis provinciis Germaniæ in quibus Catholici permixti sunt cum hæreticis, sæpe accidit ut Catholicus ducat hæreticam, vel contra, videntibus & consentientibus Prælatis. Non essent autem istæ dispensationes, aut consensus liciti si conjuges Catholici contrahentes cum hæreticis adeoque indignis Sacramentum Matrimonii ministrantes, per hoc peccarent, Ratio autem hujus rei est, quod conjuges sibi invicem ministrent Sacramentum Matrimonii tantum indirectè & velut per accidens, in quantum scilicet ineunt civilem matrimonii contractum, qui à Christo elevatus est ad esse Sacramentale. In baptismi autem administratione per se & directè fit actio aliqua quæ ex primaria sui institutione Sacramentalis est. Ex quo apparet disparitas.

quod contrahentes matrimonium sint ministri hujus Sacramenti, non peccat mortaliter præcise per hoc quod illud ministrent indigno: quia illud tantum ministrant indirectè & velut per accidens.

Quamvis autem Catholicus ducens hæreticam, vel Catholica hæreticum non peccet ex eo præcisè, quod Sacramentum Matrimonii minister indigno: peccat tamen graviter 1. si sit periculum subversionis in fide. 2. si id faciat contra prohibitionem Ecclesiæ, qualis est in regionibus ex omni parte Catholicis. 3. Si adsit aliorum scandalum, quale solet esse in dictis regionibus.

Ad valorem Sacramenti requiritur aliqua saltem intentio id faciendi quod facit Ecclesia aut instituit Christus.

Certum est ad valorem Sacramenti requiri aliquã intentionem Ministri: alioquin enim ebrius, vel amens, imò & dormiens posset conficere Sacrãmentum; quod nullus etiam hæreticus dixerit. Quid autem debeat intendere controvertitur. Lutherani volunt sufficere si minister præcise intendat ponere ipsam externam actionem Sacramenti, etiamsi jocosè & irrisoriè illam ponat. Aur. Cath. Scrib. & quidam alii Doct. Cath. censent satis esse si minister præcisè intendat ponere actionem Sacramenti, eo modo quo exterius ponitur in Ecclesia; nec esse necessarium,

ut

re adsitque causa rationabilis petendi.

causa rationabilis, si v.g. urgeat præceptum cōfessionis annuæ. si lucrandum sit jubilæum, aut indulgentia plenaria: si petens sit in statu peccati mortalis &c.

Dixi 2. modo paratus sit ad id faciendum: quia hoc secluso non sufficeret talis causa; sed requireretur necessitas.

Peccat mortaliter qui Sacramentum administrat indigno.

Ministrans Sacramentorum ex officio peccat mortaliter si illud ministret indigno. Est communis & certa 1. quia minister Sacramentorum tenetur fideliter dispensare sacramenta quæ illius curæ commissa sunt, juxta illud Apost. 1. ad Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* 2. Quia ministrando indigno cooperatur illius peccato; quod est illicitum.

Ut vitet peccatum non sufficit quod nesciat indignitatem suscipientis, sed requiritur ut cognoscat; aut saltem merito præsumat ejus dignitatem seu debitam ejus dispositionem: alioqui enim exponeret se periculo ministrandi Sacramentum indigno.

Non est repellendus occulte indignus si non possit id fieri absque scandalo.

Quod si peccator sit occultus nec possit repelli à susceptione sacramenti nisi cum gravi ejus infamia & aliorum scandalo, censent communiter DD talem non esse repellendum Quia non licet infamare proximum & alios scandilizare. Nec tunc censendus est cooperari ejus peccato; quia non potest illud impedire nisi faciendo id quod ipsi non licet.

81 An autem idem dicendum sit de ministro non consecrato v.g. de laico conferente Baptismum: & de conjugibus in sententia communi quod sint Ministri Sacramenti Matrimonii, controvertitur. Et quidem quod spectat ad primum; videtur quod sic, videlicet Laicum peccare mortaliter si baptismum conferat indigno. Quamvis enim Minister consecratus habeat majorem obligationem sacramenta fideliter dispensandi quam non consecratus: hic tamen videtur etiam ad id obligatus quando reipsa Sacramentum baptismi dispensat. Deinde altera ratio non cooperandi peccato alterius habet etiam locum respectu ministri non consecrati.

Supposito

82 Aliter tamen sentiendum est de conjugibus, supposito quod sint ministri sacramenti matrimonii, nempe

nempe conjugem scienter contrahentem matrimonium cum conjuge existente in mortali, adeoq; ministrantem hoc Sacramentum indigno, per hoc præcisè non peccare. Ita communius Theologi, Colligitur id efficaciter ex praxi Ecclesiæ ac Summorum Pontificum, qui sæpius justas ob causàs dispensarunt ut Catholici inirent conjugia cum hæreticis. Et in variis provinciis Germaniæ in quibus Catholici permixti sunt cum hæreticis, sæpe accidit ut Catholicus ducat hæreticam, vel contra, videntibus & consentientibus Prælatis. Non essent autem istæ dispensationes, aut consensus liciti si conjuges Catholici contrahentes cum hæreticis adeoque indignis Sacramentum Matrimonii ministrantes, per hoc peccarent, Ratio autem hujus rei est, quod conjuges sibi invicem ministrent Sacramentum Matrimonii tantum indirecte & velut per accidens, in quantum scilicet ineunt civilem matrimonii contractum, qui à Christo elevatus est ad esse Sacramentale. In baptismi autem administratione per se & directe fit actio aliqua quæ ex primaria sui institutione Sacramentalis est. Ex quo apparet disparitas.

quod contrahentes matrimonium sint ministri hujus Sacramenti, non peccat mortaliter præcise per hoc quod illud ministrent indigno: quia illud tantum ministrant indirecte & velut per accidens.

Quamvis autem Catholicus ducens hæreticam, vel Catholica hæreticum non peccet ex eo præcisè, quod Sacramentum Matrimonii minister indigno: peccat tamen graviter 1. si sit periculum subversionis in fide. 2. si id faciat contra prohibitionem Ecclesiæ, qualis est in regionibus ex omni parte Catholicis. 3. Si adsit aliorum scandalum, quale solet esse in dictis regionibus.

Certum est ad valorem Sacramenti requiri aliquã intentionem Ministri: alioqui enim ebrius, vel amens, imò & dormiens posset conficere Sacrãmentum; quod nullus etiam hæreticus dixerit. Quid autem debeat intendere controvertitur. Lutherani volunt sufficere si minister præcise intendat ponere ipsam externam actionem Sacramenti, etiamsi jocosè & irrisoriè illam ponat. Aur. Cath. Scrib. & quidam alii Doct. Cath. censent satis esse si minister præcisè intendat ponere actionem Sacramenti, eo modo quo exterius ponitur in Ecclesia; nec esse necessarium,

Ad valorem Sacramenti requiritur aliqua saltem intentio id faciendi quod facit Ecclesia aut instituit Christus.

ut intendat conficere Sacramentum, vel facere quod Christus instituit, aut facit Ecclesia. Alii autem communiter docent id etiam requiri.

84. Ad valorem Sacramenti necessaria est in ministro intentio aliqua id saltem faciendi quod facit Ecclesia, est de fide: tum ex Florentino in decreto de Sacram. dicente Sacramenta tribus perfici, videlicet materia, forma & intentione ministri tum ex Trid. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in ministris dum Sacramenta conficiunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: anathema sit.*

Agens nomine alterius debet aliquo modo intendere id facere, quod alter voluit fieri nomine suo.

Hæc veritas multiplici etiam ratione evincitur 1. Quia conficiens & ministrans Sacramentum agit ut Minister Christi: atqui nullus agit ut minister alterius, nisi saltem aliquo modo intendat facere, quod alter voluit fieri nomine suo ergo &c. 2. Quia actiones sacramentales, sunt actiones quædam morales: atqui ad actionem moralem requiritur aliqua intentio: ergo &c. 3. Quia verba formæ non sunt speculativa, sed practica seu operativa ejus quod significant: atqui non possunt esse talia nisi in proferente adsit potestas & intentio id faciendi: quia in hoc differunt verba practica à speculativis seu pure significativis, quod hæc à quocumque & quomodocumque proferantur semper idem significent: illa vero ad suum effectum requirant potestatem & intentionem in proferente. Vnde qui exterius profert formam contractus, si non habeat intentionem contrahendi, nihil operatur.

Non sufficit intentio ponendi externam actionem sacramentalem, sed debet aliquo modo intendere id quod per eã intendit Ecclesia.

Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio faciendi materialiter quod facit Ecclesia, hoc est ponendi actionem sacramentaliter prout exterius ponitur in Ecclesia, ut volunt authores supra citati; sed requiritur intentio aliqua idem faciendi formaliter; hoc est id faciendi quod intendit Ecclesiæ fieri per externam actionem Sacramentalem; ut communiter docent Theologi.

Prob. 1. quia Florentinum in decreto de Sacram. cum dixit in casu necessitatis quemlibet etiam paganum validè baptizare, modo servet formam Ecclesiæ; addit *& intendat facere quod facit Ecclesia*: ergo

supra

supra intentionem pronunciandi formam, requirit etiam intentionem faciendi quod facit Ecclesia per istam formæ pronuntiationem. 2. Quia Trid. sess. 14. cap. 6. ut pœnitens valide absolvatur requirit in Sacerdote animum serio agendi & vere absolvendi: ergo juxta Trid. non sufficit si exterius pronunciet formam absolutionis prout pronunciatur in Ecclesia, sed insuper requiritur animus seu intentio verè absolvendi, 3. Quia rationes allatæ pro priori conclusione, hanc etiam probant, ut consideranti patebit.

85 Dices 1. Aug. lib. 7. de Bapt. contra Donast. cap. 54. existimat valiturum baptismum quamvis fallaciter & simulate collatum. Et dubitat an non etiam valeret quamvis omnia in eo fuissent jocula-riter & mimice peracta. Atqui nec primum dixisset, nec de secundo dubitasset, si credidisset necessarium esse in baptizante intentionem vere baptizandi: ergo &c. & tract. 5. in Ioan. sub finem dicit se non timere ministrum ebrium in susceptione Baptismi, sed attendere ad Christum baptizantem: atqui in ebrio non est intentio ergo &c.

Augustin. contrarium insinuans sub mittit judicium suum futuræ circa hoc Ecclesiæ definitioni.

R. tempore Augustini necdum id fuisse definitum; ac proinde Augustinum non peccasse ita sentiendo; maxime cum ita declaret judicium ac dubium suum de hac re ut illud submittat Ecclesiæ definitioni, dicens se lubenter auditurum & secuturum sententias Patrum aliquid circa hoc in Concilio definientium. Cum ergo res hæc jam sit definita in pluribus conciliis generalibus, censeri debet Augustinus ad communem Ecclesiæ sensum accessisse.

Ad alterum ejus locum dico legendum non ebrium, sed ebriosum; & ita legi in correctis exemplaribus; tantumque velle mores pravos baptizantis nihil obstare valori baptismi.

86 Dices 2. Innocentius IV. in lib. 3. Decret. cap. 2. dicit baptismum esse ratum *licet minister gerat in mente non facere quod facit Ecclesia*, & Nicolaus I. *cap. à quodam Iudæo de consecr. dist.* 4. consultus a Bulgaris de baptizatis à quodam Iudæo de quo dubitabatur an esset Christianus, respondit non esse re-

Innocentius tantum vult non esse necessarium ut minister intendat effe-

bapti-

ctum sacramenti, quem intendit Ecclesia.

baptizandos modo Iudæus iste debitam formam adhibuerit.

R. Innocentium nihil aliud velle, quam non esse necessarium ut minister intendat idem quod Ecclesia quantum ad effectum Sacramenti; & valiturum Baptismum, etiamsi putaret baptismum nihil operari. Satis autem significat necessarium esse, ut minister intendat facere, quod facit Ecclesia, quantum ad ipsam actionem sacramentalem, dum verbis citatis subjungit, *dummodo intendat baptizare*. Nicolaus autem licet intentionis non meminerit, sed solius formæ; ipsa tamen intentio subintelligenda est, uti & applicatio materiæ: cum certum sit solam formam non sufficere.

Baptismus ab Athanasio puero per jocum collatus, approbatus fuit ut validus quia jocando intenderat facere quod facit Ecclesia.

87 Dices 3. Baptismus ab Athanasio adhuc puero pueris per jocum collatus approbatus fuit ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, & S. Genesius de quo Martyrologium Romanum sanctificatus fuit per Baptismum mimicè in theatro acceptum ad irrisionem Christianorum. Vt referunt Zozomen lib. 2. c. 16. & Nicephor. lib. 8. cap. 44

R. Posse aliquem dupliciter sacramentum aliquod v.g. baptismum conferre per jocum: primo sic, ut non intendat illud conferre, sed tantum jocari, & simulare. Secundo sic, ut actionem quidem sacramentalem referat ad jocum & animi recreationem, illam tamen ponat cum intentione faciendi id quod vidit facere Ecclesiæ ministros, quos per jocum imitatur. Baptismus primo modo per jocum collatus non valeret; secus, secundo. Et hoc modo Athanasius adhuc puer, baptismum per jocum consodalibus pueris contulit, ideoque judicatus est validus.

Quantum autem ad Genesium spectat, qui cum mimus esset & Christianorum sacris in theatro illuderet spectante Diocletiano, dicendum subito illum Deo inspirante immutatum, baptismum non ficte, sed syncere petiisse: ministrum vero theatricum etsi per jocum ipsum baptizarit, voluisse tamen imitari & facere, quod solebant Ecclesiæ ministri quos irridebat; atq; ita non defuisse sufficientem intentionem. Sunt qui dicunt ipsum aqua aspersum & ba-

Non defuit etiam in baptismo Genesii aliqua intentio ministri faciendi id quod

& baptizatum à Sacerdote forte illic præsente, & conversionem ejus observante.

88 Dices 4. S. Th, p.3. q.64. a. 5. ad 2. respondens ad quæstionem factam de incertitudine salutis nostræ, si ad validitatem sacramenti requireretur intentio ministri, rejectis quorundam opinionibus sensum suum exponit his verbis: *& ideò alii melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister. In verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum*. Idem habet in 4. dist. 6. q.1. a.2. q.1. ad 2.

facit Ecclesia, licet id fieret ad irrisionem Christianorum.

R. his quidem verbis non parum favere contrariæ sententiæ: non minus tamen aperte stare pro nostra ibid. ad primum; ubi dicit in ministro Sacramenti requiri intentionem, *qua se subijciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia*. Et art. 10. in O. expresse requirit ut minister intendat conferre Sacramentum; nec valere si quis deriforiè agat, præcipue, inquit, *quando suam intentionem exterius manifestat*. Non parum etiam nobis favet in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ubi sic habet: *dicendum quod hæreticus aut quicumque infidelis debitam formam servat, & intentionem baptizandi habet, verum Sacramentum confert*. Ne igitur sibi ipsi sit contrarius dico S. Doctorem objectis verbis nihil aliud velle quam non requiri expressam & explicitam intentionem conficiendi sacramentum: aut id faciendi quod facit Ecclesia: sed sufficere implicitam & virtualem in eo contentam quod quis velit sacramentum conferre ut Christi Minister & Ecclesiæ; vel facere quod facit ille: hoc ipso enim implicitè & virtualiter idem intendit quod Ecclesia. Et meritò semper præsumitur hæc intentio, nisi exterius contrarium appareat.

S. Thomas variis locis tradit sententiam nostram.

89 Dices 5. Si valor Sacramentorum penderet ab intentione Ministri, 1. fideles essent incerti de validitate Sacramenti suscepti, v.g. baptismi, absolutionis &c. 2. possent damnari propter malitiam ministri carentis debita intentione.

Necessitas intentionis in ministro impedit quo minus

moraliter certi simus de valore sacramenti.

Ad 1. R. haberi sufficientem certitudinem hoc ipso quo omnia exterius debite facta sunt: non est enim tunc occasio suspicandi defuisse debitam intentionem; cum hæc possit facillime haberi & defectus ejus non possit prodesse ministro. Ad 2. dico idem posse aliunde contingere, ut si minister vel formam corrumperet, vel debitam materiam non adhiberet, vel absolute Sacramentum denegaret. Sed vix potest contingere ut minister eo malitiæ deveniat, ut velit alterum perire ex aliquo suo defectu nullo modo sibi utili.

Dices 6. Sacramenta causant effectum suum ex opere operato: atqui hoc esset falsum si requireretur intentio ministri; quia tunc conferatur etiam gratia intuitu istius intentionis. R. non conferendam gratiam intuitu istius intentionis quatenus est actio meritoria ipsius ministri; sed quatenus ex Christi institutione requiritur ad validam cõfectionem Sacramenti; quod est operari ex opere operato.

Sacramenta sunt signa gratiæ non speculativa sed practica ideoque requirunt intentionem ministri.

90 Dices 7. Sacramenta sunt signa gratiæ: sed signa habent suam significationem independenter ab intentione utentis signo, aut illud applicantis: ergo &c. R. dist. ma sunt signa practica gratiæ conc. speculativa nego. Signa autem practica non possunt efficere id quod significant nisi dependenter ab intentione ejus, qui illis utitur. Ita quamvis verba quibus initur aliquis contractus habeant suam significationem velut speculativam independenter ab intentione contrahentis; non tamen practicam seu effectivam ejus quod significant.

Operantur ut medicamenta non physica sed moralia.

91 Dices 8. Sacramenta operantur ut medicamenta; quia revera sunt medicamenta quædam spiritualia: sed medicamenta operantur independenter ab intentione applicantis: ergo &c. R. Sacramenta operari non ut medicamenta physica quæ virtutem curandi habent ab intrinseco; sed ut moralia quæ vim suam habent ab extrinseco videlicet ab institutione Christi, qui etiam requisivit intentionem ministri, ut satis ex probationibus nostris colligitur.

Dices 9. in agente instrumentali sufficit intentio agentis principalis sed minister Sacramenti est tantum

tum

tum agens instrumentale: Christus autem principale: ergo sufficit intentio quam Christus habuit dum Sacramenta instituit. R. majorem tantum veram esse de instrumentis physicis, non moralibus. Ministri autem Sacramentorum sunt instrumenta moralia, qui non possunt moraliter agere sine intentione.

Dices 10. partes essentiales Sacramenti sunt res & verba: Sacramentum enim componitur ex rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ut supra dictum est n. 17. sed hæc duo habentur independenter ab intentione ministri ergo &c. R. partes essentiales Sacramenti esse res & verba non unde & physice posita, sed moraliter cum debita intentione.

Res & verba sunt partes essentiales sacramenti, non more physicè, sed moraliter posita.

92 Dices 11. Baptismus hæreticorum censetur validus: atqui hæretici non habent intentionem à nobis requisitam, cum illam rejiciant ut superfluam ergo &c. R. neg. mi cum enim velint Baptismum conferre eo modo quo debet conferri ex Christi institutione, confuse saltem & implicite intendunt id quod requirimus. Nec desineret eorum Baptismus esse validus, etiamsi nollent facere quod facit Ecclesia Romana; quia licet sit vera Christi Ecclesia illam tamen ipsi non habent ut talem: unde in ipsis stant hæc duo nolle facere quod facit Ecclesia Romana; & velle facere, quod facit vera Christi Ecclesia, quam putant esse v.g. Lutheranam.

Stant hæc duo in hæretico nolle facere quod facit Ecclesia Romana: & velle facere, quod facit vera Christi Ecclesia, quam putant v. g. esse Lutheranum

93 Dices 12. licet Episcopi antequam ordines conferant protestentur se nolle ordinare excommunicatos, aut non habentes facultatem à suis superioribus, aut carentes vero titulo; nihilominus si qui sint occulte tales non desinunt valide ordinari: atqui in istis Episcopis non est intentio illos ordinandi: ergo &c.

R. Si ista intentio generalis non ordinandi tales perseveraret in singulorum ordinatione, reipsa qui essent tales non valide ordinarentur. Quia vero nullo post examen reperto tali singulos absolute absque illa conditione ordinat, non desinunt valide ordinari qui occulte tales sunt, licet ipso jure suspensi sint ab exercitio suscepti ordinis.

94 Dices 13. Intentio Ministri non potest habere

Intendens sacramentum non intendit intentionem suam distinctè sed tantum confusè, in quantum ipsa aliquo modo includitur in sacramento: in quo nihil est absurdi.

seipsam pro objecto: sed hoc fieret in nostra sententia dum Minister intenderet Sacramentum, quia hoc intendendo intenderet ponere omnia quæ sunt necessaria ad illud conficiendum, inter quæ unum esset intentio Ministri: ergo &c. R. dist. ma. intentio Ministri non potest habere seipsam pro objecto distinctè conc. confusè neg. intentio Ministri volentis conficere Sacramentum distinctè tendit in ipsum Sacramentum; & confusè tantum in ea quæ sunt necessaria ad valorem Sacramenti, in quantum scilicet vel in eo includuntur, vel ab eo supponuntur, inter quæ cum unum sit intentio Ministri, ipsa quodammodo confusè intenditur, dum Sacramentum intenditur. Sed in eo nihil absurdi est, & in multis aliis accidit. Ita qui intendit contractum validum confuse intendit intentionem suam, in quantum ipsa requiritur ad valorem contractus. Ità definitio definitionis in genere habet seipsam confusè pro objecto, in quantum ipsa confuse includitur in definitione in genere. Et cognitio qua cognosco cognitionem in genere, habet seipsam confuse pro objecto cum sit aliquid confusè contētum sub ratione cognitionis in genere.

Non est necessaria intentio expressa sacramenti; sed sufficit confusè; qua intendatur fieri quod fit à Ministris Ecclesiæ.

95 Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio expressa & distincta qua scilicet Minister intendat Sacramentum sub proprio & distincto ejus conceptu; sed sufficit confusa qua v.g. intendat id facere quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit, aut quod vidit Parochum facere; ita DD. communiter. Alioqui enim contra praxim Ecclesiæ rebaptizandi essent, qui baptizati fuissent ab imperitis & rudibus, licet adhibuissent debitam materiam & formam, quandoquidem plerumque non noverunt saltem distinctè quid sit Baptismus. In ministris tamen ordinariis ad licitam Sacramentorum administrationem requiritur ut aliquo modo distinctè cognoscant in quo sita sit essentia cujusque Sacramenti quod ministrant: quis sit illorum finis: quo ritu ministrentur, &c.

Neque necessaria est actualis, sed

96 Neque requiritur actualis intentio, licet sit optima; sed sufficit virtualis. Ita etiam DD. communiter: quia alioqui Sacramenta ob instabilem ima-

imaginationis & frequentes inde animi evagationes plerumque essent invalida. Non est autem credibile, Christum sic instituisse Sacramenta, maximè ea quæ sunt absolute ad salutem necessaria, ut tam facile exponerêtur periculo nullitatis defectu intentionis. Collige Sacerdotem ex intentione consecrandi induentem se vestibus sacris, missam inchoantem & prosequentem valide consecrare, quamvis in ipso actu consecrationis, aut etiam tempore præcedenti ita distrahatur, ut non cogitet de consecratione: talis enim licet non habeat intentionem actualem consecrandi, habet tamen virtualem.

sufficit virtualis.

97 Petes in quo censeatur virtualiter permanere prima illa actualis intentio Sacramentum conficiendi; R. multos cum Suare censere illam virtualiter permanere in ipsis externis potentiis ut per eam applicatis ad Sacramentum certa actionum serie non interrupta peragendum. Verum difficile est intelligere, quomodo potentiæ externæ ex sola applicatione præterita, absque ulteriori directione potentiæ superioris possint determinari ad tot motus, totque actiones perpetua serie sibi invicem succedentes ordinate peragendas. Ideo dicendum videtur semper intervenire tenues aliquos actus vel imaginationis, vel appetitus sensitivi, ut vult Coninch; vel etiam intellectus & voluntatis, ut Lugo, vi prioris intentionis excitatos, quibus prædicti motus & actus dirigantur. Vel potius vi istius intentionis sufficienter excitari species peragendorum in confectione Sacramenti, & ab iis dirigi totam actionem Sacramentalem. Nec refert quod hujusmodi specierum excitationes aut actus non percipiãtur sensibiliter: id enim accidit ex eorum tenuitate, frequentia, ac facilitate.

Censetur autem virtualiter permanere quando vi prioris intentionis certa actionum serie fit id quod erat intentum.

98 Inferes ergo Sacerdos qui inter celebrandum incideret in amentiam & nihilominus vi prioris intentionis & specierum ab ea excitatarum pergeret & proferret verba consecrationis, verè cõsecraret, quia in eo haberentur ea omnia, quæ habentur in distracto. R. neg. illat disparitas est inter illum & distractum; quod in distracto prior intentio perseveret virtualiter moraliter: in amẽte autem tantum virtuali-

ter physice: quia ratione amentiæ factus est incapax omnis actus moralis. Ita qui inter somniandum aliquid recitat, non censetur hæc recitatio moralis ut in vigilante; licet fiat virtute earundem specierum excitatarum.

Non sufficit intentio interpretativa.

99 Non sufficit tamen intentio interpretativa; quia hæc non est tam intentio quam præsumptio intentionis: sive non est intentio quæ sit, sed quæ esset, si res proponeretur. Nec sufficit indirecta, qua res in altero intenditur ex quo prævidetur secutura, alioqui enim Sacerdos ebrius valide baptizaret; si prævidisset se in ebrietate baptizaturum: quia tunc indirecte Baptismum intendisset: sicut censetur indirectè velle homicidium, qui inebriat se illud prævidens, neque sufficit mere habitualis, sive sumatur pro intentione quæ fuit & non est retractata: quia talis intentio cum non sit amplius nec in se, nec in sua virtute non potest influere in confectionem Sacramenti: alioqui enim Sacerdos amens aut dormiens aut ebrius, qui ex tali habitu pronunciaret formam consecrationis, vere consecraret. Ita quoad hæc omnia DD. communiter.

S. Thomas sumit habitualem pro virtuali.

Nec contrarium docet S Thomas dum p. 3. q. 64. a. 8. ad 3. ait: *Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*: quia illic sumit habitualem pro virtuali ex usu tunc recepto, ut notat Cajetan. aliique D Tho. interpretes in hunc locum. Nec desunt qui putent per librariorum incuriam irrepsisse habitualem pro virtuali. Ita sentit & probat P. Nicolai in suis Scholis ad hunc articulum.

100 Petes an sufficiat conditionata. R. cum distinctione, si conditio sit de futuro contingenti non sufficit; quia talis intentio non potest pro præsenti influere in Sacramentum; cum non sit pro præsenti efficax; sed efficacia ejus pendeat à conditione futura. Neque enim posteà influet impleta conditione, quia tunc non erit amplius forma & materia Sacramenti, sine quibus non potest haberi Sacramentum. Si autem conditio sit de præsenti vel præterito & subsistat, sufficiens est ad Sacramentum; quia hoc

ipso

ipso quod subsistit conditio, transit in absolutam.

101 In adulto recipiente Sacramentum, ut validè illud recipiat, requiritur saltem ut non habeat intentionem contrariam seu repugnantem receptioni sacramenti. Est communis & certa, tum ex communi sensu Ecclesiæ. Tum ex cap. majores, de Baptismo: dicitur: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.* Id etiam ratio persuadet: quia pleraque Sacramenta inducunt aliquam obligationem ac nominatim Baptismus servandi legem Christi, non est autem æquum ut quis gravem obligationem suscipiat contra voluntatem suam.

In adulto recipiente sacramentum requiritur saltem ut non habeat intentionem contrariam.

102 Dices 1. can. de Iudæis dist. 45. dicuntur Iudæi, qui coacti fuerant ad Baptismum suscipiendum, obligandi ad servandam legem Christianam: quamvis prohibeatur ne deinceps inviti baptizentur R. id intelligendum de Iudæis metu coactis ad consentiendum; ita ut verè invenerit illorum consensus in Baptismum, non autem de Iudæis sic coactis, ut illis etiam nolentibus & reclamantibus Baptismus fuerit collatus.

Dices 2. Aug. tract. 26. in Ioan. sic loquitur: *Accipere quisquam sacramentum potens nolens, credere non potest nisi volens.* R. hoc Augustini dictum accipiendum esse de Sacramento Eucharistiæ, quod quia consistit in re permanenti, hoc ei speciale est ut possit realiter suscipi etiam à renitente. Talis tamen susceptio non esset formaliter sacramentalis defectu consensus. Quando autem lib. 7. contra Donatist. cap. 53. censet Baptismum fallaciter receptum esse validum; per ly fallaciter non excludit consensum, sed debitam tantùm animi dispositionem, quam quis simulat & non habet.

Augustin. non est nobis contrarius.

103 Non sufficit in adultis negatio contrariæ voluntatis, sed requiritur positiva aliqua voluntas Sacramentum recipiendi. Ita DD. communiter contra Cajet. & Ledes. Prob. 1. ex Conc. Carthag. can. 3. ubi dicitur: *Ægrotantes si pro se respondere non possint; cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur.* Et Arausi. can. 11. dicente, *subito obmutescens, prout*

Non sufficit negatio contrariæ voluntatis sed requiritur positiva voluntas re-

cipiendi Sacramentum.

ſtatutum eſt, baptizari & pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet. 2. ex praxi Eccleſiæ, & nominatim ex Rituali Romano; ubi adulti, qui aliquando habuerunt uſum rationis, prohibentur baptizari, ſi non oſtenderint voluntatem Baptiſmi ſtante uſu rationis. Quod autem in dictis Conciliis & Rituali dicitur de Baptiſmo, id utique à fortiori extendendum eſt ad alia Sacramenta, quæ non ſunt tam neceſſaria ac Baptiſmus. 3. ratione: quia Sacramenta inſtituta ſunt ad ſanctificationem noſtram: convenit autem ut nullus adultus ſanctificetur, niſi conſentiat in ſuam ſanctificationem. Deinde aliqua ex illis inducunt novã obligationem, eamque gravem; non videtur autem æquum ut quis eam incurrat abſque conſenſu ſuo.

Innocentius non excludit habitualem voluntatem, ſed tantum actualem.

104 Dices 1. Innocentius 8. cap. majores de Baptiſmo videtur docere contrarium his verbis: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*. R. verba iſta Innocentii non eſſe intelligenda de ſimplici carentia contrariæ voluntatis; ſed de carentia conjuncta cum habituali voluntate Baptiſmi non retractata: ita ut tantum velit non requiri actualem Baptiſmi voluntatem, ſed ſufficere quod illam priùs habuerit, & non retractaverit per contrariam voluntatem. Hic ſenſus colligitur ex verbis præcedentibus: immediate enim ante dixerat dormientes & amentes, quando in eo ſtatu baptizantur, characterem Baptiſmi ſuſcipere. *Si priùs Catechumeni extitiſſent, & propoſitum Baptiſmi habuiſſent*. Quibus verbis manifeſte requirit habitualem aliquam Baptiſmi voluntatem, docetque eam ſufficere, quando non adeſt contraria voluntas.

Florentinum tantum adfert ea quæ ſemper requiruntur ad valorem Sacramenti.

105 Dices 2. Florent. tria tantum requirit ad valorem Sacram. videlicet, materiam, formam, & intentionem miniſtri, nulla facta mentione intentionis ex parte ſuſcipientis. R. Concilium ea tantum adferre, quæ generaliter & in omni caſu requiruntur: qualis non eſt intentio ſuſcipientis, ut patet in Baptiſmo parvulorum.

Dices 3. Aug lib. 4. Conf. cap. 4. refert cuidam amico

co ſuo ægrotanti, & mente diſtituto collatum fuiſſe Baptiſmum. R. id factum, quia antea oſtenderat aliquam voluntatem Baptiſmi: quamvis enim id non dixerit: meritò tamen ſupponitur.

Dices 4. S. Tho. in 4. diſtinct. 6. q. 1 a. 2. quæſtiunc. 3. dicit ſufficere ut adulti carentes uſu rationis percipiant Sacramentum Baptiſmi, ſi eis non inſit habitu contraria voluntas. R. S. D. variis locis clare ſententiam noſtram tradere. Nam p. 3. q. 78. a. 7. expreſſe docet: *Si adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Baptiſmum, eſſet rebaptizandus* & a. 12. de amentibus ait, *ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuerit, dum ſana mentis eſſent, non ſunt baptizandi*, imò & loco objecto favet nobis: ita enim habet: *in adultis & habentibus uſum rationis, in quibus poteſt eſſe contraria voluntas requiritur contritio ſeu devotio ad percipiendam rem Sacramenti: & intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum*. Quare cum ſubdit carentem uſu rationis recipere Sacramentum, *niſi contraria voluntas habitu inſit*: ſubintellige ſi priùs aliquem habuerit voluntatem baptiſmi cum ratione uteretur; ita ut tantum excludat neceſſitatem actualis aut virtualis intentionis: non autẽ habitualis ſeu prӕteritæ non retractatӕ.

S. Tho. variis locis nobiſcum ſentit in loco objecto ſubintelligendum eſt, ſi prius habuerit voluntatem Baptiſmi.

106 Dices 5. praxis Eccleſiæ eſt ut conferatur Extrema Vnctio moribundis ratione diſtitutis, quamvis hoc Sacramentum nunquam petierint; ergo. R. id fieri; quia merito præſumitur eos antea habuiſſe ſaltem implicite vel confusè voluntatem aliquam hoc Sacramentum recipiendi.

Dices 6. peccatum originale contrahitur abſque proprio conſenſu: ergo ſimiliter poteſt per Baptiſmum remitti. R. hanc conſequentiam tantum eſſe bonam reſpectu infantium aut aliorum incapacium conſenſus; non autem reſpectu adultorum qui conſentire poſſunt: non eſt enim æquum ut hi ſanctificentur & obligationem Baptiſmo annexam ſuſcipiant abſque proprio conſenſu.

In moribundis præſumitur implicita voluntas recipiendi Extremam-Vnctionem.

Dices 7. qui Sacram. recipit habet ſe ut patiens, ſed intentio non requiritur ex parte patiẽtis, ſed agentis ergo. R. hanc paſſionem non eſſe coactam, ſed volũtariã ideoq; ad eam requiri etiã intentionem patientis

107 In.

Ad Sacramentum valide recipiendum sufficit habitualis intentio seu præterita non retractata.

107 Intentio requisita ad Sacramentum valide recipiendum non debet esse actualis; imò nec virtualis, prout in Sacramenti ministro requiritur; sed sufficit habitualis, seu præterita non retractata. Ita DD. communiter. Patet ex Conciliis supra citatis num. 104. præcipientibus ut baptizetur moribundus sensibus destitutus, modo constet de præterita ejus voluntate. Imò respectu Extremæ Unctionis videtur sufficere interpretativa; ut colligitur ex praxi Ecclesiæ quæ pro conferendo hoc Sacramento moribundis rationis usu privatis non exigit testimonium voluntatis præteritæ de hoc Sacramento suscipiendo; sed tantum interpretativæ in eo sitæ quod, cum quis fidelis fuerit, censeatur ita dispositus ut vellet hoc Sacramentum recipere, si posset mentem suam aperire.

Excipienda sunt Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii.

108 Ab hac Conclusione excipe Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii; cùm enim actus Pœnitentium & contrahentium sint materia istorum Sacramentorum, non est satis quod præcesserit voluntas ea recipiendi, & non sit revocata. Sed oportet quod Pœnitentes actu doleant, & peccata confiteantur eo modo quo possunt: & quod contrahentes suum consensum verbis aut aliis exterioribus signis exprimat.

CAPUT II.

Baptismus fluminis, ejusque materia, forma, initerabilitas, necessitas, reviviscentia, & vis Baptismi sanguinis, & flaminis.

§. I.

Baptismi materia, forma, initerabilitas.

109 TRibus modis definiri potest Baptismus. 1. physicè per materiam & formam. 2. metaphysice per genus & differentiam. 3. physice simul & metaphysice. Physica consideratione, est exterior corpo-

corporis ablutio facta ſub forma verborum præſcripta. Ita Magiſter in 4.diſt.3.& poſt eam S. Thomas p 3. q.56. a.1. in O, & alii communiter Theologi. Hæc tamen definitio imperfecta eſt, cum per eam non innoteſcat Sacramentalis ſignificatio Baptiſmi; cujus tamen cognitio maxime neceſſaria eſt.

Baptiſmus ſumptus phyſice eſt exterior corporis ablutio facta ſub forma verborum præſcripta. Sumptus autem Metaphyſicè eſt Sacramentum regenerationis.

Metaphyſica conſideratione definitur *Sacramentum regenerationis*, ſubintellige ſpiritualis ly Sacramentum eſt genus, & ly regenerationis, differentia: Per hoc enim differt à cæteris Sacramentis, quod hominem ſpiritualiter Deo regeneret. Cæterum hæc etiam definitio aliquo modo imperfecta eſt, cum non exprimat per quid fiat iſta regeneratio.

Dices Pœnitentia eſt etiam ſacramentum regenerationis; cum per eam vivificentur ſpiritualiter mortui. R. Pœnitentiam non dare primam vitam ſpiritualem, ut dat Baptiſmus; ſed per peccatum amiſſam reſtituere; ac proinde eſſe potius reſuſcitationem quam regenerationem.

Completè autem definitur Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.

IIo Clarior erit & magis completa Baptiſmi definitio, ſi partibus phyſicis addantur metaphyſicæ, & cum Catechiſmo Romano definiatur. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*. Hæc enim definitio & ſacramentalem baptiſmi ſignificationem exprimit: quod non facit prima. Et etiam declarat per quid fiat iſta regeneratio, quod non fit per ſecundam. Per verbum vitæ intelligitur certa verborum formula à Chriſto perſcripta, quæ vim habent animam vivificandi.

3. De fide Baptiſmum fuiſſe inſtitutum à Chriſto ex Trid ſeſſ. 7. can. 6. definiente Sacramenta omnia novæ legis fuiſſe à Chriſto inſtituta. Quandonam autem illum inſtituerit, non ita conſtat. Albertus, Rupertus & Melchior Canus cenſent tantum fuiſſe inſtitutum poſt Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti; cum ſcilicet Chriſtus dixit Apoſtolis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* verum cum certum ſit ex Ioannis 3. Chriſtum ante paſſionem baptizaſſe non quidem per ſe, ſed per diſcipulos ſuos, ut habetur cap.4. Non ſit autem veriſimile baptizaſſe Baptiſmo Ioannis nullius in ſe effi-

De fide eſt Baptiſmum fuiſſe immediatè à Christo inſtitutum.

Quandonam autem inſtitutus fuerit, controvertitur.

Videtur ſaltem id factum ante

passionem : cum constet ex Ioan. 4. discipulos ejus ante illam baptizasse.

efficaciæ, & qui tantum erat figura veri Baptismi à Christo instituendi: Vnde ipsemet Ioannes Baptismum suum in eo distinguit à Baptismo Christi, quod ipse baptizaret in aqua; Christus autem baptizaturus esset in Spiritu Sancto. Consequenter dicendum est tunc saltem fuisse Baptismum a Christo institutum, cum per discipulos suos baptizabat in Iudæa ut refertur Ioan. 4. Et ita sentiunt communiter Theologi.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ dicendum verbis istis non institui Baptismum, sed præcipi ut non solis Iudæis, sicut ante Passionem; sed omnibus etiam gentibus conferatur post sufficientem in rebus fidei instructionem.

112 Nec refert 1. quod antea reperiatur tradita Baptismi forma. 2. quod Baptismus totam vim suam acceperit à Christi passione. 3. quod Cœlum baptizato aperiat; cum tamen nulli potuerit ante Christi Ascensionem.

Ad primum enim dicendum formam Baptismi fuisse privatim Apostolis à Christo priùs traditam. Ad 2. passionem Christi ut à Christo acceptatam tribuisse baptismo vim sanctificandi antequam reipsa pateretur. Ad 3. nulli quidem etiam baptizato patuisse Cœlum ante Christi Ascensionem, quia non decebat membra præire capiti: vi tamen Baptismi priùs suscepti patuisse Cœlum baptizato post Christi Ascensionem.

Sententiam nostram aperte tradit Aug. Obligatio 108. suscipiendi Baptismum tantum cœpit post adventum Spiritus S. cum

Patribus autem, ut Chrys. Tertull. Leoni, Ruperto &c. qui pro opposita sententia citantur, opponendi sunt plures alii apud Suarez, Vasq. & alios; ac nominatim Augustinus tract. 5. 15. & 16. in Ioan. & Epist. 108 ubi explicans verba illa Christi ad Petrum *qui lotus est non indiget, nisi ut lavet pedes*, dicit id à Christo Petro dictum, quia jam per Baptismum lotus erat. Denigne etiam exponi possunt prædicti Patres de institutione Baptismi non nude secundum se spectata, sed cum obligatione illum suscipiendi, quæ obligatio tantum incepit post Christi Passionem ut communiter docent Theologi: nec statim quidem, sed tantum post adventum Spiritus Sancti, cum

cum Apoſtoli cœperunt promulgare legem Evangelicam: quæ cum ſucceſſive delata ſit ad varias orbis partes, etiam ſucceſſive in illis cœpit iſta obligatio.

Apoſtoli cœperunt promulgare legem Evangelicam.

113. Dices Iudæus ante Chriſti Paſſionem ſufficienter de doctrina ejus inſtructus tenebatur eam amplecti, & Chriſtianus effici: ſed hoc non poterat abſque Baptiſmo, cum Baptiſmus ſit janua Chriſtianiſmi. Ergo &c. R. eum quidem tunc fuiſſe obligatum ad credendum in Chriſtum & doctrinam ejus admittendam ut veram, non tamen ad deferendam legem Moſaicam, quia necdum erat à Chriſto abrogata, imò & ab eo obſervabatur.

Neque neceſſitas Baptiſmi pro iſto etiam tempore colligitur ex his Chriſti verbis. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*: quia ut notat S Thom. q. 66. a. 2. ad 3. hæc verba non reſpiciunt tempus præſens, ſed futurum: cum certum ſit Iudæos potuiſſe ante Chriſti paſſionem ſalvari abſque baptiſmo.

114. Supereſt difficultas quonam tempore Chriſtus ante Paſſionem ſuam Baptiſmum inſtituerit? Dicendum videtur inchoate ſaltem illum inſtituiſſe & velut in exemplari delineaſſe, quando baptizatus fuit à Ioanne: quia ut minimum id evincunt Patrum locutiones apud Vaſq. Suar. & alios dicentium Chriſtum voluiſſe baptizari, ut exemplo ſuo Sacramentum Baptiſmi ſanciret: non ut mundaretur, ſed ut aquas mundaret, ac Baptiſmum præpararet. Vt veterem Adam ſaltem figurate in aquis ſepeliret. Deſignatam materiam Baptiſmi in externa ejus ablutione; & formam in manifeſtatione Sanctiſſimæ Trinitatis &c.

Chriſtus inchoatè & velut in exemplari Baptiſmum inſtituit quando baptizatus fuit à Ioanne. Complete autem cum diſcipulos miſit ad baptizandum.

Non videtur tamen illum tunc formaliter & complete inſtituiſſe: ſed id fecit, cum diſcipulos ſuos miſit ad prædicandum & baptizandum Ioan. 3. Ita communius Theologi contra Thomiſtas. Prob. 1. pars: quia ad formalem & completam inſtitutionem Sacramenti non ſufficit ſola voluntas id faciendi aliquo modo exterius manifeſtata; ſed requiritur practica ejus declaratio & intimatio cum præſcriptione

formæ

formæ, ac materiæ. Quod non videtur fecisse cum baptizatus est; quia hæc intimatio ac declaratio est actus legislatoris, quam personam non sustinebat, cum baptizabatur, prob etiam 2. pars quia non apparet aliud tempus aptius institutioni Baptismi, quam cum discipulos suos misit ad prædicandum & baptizandum.

Ioannes non fuit vicissim baptizatus à Christo, ut aliqui volunt ut recte colligitur ex Matthæi silenti de hac re.

115. Dices Christus postquam fuit à Ioanne baptizatus, statim etiam ipse Baptismo suo Ioannem baptizavit ut docent Maldonat. Toletus, Vasquez, & alii citantes varios Patres pro hac setentia ac nominatim Hieronymum in cap. 3 Matt. asserentem Ioannem à Christo fuisse in Spiritu baptizatum, dum ipse ab eo in aqua baptizaretur. Ergo dicendus est Baptismus tunc institutus, R. N. ant. nam oppositum videtur efficaciter colligi ex eò quod Matth. c. 3. accurate recensens omnia quæ tunc contigerunt nullam mentionem faciat Ioannis à Christo vicissim baptizati. Hieronymus aliique Patres asserentes Ioannem à Christo baptizatum in Spiritu exponi possunt de interiori sanctificatione per gratiam, quâ Christus Ioanni contulit, dum ab eo baptizaretur.

Materia Baptismi remota est aqua, non quidquid Balneo inservire potest, ut delirat Luther.

116. Materia Baptismi remota est aqua vera & naturalis seu elementaris, est de fide 1. ex Script. Ioan. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. &c.* Act. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* 2. ex CC. Florent. Lateran. & Trid. sess. 7. can. 2. de Baptismo 3. denique ex perpetua traditione, & praxi totius Ecclesiæ, & PP.

Vnde turpiter errat Lutherus, dum docet id omne valere ad Baptismum, quod Balneo inservire potest. Turpius Seleuciani, qui ex verbis Matth. c. 3. *ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, male intellectis, admittebant Baptismum in igne, non in aqua. Item Iacobitæ, qui loco aquæ ferro câdenti crucem parvulorum frontibus imprimebant: cùm hæc verba de igne metaphorico, id est virtute Baptismi per gratiam & charitatem corda repurgante & peccatorum rubiginem instar ignis absumente intelligenda sunt.

Quod autem dicit Ioan. Epist. 1. c. 5. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in*

aqua

aqua solum, sed in aqua & sanguine, non debet intelligi de Baptismo, sed de Christo cruci affixo, è cujus latere *exivit sanguis & aqua*, Ioan 19. Ex his patet parum verisimile esse quod tradunt nonnulli, Stephanum II. & Syricium Pap. docuisse in necessitate valere Baptismum in vino, cum hoc Scripturis, & PP. nimis aperte repugnet: aut certe dicendum si quid tale docuerunt, errasse, ut privatos Doctores.

Steph. & Syric. non docuerunt Baptismum valere in vino vel errarunt ut DD. privati.

Quod si vera est Historia a quibusdam relata de Hebræo nescio quo, qui M. Aurelio imperante, cum de vita periclitaretur, & aqua deficiente in sabulo esset baptizatus, per miraculum repente convaluit; dicendum est Deum isto miraculo noluisse probare validitatem talis Baptismi, sed conversionem istius Iudæi, vel adstantium fidem. Vnde postea teste Nicephoro in Iordane Baptizatus est, jussu Dionysii Episcopi.

117 Sufficit quælibet aqua qualitercumque transmutata, modo rationem, & nomen aquæ naturalis, & usualis retineat; secus si id perdat.

Sufficit quælibet aqua rationem & nomen aquæ naturalis retinens: non alii liquores.

Hinc valet Baptismus in aqua pluviali, fontana, marina, sive frigida sive calida. Item in aqua ex nive, grandine aut glacie resolutis.

Non valet autem in panno madido, aut luto (quamvis valeat in aqua ex illis expressa) in vino limphato, in saliva, lachrymis, sudore, aliove simili humore, in cerevisia, ptisana, in liquore ex vitibus defluente, aut ex herbis floribusve expresso &c. neque in glacie, nive, nebula, pruina, & similibus nondum resolutis. Quia hæc omnia morali judicio non censentur aqua naturalis, & usualis: sive differant specie ab aqua elementari, sive non. In casu tamen extremæ necessitatis licet baptizare sub conditione in materia dubia: qualis est aqua ex sale resoluto, & juxta varios aqua rosacea, & similes liquores ex variis herbis subjecto igne educti aquæ persimiles.

118 Materia proxima Baptismi, est ablutio seu applicatio aquæ immediata ad corpus baptizati, Est omnium, & certa ex verbis Apost. ad Ephes. 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Quod etiam indicat ipsum Baptismi vocabulum.

Materia proxima Baptismi est ablutio seu applicatio a-

Hæc ablutio sumi debet tam prout est actio, quam directe significat forma Latinorum; quam prout est passio, quam directe significat forma Græcorum: passio inquam non physica, seu quæ importet alterationem sensibilem; sed Grammaticalis, sive sumpta pro applicatione passiva aquæ ad corpus abstrahendo ab eo, quod corpus mundet, refrigeret &c. Debet eadem esse successiva, sic ut contractus aquæ, & corporis fiat divisibiliter, & successive, successione orta ex motu locali aquæ supra corpus, vel corporis super aquam. Quamvis non desint qui putent sufficere applicationem instantaneam diversarum partium aquæ ad diversas partes corporis, si quidem fieri possit; videtur enim moraliter impossibilis.

[margin: ...catio aquæ ad corpus baptizatum.]

Non requiritur ablutio totius corporis, sed sufficit si caput abluatur.

119. Non requiritur ablutio totius corporis, sed sufficit si caput abluatur. Est communis & certa, tum ex praxi Ecclesię Latinę non adhibentis ablutionem totius corporis, sed solius capitis. Tum quia caput est præcipua pars corporis, in qua vigent omnes sensus. An autem etiam sufficiat ablutio alterius partis notabilis v. g. brachii, pectoris &c. controvertitur. Licet affirmans sit communior, videaturque vera: non est tamen certa; ac proinde graviter peccaret, qui extra necessitatem omisso capite aliam partem ablueret; quia Sacramentum exponeret periculo nullitatis: & de hac re monendæ sunt obstetrices.

Debet pars notabilis ablui.

120. Non sufficit quantulamcumque partem corporis ablui, sed requiritur ut notabilis abluatur; & tanta sit ablutio, ut quis meritò censeri possit ablutus. Ita communius DD. contra Henriq. Vasq. Hurt. & alios contrarium probabiliter sentientes; quia, inquiunt, si qualibet particula corporis læsa dicitur homo læsus: ita quolibet particula corporis abluta dici potest ablutus. Et hæc sententia in gravi necessitate usui esse potest: alioqui extra illam semper curandum est, ut ea aquæ copia adhibeatur; quæ secluso omni dubio sufficiat.

Non videtur Baptismus validus si soli capilli abluantur; ita ut aqua non perveniat ad cutem: tum quia capilli non sunt strictè pars corporis: tum quod illorum ablutio non videatur sufficiens, ut propter eam

eam dici possit corpus ablutum. Contrarium tamen sentiunt Henriq. Vasq. Isamb. Filliuc. &c. casu quo notabiliter abluantur , & ex eorum densitate fiat quod aqua non perveniat ad cutem. Sed quidquid sit de hujus sententiæ probabilitate, semper in praxi sub gravi obligatione curandum est ut aqua ad ipsam cutem perveniat.

121 Non est necesse ut ablutio fiat per immersionem, sed sufficit si fiat per effusionem aquæ super caput baptizandi; ut constat ex praxi Ecclesiæ Latinæ, quæ relicta ob graves causas immersione adhibit modo dictam aquæ effusionem. Sufficeret etiam aspersio & adhibenda esset, si aliter fieri non posset.

Non debet necessario fieri ablutio per immersionem.

122 Non est necessaria trina immersio, sed sufficit unica. Certa etiam est conclusio, tum ex praxi Ecclesiæ quæ sæpe unicam adhibuit. Tum ex responsione Gregorii Papæ ad Leandrum & trinam & unicam mersionem probantis. Extat hæc responsio in Concil. Tol. 4 cap 3.

Non est necessaria trina immersio, sed sufficit unica.

Dum Pelagius Papa dist. 4. *de consec. can. multi*, ait: *præceptum Evangelicum ipso Deo & Salvatore nostro Iesu Christo dicente & tradente nos admonet; in nomine Trinitatis trina etiam immersione S. Baptisma unicuique tribuere*, non ita id accipiendum est quasi definiat necessariam esse *ad valorem Baptismi* trinam mersionem sicut necessaria est invocatio Trinitatis; sed isti invocationi conjungit trinam istam mersionem, quia tunc erat in usu, & verisimiliter etiam præcepta. Ideò ead. dist. *can. si quis* jubetur officio deponi, qui trinam mersionem non adhibuerit; sed hoc præceptum modo ob legitimas causas desiit.

Trina immersio fuit olim in usu & verisimiliter præcepta.

123 Quando ablutio fit per immersionem, emersio non est necessaria ad valorem Baptismi. Vnde qui puerum projicere in puteum animo ipsum baptizandi & proferret formam antequam suffocaretur, valide ipsum baptizaret. Quia tunc haberetur vera materia & forma baptismi infanti applicata: ergo verus baptismus. Ita communiter Theologi.

Non est de necessitate Baptismi, ut sequatur emersio.

Dices Baptismus est signum sepulturæ & Resur-

rectionis Christi juxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Sed repræsentatio sepulturæ non habetur nisi per immersionem: & resurrectionis, nisi per immersionem: ergo &c. R. hanc configurationem sufficienter haberi per hoc quod Baptizatus moriatur peccato, ut vivat Deo: quamvis tunc convenienter ad id repræsentandum adhiberetur etiam immersio & emersio.

Forma Bapt. est: Ego te baptizo &c.

124 Forma continetur his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii &c.* ad ejus valorem exprimenda est 1. actio baptizantis. Est de fide ex definitione Alex. III. cap. 1. de Baptismo. Ex Concil. Florent. in Decret. Eug. §. *primum autem*, & ita præscripsit Christus Matth ult. *Baptizantes eos in nomine* &c. quibus verbis juxta perpetuam traditionem & constantissimam interpretationem Ecclesiæ præscribitur forma à baptizante proferenda, ut agnoscunt ipsi Hæretici, quamvis rejecta traditione id sufficienter probare non possint: cum verba Matth solitariè sumpta necessario hoc importent. Non tamen necessario requiritur, ut exprimatur determinate per vocem *baptizo*, sed sufficit si fiat per quamlibet aliam vocem æquivalentem: quamvis in praxi utendum sit dicta voce, aut si vulgari lingua conferatur Baptismus, ea quæ ex communi usu recepta est ad significandum omnino idem.

Exprimenda est persona baptizans.

125 Exprimenda est persona baptizans, non tamen necessariò explicite per pronomen *ego*, utpotè sufficienter contentum in ly *baptizo*, neque necessariò directè, cum non ita exprimatur in hac Græcorum forma *baptizetur* N. *servus Christi in nomine Patris*, &c. quæ tamen forma approbatur ab Eugenio in Flor. *de materia, & forma Baptismi*, sed sufficit, si exprimatur indirectè.

Cum ergo Alex. III. de Bapt. & ejus effectu cap. 1. dicit puerum non esse baptizatum, si minister non dicat, *Ego te baptizo*, &c. solùm vult requiri hæc verba, aut his æquivalentia.

Cæterum, quod sit exprimenda saltem indirectè.

patet

patet ex eò quòd forma Baptismi non sit oratio speculativa, sed practica habēs rationem actus potestatis moralis, cujusmodi orationes significant actum aliquem, ut hic, & nunc procedentem à proferente. Vnde quod dicit Floren. perfici Sacramentum, si exprimatur actus, qui per ipsum exerceetur ministrum cùm SS. Trinitatis invocatione, intelligendum est in sensu formali, & reduplicativo, adeoque exprimente personam ministri prout est ablutionis principium.

Non est tamen necesse, ut verba formæ exprimant actionem ut à ministro procedentem in actu signato.

126 Non est tamen necessarium, ut verba formæ in actu signato significent actionem ut procedentem à persona ministri, sed sufficit, quod hoc significent in actu exercito, sive prout pronunciata eo modo, & circumstantiis, quibus hunc sensum efficiant. Patet ex forma Græcorum, *baptizetur*, &c. approbata, ab Eugenio, in qua non aliter exprimitur persona baptizans, seu actio, ut procedens à proferente, quàm quod ex circumstantiis intelligatur ly *baptizetur* dici non deprecative, sed imperative: eo ipso enim quod minister imperative dicit, *baptizetur* significat exercitè, & æquivalenter actum, ut à seipso egredientem: cùm non possit hic & nunc efficaciter imperare ut talis baptizetur nisi ipse simul actum ponat.

Valida est hac forma baptizatur talis manibus meis nomine Patris, &c.

Atque hinc patet valere etiam formam hanc indicative expressam: *Baptizatur talis manibus meis*, tum quia Florent. illam approbat, tum quia per ly *manibus meis* sufficienter determinatur, ut sit practica, & significativa actus baptizandi, ut procedentis à proferente. Imo etiam seclusis illis duabus particulis ly *baptizatur* per circumstantias, & actuale exercitium ablutionis à proferente procedentis sufficienter determinatur ad significationem practicam: qui enim exercens ablutionem, dicit, *baptizatur talis*, &c. æquivalenter dicit, *baptizo talem*: sicut Christus Luc. 5. dicens, *remittuntur tibi peccata tua*, æquivalenter dixit remitto tibi peccata tua. Certe nunc Græci baptizant absque illis particulis; nec tamen propterea reprehenduntur ab Ecclesia Romana, nec eorum Baptismus ab ea reijcitur ut invalidus. Exprimunt autem teste Arcudio ly *baptizo* in tertia persona, ut hac expressione significent Chri-

stum, quem subintelligunt post ly baptyzatur, esse ministrum magis principalem.

Non valet forma deprecative expressa.

Ex dictis colliges non valere, si ly *baptizetur*, dicatur deprecative; quia sic actio non significatur ut egrediens à proferente: si tamen forma sit solùm deprecativa quoad effectum Baptismi, practica verò quoad ejus substantiam, aut actum ministri non videtur rejicienda. Vnde probabile est, quod docent, Vasq. Merat. & alii valere si dicatur: *per istam ablutionem remittat tibi Deus peccata tua in nomine Patris*; &c. In praxi tamen non est adhibenda; quia non obstante illa qualicumque probabilitate manet practicè dubia.

Exprimenda est persona baptizanda, & quidem signate.

127 3. Exprimenda est persona baptizanda, & quidem signate. Est omnium, & certa. 1. ex traditione ab Apostolis recepta, praxi, ac perpetuo usu Ecclesiæ ita interpretantis illud Matth. ult. *baptizantes eos*; &c. ut per ly *eos* significetur exprimendam esse personam, quæ baptizatur. 2. ex capitulo *si quis puerum*, de Baptismo, & ejus effectu. 3. quia alioqui non satis significaretur distinctio, quæ ex institutione conformi naturis rerum necessariò requiritur inter baptizantem, & baptizatum; ut definitur cap. *debitum*; de Bapt. & ejus effectu.

Nec satis est, dicere, quod sufficienter exprimatur in actu exercito per hoc, quod tali personæ applicetur aqua, sicut in forma Græcorum sufficienter exprimi censetur persona baptizans per hoc quod abluat: quia praxis Ecclesiæ declarat requiri signatam expressionem personæ baptizandæ; sufficere autem exercitam baptizantis.

Responsa Stephani, in quibus approbatur Baptismus collatus sine expressione personæ baptizandæ videntur omnino supposititia. Vel certe sunt illius ut Doctoris privati, adeòque quoad hoc punctum nullius authoritatis, reclamante Ecclesiæ praxi, & consensu.

Requiritur invocatio expressa Sanctiss. Trinitatis.

128 Requiritur expressa invocatio SS. Trinitatis. Est communis, & certa contra Magistrum, Adria. Caj. docentes non solùm initio nascentis Ecclesiæ ex speciali dispẽsatione valuisse baptismum collatum

latum in nomine solius Christi; sed etiamnùm valere

nec valet in nomine solius Christi.

Prob. 1. ex Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. quibus verbis ex Ecclesiæ interpretatione, ac traditione antiquissima, cujus meminit Cl. Rom. Const. Apost. c 20. & ex communi PP. ac DD. fere omnium consensu traditur forma Baptismi. 2. ex decreto Pontificum, Pelagii capitulo *si revera* de cons. dist. 4. cap. *multi sunt*, ibid. Zachar. cap. *in Synodo*, ibid. ubi definiunt Baptismum *in nomine Christi*, aut omissa una persona Trinitatis, esse nullum; adeoque tres Personas necessariò exprimendas. Accedit authoritas PP. Cypriani, Basilii, Damasc. Aug. & aliorum apud Suar. Vasq. Bellar. &c.

Nicolaus contrarium insinuans, id fecit ut Doctor privatus.

129 Dices 1. Nicol. Papa relatus *cap. à quodam Iudæo de consecr. dist.* 4 docet baptizatos á Iudæo dubiæ fidei, non esse rebaptizandos, modò baptizati sint in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel in nomine Christi. R. Nicol. quoad partem illam ultimam loqui ut Doctorem privatum, cum eam addat non respondens præcise ad id, de quo fuerat à Bulgaris consultus. Hi enim non quæsierant de forma Baptismi; sed de persona ministri; an scilicet rebaptizandi essent Baptizati à Iudæo dubiæ religionis: respondetque non esse rebaptizandos, si servata fuerit debita forma; quod verùm est. Quamvis in eo erret, quod putet formam esse validam non tantum sub nomine Trinitatis; sed etiam solius Christi. Sed hic error non est ejus ut Pontificis, sed ut Doctoris privati.

Si tempore Apostolorum aliquando collatus fuit Baptismus in solo Christi nomine id factum est ex speciali Dei dispensatione.

130 Dices 2. tempore Apostolorum Baptismus conferebatur in solo Christi nomine: nam Actor. 2. dicitur *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Iesu Christi*. Et cap. 8. *Baptizati tantùm erant in Nomine Domini Iesu*. Et cap. 19. *Baptizati sunt in Nomine Domini Iesu*. Ergo &c. R. verisimilius videri nunquam Baptismum fuisse collatum absque invocatione SS. Trinitatis, ut infra probabimus. Si tamen id admittatur dicendum cum S.Thoma q. 66. a. 9. ad primum, in primitiva Ecclesia ex speciali dispensatione baptismum fuisse collatum in solo Christi nomine, ut nomen Christi honorabilius redderetur.

113 Dices 3. qui baptizat in nomine Christi virtualiter baptizat in nomine Trinitatis; quia Christus dicit essentialem ordinem ad Patrem & Spiritum S. Vnde Athanasius l. de Trin. dicit Apostol. non fuisse prævaricatores præcepti Christi, licet legantur baptizasse in Nomine Domini Iesu; *Quia*, inquit, *licet filii nomen tantum dicatur, habet tamen & Patrem, & Spiritum S. secum prænuntiatum*, & Ambr. lib. 1. de Spiritu S cap. 3. docet plenum fuisse baptismatis Sacramentum in Nomine solius Christi ab Apostolis collatum, quia in hoc nomine involvitur tota Trinitas. Idem tradit Aug. lib. 3. contra Maxim. cap. 17. *Non nominatis Patre & Spiritu S. jussi sunt baptizari in Nom. Iesu Christi: & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Spiritus S.*

Et hoc supposito ingeniose alioqui Patres explicant quomodo adhuc tunc conferretur Baptismus in nomine SS. Trinitatis; in quantum in Christo includitur aliquo modo Trinitas Personarum.

R. Videri Patres istos fuisse in ista opinione quod Apostoli aliquando baptizarint in solo Christi nomine. Et hoc supposito ingeniose ostendere adhuc dici posse illos baptizasse in nomine Trinitatis, eò quòd hæc aliquo modo in Christo includatur. Sed nullibi docent hanc implicitam Trinitatis expressionem etiam nunc sufficere ad Baptismi valorem. Imo contrarium docent; nam Athan. apud Isemb. lib. 2. de unica Trin. Deit. ait; *Numquid potest contra regulam traditionis Evangelicæ . . . S. Spir sublata vel tacita persona Baptismus in Eccles. perfectus celebrari? absit.* Clarius adhuc Amb. l. variarum Quæst. q. 17. tradit conclusionem nostram his verbis: *Si quis baptizandus dicit ego te baptizo in Christo Iesu, & non dicat in nomine Patris, & Filii, & Spir. S. sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus.* Idem docet Aug. l. 6. contra Donatist. cap. 25. *Deus*, inquit, *adest verbis Evangelicis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest*. Verba autem Evangelica sunt hæc, *baptizantes in nomine Patris, & Filii, &c.* ne igitur isti Patres videantur sibi contradicere, dicendi sunt sensisse valuisse Baptismum ab Apostolis collatum, ut supponunt, in solo Christi nomine, non ex Christi institutione; alioqui enim etiam nunc valeret sic collatus: sed ex speciali Dei dispensatione, ut Christi nomen honorabilius redderetur, ut censet S. Thomas supra relatus.

312. Ve-

132 Verisimilius videtur nunquam Baptismum fuisse ab Apostolis collatum in solo Christi nomine. Ita communius contra Thomistas 1. quia hoc Christi præceptum *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. fuerat immediate ab ipso Christo traditum Apostolis: nec apparet sufficiens ratio dispensationis. Quod enim ait S.Th. id factum ut nomen Christi redderetur Iudæis & Gentilibus honorabile, non videtur satis efficax, quia sufficienter id obtinebatur per hoc quod invocato ejus nomine innumera miracula fierent. 2. quia Actor 19. videtur manifeste supponi Baptismum solitum conferri invocato Spiritu S. cum enim discipuli quidam à Paulo interrogati de Spiritu S. respondissent se nequidem scire, an esset Spiritu S. petiit, *in quo ergo baptizati estis?* qua petitione videtur supponere non fuisse tunc Baptismum collatum absque invocatione S Spiritus; alioqui enim inanis esset ejus interrogatio. 3. ex Canone 49. Apost. ubi damnatur, qui non servaverit formam consuetam baptizandi *in nomine Patris*, &c. 4. ex Patribus qui vel tempore Apostolorum, vel paulò pòst vixerunt; ut Dionysio & Clemente, qui nulla facta mentione Baptismi in nomine Christi tradunt formam sub invocatione SS. Trinitatis tanquam necessariam. Et S. Cyp. Epist. 73. expresse negat Apost. unquam baptizasse in solo Christi nomine.

Numquam Baptismus collatus fuit ab Apostolis in solo Christi nomine.

133 Loca supra citata ex Actis Apost. in quibus dicuntur quidam baptizati in nomine Christi; sic exponi possunt ut *in nomine Christi* idem sit ac in fide & authoritate Christi. Sic dicuntur scribi milites nomine regis, hoc est authoritate regis. Dici etiam possunt Apostoli baptizasse in nomine Christi, at non solo; sed addito secundæ personæ, hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Iesu Christi & Spiritus S.* nec refert quod Act. 8. dicatur, *Baptizati tantum erant in nomine D. Iesu*, quia ly *tantum* non excludit nomina aliarum Personarum; sed receptionem Spiritus S. per manuum impositionem, seu confirmationem, ut patet ex ipso textu.

Dicuntur aliqui in Actis Apost. baptizati in nomine Christi; vel quia hoc nomen inserebatur formæ Baptismi: vel in nomine Christi idem est ac in fide & authoritate Christi.

Athanasio, Ambrosio, & Augustino, qui locis supra citatis videntur supponere Apost. baptizasse in

solo Christi nomine, opponendi sunt Dionysius, Clemens, Cyprianus aliique apud Suar. & Vasq. Cæterùm propter eorum ac S. Thomæ authoritatem, valde etiam probabilis est opposita sententia.

Exprimendæ sunt personæ consuetis nominibus aut synonimis.

134 Exprimendæ sunt autem personæ consuetis nominibus *Patris, & Filii &c.* aut saltem omnino synonymis. Ita S. Th. Bonav. Suar. Præpos. Sylv. & alii communissime, imò quidam ex illis putant, nequidem sufficere nomina omninò synonima: oppositum tamen videtur probabilius, quia Christus non alligavit virtutem Sacramenti his aut illis vocibus materialiter sumptis, sed formaliter & ut significativis, sicut ergo hæ voces non essent sufficientes, ex hominum institutione non significarent, quod significant; ita aliæ, quibus homines imposuerunt eandem omnino significationem, censendæ sunt sufficientes ad valorem formæ.

Baptismus iterari non potest: ut docent scripturæ CC. & PP.

135 Baptismus valide susceptus iterari non potest: Est de Fide. 1. ex Apostolo 1. ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, Ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*. Quibus aliis similibus Script. locis utuntur PP. ut probent Baptismum iterari non posse, 2. ex consensu, & perpetua traditione Ecclesiæ. 3. ex CC. Carthag. 1. Lateran. Florent. in decreto de Sacram. docente tria Sacramenta characterem indelebilem imprimentia in eadem persona non iterari. 4. ex PP. Cypr. Epist. 63. Basil. de Spiritu Sancto cap. 13. Leo. Epistola 7. relato capitulo *cum itaque* de consec. dist. 4. ita loquente: *scimus inexpiabile esse facinus, quoties juxtà hæreticorum damnata à SS. PP. instituta cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum, his subire, Apostolica reclamante doctrina, quæ unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in Baptismate sacramentum.*

Atque in hanc veritatem consentiunt hæretici moderni, etiam Anabaptistæ, ita quidem appellati à rebaptizando, non tamen quod putent Baptismum semel valide collatum posse iterari; sed quia volunt cum parvulis collatum esse invalidum, adeoque bapti-

ptizatos in infantia postmodum rebaptizandos in ætate adulta.

136 Potest tamen dubius, ac debet repeti sub conditione, quando post diligentem inquisitionem remanet rationabile dubium, sive juris, sive facti. Ita DD. communiter ex Innocentio III. cap. *veniens*. S. Leone Epist. 92. & aliis PP. favetque ratio, quia summa necessitas Baptismi suscipiendi, & incertitudo suscepti faciunt, ut tali casu non solum absit omnis irreverentia à repetitione, sed etiam adsit obligatio repetendi; ne alioqui salus animæ periculo aliter inevitabili exponatur. Quæ ratio etiam militat in dubio positivo cum adsunt rationes in utramque patrem probabiles: quamvis enim Vasq. Hurt. & alii eo casu negent obligationem repetendi; lex tamen charitatis, qua quisque tenetur evitare periculum animæ etiam probabile tantum, oppositum. Ex dictis.

Potest tamen iterari sub conditione in casu dubii rationabilis de ejus valore.

133 Colliges 1. Baptismum ab hæreticis collatum, per se loquendo, non esse repetendum, cum de fide sit Baptismum hæreticorum, modò utantur materia, & forma legitima cum debita intentione esse validum, prout definitum est a Concilio Nicæno post Cypriani obitum, qui ante hanc definitionem oppositum docuerat. Item in Arelat. Constant. & Trident. sess. 7. can. 4.

Per se loquendo repeti non debet collatus ab hæreticis

Dixi, *per se loquendo*: quia per accidens fieri potest, ut possit, imo & debeat sub conditione iterari, si nempe adsit justa ratio dubitandi de valore Baptismi, ob defectum materiæ, aut formæ, aut intentionis, apud hæreticos non rarò contingentem.

138 Colliges 2. neque rebaptizandos esse eos, qui in periculo mortis privatim ab obstetricibus baptizati sunt. Intellige etiam hoc, per se loquendo, & nisi sit specialis ratio suspicandi obstetricem peccasse in substantialibus, sive ex perturbatione, aut imperitia post diligens examen reprehensa, sive ex malitia: ut si sit suspecta de hæresi, sortilegio, &c. Tali enim casu, potest, ac debet Baptismus sub conditione repeti: secus si nulla adsit ejusmodi ratio dubitandi.

Neque collatus ab obstetrice in periculo mortis nisi adsit specialis ratio dubitandi.

136 Col-

Infantes exposit. rebaptizandi sunt nisi habeant schedulam Baptismi testem. Quilibet ratione vtens est sufficiens Baptismi minister.

139 Colliges 3. rebaptizandos esse sub conditione infantes expositos, si non habeant schedulam, aut aliam ejusmodi notam Baptismi accepti testem, secus si habeant: quanquam etiam hoc casu censeat Sylvius, Mercer. & alii ejusmodi infantes rebaptizandos, eo quod schedula, aliave nota ab ignoto, & consequenter incertæ fidei authore apposita, non sit testimonium sufficiens, ad habendam certitudinem moralem de Baptismo.

140 Quilibet homo ratione utens est sufficiens minister Baptismi, sive validus est Baptismus à quocumque homine rationis compote collatus. Est de fide ex Conc. Later. *Cap. firmiter*. Vbi dicitur Sacramentum Baptismi à quocunque rite collatum proficere ad salutem. Et ex Florent. in decreto de Sacram. §. de Bapt. ubi sic habetur *in casu necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus; laicus & mulier, imo Paganus & hæreticus baptizare potest dummodo formam servet Ecclesiæ, &c.*

Solus tamen Sacerdos est ordinarius ejus minister.

141 Solus tamen Sacerdos est ordinarius Baptismi minister. Est communis & certa. Ex Florent. in decreto de Sacram. § de Baptismo; ubi dicitur *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Et *ex cap. constat, de consec. dist.* 4. *ubi dicitur constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum*.

Licet Sacerdos sit ordinarius Baptismi minister, non tamen cuilibet Sacerdoti competit jus proximum & expeditum baptizandi; sed tamen proprio: vel alteri ex ejus commissione. Ita DD. communiter, ratio est quod baptizare sit aliquis actus jurisdictionis, cum per baptismum admittatur Baptizatus in Ecclesiam; ac proinde extra necessitatem id competat soli proprio Sacerdoti habenti jurisdictionem, vel, cui id commiserit.

Petes quid intelligatur nomine proprii Sacerdotis; R. intelligi. 1. Summum Pontificem respectu totius Ecclesiæ 2. Episcopum respectu suæ Diœcesis 3. Parochum respectu suæ Parochiæ.

142 Quamvis Diaconus non sit ordinarius Baptismi minister; potest nihilominus justa de causa ex

ex commissione ordinarii solemniter baptizare. Ita communiter Theologi. Colligitur *ex can. Diaconos dist.93.* ubi prohibentur baptizare absque Episcopo vel Presbytero: ergo ex eorum commissione possunt baptizare etiam solemniter, cum alii etiam id possint absque solemnitate. Colligitur etiam ex Pontificali. R. ubi in eorum ordinatione dicitur: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare: ergo vi ordinationis suæ habet saltem aliquam potestatem inchoatam ad solemniter baptizandum; quæ compleatur per ordinarii commissionem: quia potestas privatim baptizandi in necessitate omnibus competit. Requiritur tamen ad hanc commissionem gravis causa, ut quod proprius Sacerdos morbo impediatur, nec adsit alius Sacerdos, cui id committi possit.

Diaconus potest aliquando solemniter baptizare.

143 Inter sufficientes Baptismi ministros servandus etiam est in casu necessitatis aliquis ordo; ita ut Sacerdos, si adsit, præferri debeat Diacono; Diaconus, Subdiacono, Subdiaconus, inferioribus Clericis: Clerici, non Clerico: Vir, Femina: Baptizatus, non baptizato: Fidelis, infideli: non excommomunicatus, excommunicato. Ratio est, quod digniores per se loquendo præferri debeant indignioribus ob reverentiam Sacramento debitam.

Inter sufficientes Baptismi ministros servandus est aliquis ordo.

Dixi *per se loquendo*, quia per accidens quandoque potest & debet hic ordo inverti; vel ratione majoris peritiæ ad baptizandum in minus digno. Vel ratione honestatis: ut si puer ob imminens mortis periculum priùs sit baptizandus, quam totaliter ex utero prodierit: quo casu etiam Sacerdos & proprio Parocho præferenda est mulier.

144 Peccat graviter Sacerdos non proprius baptizans contra voluntatem Sacerdotis proprii; quia facit contra præceptum Ecclesiæ & jus quod habet hic ad baptizandum. Et si non sit Sacerdos peccat insuper contra reverentiam Baptismo debitam exigenti pro ministro Sacerdotem extra casum necessitatis. Inversionem autem ordinis inter alios communius censent DD. esse tantùm venialem: cum enim nullus eorum sit proprius Baptismi minister,

Peccat graviter sacerdos non proprius baptizatus contra voluntatem proprii.

nec violatur jus alterius, neque fit Sacramento notabilis irreverentia. Varii tamen probabiliter tenent esse grave peccatum, si cæteris paribus præferatur non baptizatus, baptizato: Hæreticus, Catholico: excommunicatus, non excommunicato ob specialem indecentiam, & à talibus conferatur Baptismus absque necessitate. Idem aliqui sentiunt si Diacono præponatur alius Clericus vi suæ ordinationis habeat saltem aliquam inchoatam deputationem ad Baptismum, ratione cujus potest ei committi officium baptizandi solemniter, ut supra dictum est num. 142.

In baptismo solemni sub gravi obligatione adhibendus est patrinus.

145 In Baptismo solemni sub gravi obligatione adhibendus est susceptor seu patrinus: ut constat ex perpetua Ecclesiæ consuetudine & Apostolica traditione, cujus testis est Dionysius c. 2. de Eccles. Hier. ubi dicit quod *Sacerdos assumentes baptizatum tradunt eum ad educationem susceptori*. Et cap. 7. inquit, *divinis nostris ducibus* (hoc est Apostolis) *ut traderent puerum cuidam docto indivinis Pædagogo, & salvationis sancta susceptori*. Id etiam conforme est rationi, quia decet eos; qui noviter Christo generati sunt, instrui, doceri, & quodammodo nutriri, ut in vita spirituali proficiant. Et ad id præstandum assumitur Patrinus.

Quodnam sit officium patrini.

146 Officium patrini est 1. præsentare baptizandum Parocho. Vnde Iustinus quæst. 56. ad orthodoxos vocat eum *offerentem*. 2. Respondere pro baptizando, si is per se responderi non possit: unde Tertull. cap. 18. de Baptismo nominat eum *Sponsorem*. Et Aug. fermi. 215. de tempore, *Fide ijussorem*. 3. Tenere illum dum baptizatur. 4. Eum levare de fonte, maximè quando baptismus fit per immersionem. 5. Eundem suscipere de manu baptizantis: & ab hoc actu dicitur *Susceptor*. 6. Denique curam illius gerere ut in rebus fidei ac doctrina Christiana debite instruatur: & ab hac cura paterna, quam debet illius gerere dicitur *Patrinus*, *Ab hac tamen cura* ut tradit Doctor Angelicus quæst. 67. artic. 8. *satis possunt excusari, ubi nutriuntur inter Catholicos; præsumendo quod à suis parentibus diligenter instruantur.*

Si tamen quocumque modo scirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.

147 Ab officio patrini excluduntur carentes usu rationis, non baptizati, hæretici, publicè excommunicati, criminibus infames; & ignorantes rudimenta fidei: quia hi omnes non sunt apti ut curam gerant baptizati circa fidem ac mores. Excluduntur etiam jure communi Abbates, & Monachi can. *placuit* causa 16. q 1. & can. non licet de consec. dist. 4. & generatim regulares omnes in rituali Romano, jussu Pauli V. edito. Vbi dicitur; præterea ad hoc admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales; neque alii cujusvis ordinis regulares à sæculo segregati.

Quinam excludantur ab officio patrini.

His tamen juribus variis in locis, præsertim quod Abbates, contraria consuetudine derogatum est. Excluduntur quoque parentes baptizandi. *Can. pervenit*, *& can. dictum est causa* 80. q. 1. Cujus rei hanc congruentiam adfert S. Thomas quæst. cit. a. 7. ad 2. quod scilicet generatio spiritualis alia sit à carnali, ac proinde alios debeat habere parentes.

148 Iure antiquo unicus poterat esse patrinus. Ita statuitur *can. non plures de consec. dist.* 4. id tamen postea contrario usu fuit abrogatum, & passim plures sive viri, sive fæminæ adhibebantur. Rursus tamen id sublatum est jure novo Trident. sess. 24. de reform. cap. 2. ubi decernitur ut unus tantum aut una, vel ad summum unus & una baptizatum de fonte suscipiant. Contrahunt autem cognationem spiritualem Matrimonium dirimentem cum eo quem de fonte suscipiunt & cum Patre & Matre illius. Ita statuitur eodem capite, inter se verò nullam contrahunt. Meritò autem ibidem Pastoribus præcipitur ut nomina Patrini & Matrinæ describant, eósque moneant quem cognitionem incurrerint ne per ignorantiam accidat, ut in Matrimonium illegitime conjungantur cum iis quibuscum cognationem spiritualem contraxerint.

Non possunt plures quam duo baptizatum de fonte suscipere.

§. II.

§. II.

Baptismus sanguinis, sed Martyrium.

Martyrium est testimonium fidei divinæ vel in se, vel in opere alicujus virtutis morte firmatum.

149 MArtyrium vi vocis, idem est quod testimonium generatim abstrahendo a materia circa quam fertur. Ex usu autem Ecclesiæ strictiùs sumitur; estque *Testimonium fidei divinæ vel in se, vel in opere alicujus virtutis, morte firmatum*. Ita S.Th.2.2.q.124.a.2 & 4.

Dupliciter accipi potest. 1. Pro ipsa morteob Christi fidem, aut virtutem obita. 2. Pro interna acceptatione, à qua mors ipsa participat rationem voluntarii. In hac posteriori acceptatione est formaliter actus fortitudinis: in priori solùm materialiter, & denominative.

[Req]uiruntur [t]ormenta de se mortis illativa, & causa supernaturalis.

150 Martyrium in genere, pro ut commune est parvulis, & adultis, duo tantum requirit, sc. mortem, id est tormenta ex se mortis illativa (quamvis ea fortè, Deo per miraculum impediente non sequatur) & causam mortis motivam, nempe fidei, religionis, aut virtutis aliquo modo supernaturalis defensionem & exercitium, in cujus odium mors inferatur. Prout adultis proprium est, requirit insuper voluntariam acceptationem.

Morientes in obsequio pestiferorum non sunt stricte martyres.

151 Ex his sequitur 1. S.Ioan.Evang. fuisse verè martyrem, licet è ferventi oleo per miraculum illæsus evaserit, 2. bonum latronem impropric ab Aug. appellari martyrem, cum mors non fuerit ipsi illata ob fidem, aut virtutis exercitium 3. ob eandem rationem eos, qui pestiferis ex charitate inservientes mortem contrahunt, non esse martyres, proprie loquendo: sunt tamen fere æquales, aut supares Martyribus, tum ex Dionys. & Alexandro apud Euseb. l. 7. c.17. dicente hoc genus mortis nihil videri abesse à splendore martyrii. Tum ex Martyrolog. Rom. 28. Febr. faciente mentionem de quibusdam in pestiferorum obsequio extinctis, *quos*, inquit, *velut Martyres religiosa fides venerari consuevit*.

Infantes

152 Infantes per solum Baptismum sanguinis id est

est per Martyrium salvari possunt. Est fere omnium, & adeò certa, ut Suar. & alii oppositam temerariam sentiant, aut erroneam.

per solum Martyrium sine baptismo aquæ salvari possum.

Suadetur 1. ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ jam inde à temporibus Apostol., (ut ostendit Baro. annum Christi 58.) Infantes Christi causa ab Herode occisos semper coluit, ut sanctos, ac veros martyres.

Quod enim dicit Armacanus ante mortem justificatos fuisse per circumcisionem, nec probabile est (cum in tanta multitudine multi haud dubie fuerint nati parentibus ethnicis, Iudaico populo permixtis, aut certe ante octavum vitæ diem, quo fiebat circumcisio, interfecti) neque si verum esset, vim argumenti elideret; cum non tantum colantur ut Sancti, sed etiam ut Martyres, seu titulo sanctitatis per mortem obtentæ.

2. Ex Aug. l. 3. de Symb. ad Catechum. c. 4. ubi dicit, parvulos per mortem ab Herode illatam, liberatos fuisse à captivitate Diaboli, & suo sanguine mundatos fuisse à peccato originali. Item ex Leon. Bern. & aliis apud Suar. & Vasq. similiter loquentibus. Ex quibus refellas, quod nonnulli opponunt id factum fuisse ex speciali privilegio, quod proinde ad alios extendi non debeat. PP siquidem eorum justificationem, & salutem solum tribuunt morti pro Christo obitæ, nulla facta mentione specialis hujus privilegii.

135. Nec refert quod infantibus non videatur convenire illa Christi promissio Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me*, &c. 1. quia suo modo confitentur Christum, *moriendo sc. non loquendo*, ut canit Ecclesia. 2. quia saltem convenit illis hæc secunda, ibid. v. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, quæ regula, cum sit generalis, ostendit alteram à Christo pronunciatam Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. (quæ alioqui etiam generalis videtur) intelligendam esse cum exceptione Martyrii, juxta sensum PP. ac præsertim Augustin. libro 2. de anima, & ejus origine, capite 12. quo modo etiam explicandum est Trid. sess. 6. c. 4. ubi agens de mediis ad salutem necessariis à Christo specialiter insti-

Sufficienter Christum confitentur non loquendo sed moriendo.

institutis, & præscriptis (quale non est martyrium) docet Baptismum in re, vel in voto esse necessarium.

In adultis habet vim remittendi omnem culpam & pœnam ex Privilegio & velut ex opere operato, Etiam secluso actu charitatis.

154. Martyrium in adultis habet vim remittendi omnem culpam, & pœnam ex privilegio, & velut ex opere operato, etiam secluso actu charitatis. Ita Caj. Bellar. Suar. Sylv. & alii recentiores communius contra Alens. Scot. Dur. Vasq.

Patet 1. ex Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, &c. Ibid. v. 39. *qui perdiderit animam suam propter me invenit eam*. Quibus aliisque similibus Scrip. locis Marc. 8. 35. Luc. 9. 24. & Ioan: 12. 25. ex communi fidelium sensu; & PP. interpretatione; Christum confitenti, & pro illo vitam perdenti salus promittitur, non tamquam prœmium dilectionis, cujus ibi nulla fit mentio; sed tanquam speciale Privilegium morti pro Christo obitæ concessum.

Ly propter me importat causam inflictæ mortis non affectum dilectionis.

155. Quod enim dicit Vasq. per ly *propter me* satis significari dilectionem ad effectum Martyrii esse necessariam; refellitur, tùm ex eo quod hæc verba sensu maxime obvio, solùm importent causam inflictæ mortis, non verò affectum dilectionis: tum quia Marc 8. post ly *propter me*, additur, & *Evangelium*; Vbi ly propter quatenus afficit Evangelium, non significat propter Evangelium, ut objectum amoris amicitiæ, sed ut causam mortis illatæ: ergo etiam quatenus afficit Christum; cum eadem vox in eadem sententia non possit intelligi diverso sensu. Tum denique; quia Christus Matt. 10 v. 28. proponit metum gehennæ tanquam motivum sufficiens ad fructum martyrii, dum ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus* &c. *sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*.

PP. eandem aut majorem vim justificandi martyrio tribuunt quam baptismo.

156. 2. Ex PP. qui martyrio in genere eandem, aut majorem vim justificandi tribuunt quàm Baptismo, Clemente Rom. l. 5. Const. Apost. c. 7. *Etsi Catechumenus sit, lætus discedat; passio enim, quam pro Christo sustinet, cedat ei in veriorem Baptismum &c.* Cypr. Ep. 73. *Numquid potest vis Baptismi esse major, quàm confessio, quàm passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* Aug. l. 13.

De

De Civit. c. 5. & 8. vbi docet mortem, Christi causa toleratam, tantum valere ad abluenda peccata, quantum Baptismus &c. quia inquit, qui dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. dixit *& qui me confessus fuerit* &c.

157. 3. Quia Martyrium habet vim justificandi parvulos quasi ex opere operato, ut fatentur adversarij, & merito; cum in eis nullus sit actus operantis, cujus valori tribui possit ista efficacia; ergo à fortiori eodem modo justificat adultos, in quibus solis proprie & formaliter esse potest Christi confessio; præsertim cum utrisque, propter mortem Christi causa obitam, iisdem verbis salus promittatur; adeoque vis salvandi parvulos non conveniat martyrio ex privilegio ætati concesso, sed morti, & alioqui martyrium non magis deleret peccata quam carcer, aut exilium &c. quod est contra communem Ecclesiæ sensum. Item male distinguerent Theologi tria baptismata: nam Baptismus sanguinis non distingueretur à Baptismo flaminis, à quo solo haberet vim justificandi. — *Infantes etiam juxta adversarios, justificat ex opere operato.*

158. Dices 1. Apostolus 1. ad Cor. 13. ait. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*: ergo &c. R. ly *non habuero* non intelligendum mere negative, sed contrarie, ut sensus sit, si proximum oderim, aut dissentiones, vel schismata foveam, nihil mihi proderit, quidquid pro Christo patiar. Et hic sensus maxime conformis est scopo Apostoli Corinthios reprehendentis ob schismata & contentiones. — *Dum Apostolus dicit nihil prodest, se sine charitate, sumit ly sine contrarie, pro odio ac dissentionibus*

Dices 2. Christus Ioan 15. dicit: *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* ergo martyrium est actus maxime dilectionis & ratione ejus delet omnem culpam ac pœnam adeoque ex opere operantis. R. hujus loci sensum esse non posse dari majorem dilectionem ex objecto, seu neminem posse majore indicio declarare suam erga alterum dilectionem, quam moriendo pro eo: Ex quo non sequitur martyrium necessarium imperari à charitate actuali, sed ut summā ita ordinarie fieri & ex eo maximā esse charitatē recte colligi.

Augustinus intelligendus est de charitate non qua Deus diligitur super omnia sed qua fidelis unitur cum vera Christi Ecclesia.

159. Dices 3. S.August.lib.3.contra Donatist. cap. 16. & lib. 4. cap. 17. dicit martyrium sine charactere, non esse verum martyrium, nec prodesse posse: & ideo hæreticos aut schismaticos pro Christo morientes, non esse verè martyres. R. Augustinum locis citatis non loqui de charitate sumpta pro actu quo Deus supra omnia diligitur; sed de charitate qua fidelis unitur cum vera Christi Ecclesia: solumque velle non posse martyrium iis prodesse qui separant se à vera Ecclesia ejusque unitatem scindunt, ut faciunt hæretici & schismatici.

Dices 4. Bernardus Epist.77. ad Hug. Vict. docet martyrium hanc prærogativam obtinere ut sit loco Baptismi, & merito fidei per charitatem operantis. R. vel Bernardo opponendo PP. supra citatos. Vel benigne exponendum, ut tantum velit privilegium justificandi & liberandi ab omni pœna concessum martyrio eo quod de se sit testimonium & probatio maximæ erga Christum charitatis: non autem quod necesse sit ut ex perfectæ charitatis motivo subeatur ad hoc ut effectum suum habeat.

S. Th. variis locis apertè tradit sententiam nostram.

160 Dices 5. S.Thom. 3 p. q. 66. a. 12. ad 2. sic habet: *Dicendum quod effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate: ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includat Baptismum flaminis*. Et 2. 2. q. 124. a. 2. docet martyrium esse actum charitatis, ut imperantis: fortitudinis autem, ut elicientis. R. Doctorem Angelicum istis quidem locis multum favere oppositæ sententiæ. Aliis tamen satis aperte stare pro nostra; ut in 4. dist. q. 3. quæstiunc. 3. ad 1: *Baptismus sanguinis non habet hoc* (nempe quod liberet ab omni culpa & pœna) *tantum ex opere operantis sed hoc habet ex imitatione Passionis Christi*. Et in 4 ad Annilb dist. 4. quæst. unica a. 4. ad 3. ait: *Baptismus sanguinis non habet supplere effectum Baptismi fluminis ex opere operantis sicut objiciebatur sed ex imitatione passionis Christi*. Quare cum diversis locis diverse loquatur, censeri possunt utrique ei adhærere per respectum ad diversa loca. Certe ipsimet Thomistæ nobiscum communius sentiunt.

161 Dices 6. proprium est Sacramentorum justificare

ficare ex opere operato: atqui martyrium non est sacramentum: ergo, &c. R. Sacramenta justificare ex opere operato alio modo quam mysterium Sic enim justificant, quia actiones sacramentales sunt nomine Christi ut ministri principalis, continentque ejus merita de se ad justificandum sufficientia. Ac proinde morali consideratione habent intrinsecam vim justificandi. Martyrium autem nec fit nomine Christi, nec continet ejus merita, nec aliunde in se habet vim sufficientem ad justificandum & remittendam omnem pœnam; sed tantum id ei competit ex speciali privilegio; ac proinde non tam nobili modo justificat ex opere operato, ut Sacramenta. Et aliunde etiam à Sacramenti ratione ex multis capitibus deficit, ut patebit consideranti definitionem Sacramenti.

Martyrium non justificat ex opere operato eodem modo quo sacramenta, sed modo minus perfecto.

162 Ad Martyrii valorem requiritur in adultis acceptatio mortis pro Christo; tum quia non potest adultus gratiam sanctificantem, ejusve augmentum recipere, nisi in illam & ejus modum aliquo modo consentiat, ut patet in Sacramentis requirentibus consensum suscipientis. Tum etiam quia Martyrium in adulto debet esse actus virtutis, quo quis non tantùm materialiter, ut parvuli, sed etiam formaliter confiteatur Christum, ut authorem bonorum supernaturalium.

Ad martyrium requiritur in adultis acceptatio honesta ex parte causæ & motivi.

163 Debet autem voluntas acceptans esse honesta, non solum ex parte causæ, propter quam mors infertur; sed etiam ex parte motivi formalis, propter quod acceptatur. Vnde qui mortem ex Christi odio sibi illatam sustineret ex solo vanæ gloriæ motivo, non esset Martyr: cùm non possit quis per voluntatem malam, aut etiam indifferentem censeri velle reddere testimonium Christo & virtuti. Si tamen vana gloria non sit motivum totale aut principale, sed secundarium tantùm, aliquo modo impellens aut facilitans, erit verùm martyrium, licet venialiter vitiatum.

Hæc tamen voluntas non debet esse actualis aut virtualis; sed sufficit si sit habitualis sumpta pro voluntate præterita non retractata: quia mors non de-

Non tamen actualis aut virtulis sed

sufficit habitualis. bet patienti esse volūtaria non per modū affectus, sed solùm per modum objecti voliti, ad quod Martyr non debet se habere active, sed solùm permissive. Imo juxta nonnullos sufficit voluntas interpretativa; qua eo ipso quo quis pie & Christiane vivit, censetur potius velle mori, quam Christum negare. Hinc si dormiens aut persecutionem fugiens subitò occidatur, censetur pro Christo vitam perdere, & dignus æterno præmio in compensationem damni pro Christo accepti. Ita Caj. Coninch. Et alii contra Less. Præp. &c. quibus oppositum meritò videtur probabilius.

Debet excludere voluntatem se defendendi. 164 Acceptatio mortis debet excludere voluntatem se defendendi; alioqui Martyr non satis conformaretur Christo, qui, *Instar agni coram tondente se obmutuit*. Isai. 53. Hinc milites qui ex vera intentione religionem tuendi pugnantes occiduntur (quamvis ea in re multum mereantur) non sunt tamen proprie Martyres. Ita DD. communiter. Et patet ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ tales pro martyribus numquam agnovit: imò Phocæ Imperatori, aliisque tale Martyrii genus inducere volentibus semper restitit, ut testatur Baron. in notis ad Martyrolog. ad 19. April.

In justis per se loquando sufficit status justitiæ cum acceptatione explicata. 165 In justo, per se loquendo, non requiritur alia dispositio ad Martyrium, quàm ipse status justitiæ, cum acceptatione jam explicata. Dixi *per se loquendo*: quia instans Martyrium non liberat ab obligationibus in articulo mortis omnibus, etiam justis, communibus, quales sunt obligatio Baptismi suscipiendi, si necdum sit susceptus. Confitendi peccata, quamvis per contritionem deleta; si necdum fuerint subjecta clavibus. Et, ex probabiliori sententia, eliciendi actum amoris Dei super omnia, & contritionis saltem si peccata præterita occurrant.

Quæ tamen requiruntur, non per modum dispositionis necessariæ ad valorem Martyrii præcise; sed observationis præcepti. Vnde si quid horum per ignorantiam, oblivionem, aut aliter inculpatè omittatur, valebit Martyrium.

166 In peccatore præter acceptationem mortis re-

requiritur insuper alia pœnitentia, seu supernaturalis dolor de peccatis, saltem virtualis. Patet ex Trid. sess. 14. c. 1. generatim, docente pœnitentiam iis, qui actualia commiserint, quovis tempore fuisse necessariam ad justificationem, etiam per Baptismum obtinendam. Cùm ergo voluntas Martyrii præcise sumpta pœnitentiam non includat, neque formaliter, ut patet: neque virtualiter, utpotè quid stare possit cum actuali affectu ad peccatum mortale, non sufficit per se sola ad justificationem.

In peccatore insuper requiritur aliqua pœnitentia.

Adde non videri conveniens, ut qui propria voluntate à Deo se avertit, sine voluntaria ad Deum conversione per retractionem peccati, saltem virtualem, ad divinam amicitiam admittatur.

167 Quod si voluntas moriendi pro Christo concipiatur ex motivo universali generaliter repugnante cuilibet peccato mortali v. g. ex motivo amoris Dei super omnia efficacis desiderii vitæ æternæ, &c. erit etiam in peccatore sufficiens dispositio, non præcise ut est volitio Martyrii, sed quatenus est virtualis detestatio cujuslibet peccati, utpote talis ex natura sua, ut necessario illam inferat, si occurrat peccatorum memoria, aut advertentia obligationis hanc detestationem eliciendi.

Sufficit virtualis, inclusa in voluntate moriendi pro Christo, ex motivo charitatis.

Nec plus vult S. Th. q. 87. a. 1. ad 2. ubi docet Martyrium purgare ab omni peccato mortali & veniali, modò voluntatem non inveniat peccato actualiter inhærentem, supponit enim præcessisse pœnitentiam, saltem virtualem: aut meritò eam præsumit non deesse Martyri, qui nulli peccato per actualem affectum adhæret alioqui enim sibi aperte contradiceret, cùm eodem articulo in O. & immediate sequenti ad 2. expresse requirat pœnitentiam, saltem virtualem pro remissione venialium.

S. Th. non est nobis contrarius.

Adde ex hoc loco æque inferri posse, nullam in adulto requiri mortis acceptationem: imò eum fore Martyrem, quia cum affectu actuali ad peccatum obdormiscens, in somno occideretur pro Christo: quæ nec S. Th. nec quisquam alius admiserit.

168 Cùm ergo docent PP. Martyrium habere majorem vim quàm Baptismum, solùm volunt,

quòd majorem conferat gratiam, non autem quòd minorem requirat diſpoſitionem.

Neque ideo dubia eſſe poteſt Martyrum ſalus, quia moraliter fieri non poteſt, ut deſit virtualis pœnitentia.

Inde tamen non ſequitur ſemper dubiam fore ſalutem Martyrum: nam de ſalute eorum, qui tales declarati ſunt ab Eccleſia, cui promiſſa eſt infallibilis Spiritus S. aſſiſtentia, habetur certitudo fidei. De aliorum verò, ſaltem moralis, tum ex eorum dictis & factis, in ipſa paſſione: tum ex eo quod ſit moraliter impoſſibile, Catholicum pro Chriſto morti ſe ſponte offerre, & non elicere varios actus Fidei, Spei, Charitatis &c. adeoque pœnitentiæ ſaltem virtualis.

Ex dictis Colliges in Chriſti promiſſione Matt. 10. Marc. 8. &c. quamvis abſoluta videatur ſubaudiendas tamen eſſe conditiones jure naturæ, & divino poſitivo abſolute requiſitas, qualis eſt pœnitentia, ſaltem virtualis, pro remiſſione actualium.

Ad effectum Martyrii ſpeculative loquendo non requiritur contritio in peccatore ſed ſufficit attritio.

169 Probabilius eſt, ſpeculative loquendo, ad effectum Martyrii non requiri in peccatore actum contritionis, ſed ſufficere attritionem ſupernaturalem.

1. Quia hæc ſufficit ad Baptiſmum, cui juxta PP. n. 156 citatos non cedit Martyrium quoad vim juſtificandi peccatores.

2. Quia Sacramenta vivorum, licet ex Chriſti inſtitutione gratiam præſequirant in ſuſcipiente, poſſunt tamen peccatorem attritum juſtificare, ſi bona fide accedat, putans v. g. ſe eſſe contritum, aut in ſtatu gratiæ, ergo à fortiori Martyrium, quod non eſt Sacramentum, neque ita præſupponit ſtatum gratiæ, ut peccetur novo peccato contra reverentiam ei debitam, ſi advertenter in ſtatu peccati ſuſtineatur: cùm non magis exigat gratiam in ſuo ſubjecto, quam cæteri actus ſupernaturales, quos conſtat ſine ullo peccato imò utiliter exerceri poſſe in ſtatu peccati.

3. Quia ſi non poſſet juſtificare hominem attritum, non poſſet dici ſupplere Baptiſmum aquæ: nam paſſio externa pro Chriſto ſponte tolerata nunquam ſeipſa immediate culpam deleret, ſed per contritionem deletam præſupponeret: quod videtur repugnare

gnare Clementi & aliis PP. Martyrium Baptismo præferentibus.

170 Dixi *speculative loquendo*: quia practice necessaria est contritio, aut confessio: sic ut non possit ante Martyrium à peccatore solum attrito sponte omitti sine novo peccato contra charitatem sui, quâ quisque sub mortali obligatur in mortis articulo adhibere media salutis quàm potest securissima relictis incertis: ne alioqui se exponat periculo damni irreparabilis, ut faceret peccator cum sola attritione voluntarie & advertenter mortem sustinens: si enim forte vera sit sententia negans Martyrio vim justificandi ex privilegio etiam sine charitate; non liberabit eum affirmantis probabilitas, aut bona ipsius fides.

Est tamen contritio practice, necessaria.

171 Gratia respondens Martyrio ex opere operato non confertur in instanti mortis vitæ extrinseco, ut vult Cajet. alioqui enim sequeretur posse quempiam salvari, qui in vita nunquam habuisset gratiam & charitatem habitualem: imò posse infantem salvari qui non habuisset fidem habitualem (ut consideranti patebit) quæ passim rejiciuntur ut absurda. Neque confertur in ultimo vitæ instanti intrinseco, sive reali, sive præcisivo: Non enim in reali, quia probabilius est non dari instantia realia; & vitam non desinere intrinsece. Non etiam in præcisivo quia implicat rem existere in tempore indeterminato, & absque duratione determinata ad certum nunc. Confertur ergò paulò ante mortem, quando nempe Martyr vi passionis & tormentorum eò adductus est, ut absque miraculo non possit amplius ratione & sensibus uti, nec nisi brevissimo tempore supervivere: quia tunc Martyrium est moraliter consummatum, quantumvis Physice adhuc duret: & Martyr in eo statu constitutus posuit pro Christo quidquid est in vita æstimabile, cum perdiderit vitam rationalem, imò & fere animalem.

Gratia Martyrii confertur paulò ante mortem quando martyrium moraliter consummatum est.

§. III.

Baptismi necessitas, & vis Baptismi Flaminis.

Parvulis extra Martyrium necessarius est Baptismus reipsa susceptus.

172 PArvulis extra causam Martyrii necessarius est Baptismus in re. Est communis & certa contra Cajet. docentem in necessitate parvulos adhuc inclusos utero materno posse justificari & salvari per applicationem fidei, seu per Baptismum in voto parentum, præsertim indicio aliquo exteriùs manifestato: cujus sententiam Suar. & alii censent ut minimum temerariam, Sotus hæreticam, Pius V. intollerandam, & hoc titulo eam in nova editione Romana expungendam curavit.

Prob. 1. ex generali regula Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. à qua nulla apparet ratio parvulos excipiendi, secluso Martyrio. 2. perpetua traditione Ecclesiæ & PP. consensu, apud Suar. Vasq. &c. ac nominatim ex Aug. Epist. 28. ad Hieron. his verbis: *Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis pueris festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari non posse*. Et lib. 3. de orig. animæ cap. 9. sic habet *noli credere noli dicere noli docere infantes antequam baptizentur morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*.

Nec sufficit fides parentum parvulis applicata sicut sufficiebat in lege naturæ aut Mosayca.

173 Nec refert quod ante circumcisionem fides parentum sufficeret pro justificandis parvulis; & tempore circumcisionis pro non Israelitis, imò & Israelitis fæminis & masculis ante octavum diem morientibus: Hoc enim habebat fides, non per se, & ex virtute intrinseca; sed per accidens ratione privilegii sibi annexi & institutione Dei nolentis parvulos eo remedio destituere: quod privilegium nunc sublatum est per institutionem Baptismi medii justificationis efficacissimi, universalissimi & facillimi; utpote non à solis parentibus, sed à quolibet va-

Quo non obstante via salutis respectu parvulorum est per se loquendo facilior in lege Evangelica.

lide conferibilis statim à nativitate, idque independenter à fide parentum & conferentium: ac proinde via salutis non est facta arctior, sed latior: & longe plures infantes salvantur in lege Evangelica, quam in lege naturæ aut Mosaica; quo tempore vera fides in paucis admodum inveniebatur. Vnde absolute, & per se loquendo, conditio parvulorum non est facta deterior, sed melior: licet per accidens & secundum quid dici possit deterior respectu eorum, qui statim ab ortu ita subito moriuntur, ut nulla parentum diligentia possint Baptismum recipere.

174 Nec obstat quod Deus habeat seriam voluntatem licet inefficacem salvandi omnes, adeoque & parvulos in utero materno morientes; ac proinde eos non reliquerit sine aliquo salutis rimedio. Quia sicut per accidens fit quod moriantur in utero materno, ita per accidens fit quod Baptismus per se pro omnium salute institutus non possit eis applicari. Ac proinde cum eo stat quod ex generali voluntate salvandi omnes Baptismum instituerit. Cæterum hoc etiam argumentum solvendum est à Cajetano: cum remedium ab ipso allatum non possit etiam applicari parvulis inter infideles morientibus; vel etiam inter Christianos in utero matris ignorantis se esse gravidam, aut de periculo non cogitantis.

Per accidens est quod morientes in utero materno careant remedio ad salutem necessario.

175 Hinc sequitur admitti posse ac debere, meritum Christi in actu 2. esse secundùm quid, & quoad extensionem inefficaciùs demerito Adami; quatenùs hujus peccatum, quod ex divina dispositione sola naturali propagatione communicatur, de facto omnes inficit, idque à primo instanti conceptionis: cùm Christi meritum iis tantùm prosit, quibus per certa media ab eodem instituta post nativitatem applicantur. Est tamen absolute efficaciùs in actu 1. & aliquo modo etiam in actu 2. quatenus non tantùm delet peccatum originale, sed etiam peccata actualia. Item quatenus vi illius quibusdam conferuntur bona supernaturalia longe majora iis, quæ Adami demerito fuerunt perdita.

Meritum Christi est absolute efficaciùs demerito Adami, inefficaciùs tamen secundum quid.

176 Cum Aug. l. 3. contra Iulian. docet parvulum credere per alienũ opus, sicut peccavit per alienum

num opus: solum vult eum justificari per Sacramentum fidei, seu Baptismum, sibi fide aliena applicatū.

Possunt adulti sine baptismo aquæ per bapt. flaminis justificari.

177 Possunt tamen adulti etiam extra casum Martyrii sine Baptismo aquæ (si is reipsa haberi non possit) justificari, adeoque salvari, nempe per Baptismum flaminis, seu in voto saltem implicite incluso in perfecta contritione, aut dilectione essentialiter importante desiderium efficax, saltem virtuale, faciendi omnia necessaria ad placendum Deo in æternum.

Conclusio certa est ex Script. Conciliis & Patrib.

Est communis & certa 1. è Script. Deut. 4. 29. Ezech. 18. & 33. Proverbiorum 8. *Ego diligentes me diligo*. Ioan. 14. *Qui diligit me, diligitur à Patre meo*; aliisque infra citandis Tractatu de pœnitentia. 2. ex Trident. sess. 14. c. 4. ubi dicet contritionem perfectam Deo reconciliare, & sess. 6. c. 4. ubi docet translationem peccatoris ad statum gratiæ post Evangelium promulgatum sine Baptismo aut eius voto fieri non posse. Item *ex cap. debitum de Baptismo, & cap. Apostolicam de presbytero non baptizato*. 3. ex PP. Ambr. oratione de obitu Valentiniani ubi censet eum licet mortuum sine Baptismo, salvatum tamen esse per votum Baptismi. Aug. l. 4. de Baptism. c. 22. ubi expresse dicit non tantum Martyrium, sed etiam fidem & cordis conversionem ad Deum, supplere vices Baptismi, quando non potest recipi. Videe etiam Bernar. Epist. 77. ad Hug. Vict. ubi ad ipsum fuse tradit, reprehenditque contrariam opinionem tanquam novam, & SS. Ambr. & Aug. contrariam. 4. denique ex communi sensu Ecclesiæ præter Baptismum fluminis & sanguinis, tertium agnoscentis, nempe flaminis.

Illud nisi quis renatus fuerit &c. intelligendum est de baptismo in re vel in voto.

178 Ex quibus patet regulam illam generalem Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* intelligendam esse de Baptismo vel in re, vel in voto.

179 Cùm ergo Ananias act. 22. Paulo antea perfecte contrito dixit; *Baptizare, & ablue peccata tua*, non significavit Paulum ante non fuisse justificatum, sed solum justificatum fuisse sub onere Baptismi postea suscipiendi; vel certe loquitur de tali ablutione peccatorum quoad reatum pœnæ.

Am-

180 Ambrosius l. de iis qui initiantur c. 4. dum ait: *Credit & Catechumenus; sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest accipere peccatorum*, solum vult realem Baptismi susceptionem esse necessariam ad remissionem peccatorum, quando adest potestas recipiendi Baptismum.

Ambros. intelligendus est de Catechumeno negligente receptionem Baptismi.

181 Difficiliora sunt quæ ex Aug. objiciuntur. 1. enim lib. de Eccles. dogmat. cap. 74. ait: *Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus excepto martyrio*. Quæ verba inserta sunt canoni *Catechumenum* de consec. dist. 4. 2. lib. 2. de orig. animæ cap. 9. *Nemo*, inquit, *fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo*. lib. de peccat. meritis c. 26. sic habet: *sanctificatio Catechumeni si non fuerit baptizatus non ei valet ad intrandum regnum cœlorum*. 4. tract. in Ioan. sic loquitur: *quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis portat*. 5. lib. 1. de symb. ad Catech. 6. quandiu, inquit: *sunt Catechumeni super illos sunt omnia peccata illorum*. 6. Denique lib. 4. de Bapt. cap. 2. ait bono Catechumeno Baptismum deesse ad capescendum regnum cœlorum.

182 Ad 1. R. id intelligendum esse de Catechumeno qui nimium fidens bonis operibus suis negligit susceptionem Baptismi. Quod autem habet 2. loco verificatur de Baptismo vel in re quando potest recipi: vel in voto, quando non potest recipi. Tertio autem loco agit de sanctificatione Catechumeni non perfecta per gratiam; sed imperfecta per signum Crucis, aspersionem aquæ benedictæ aliaque similia.

Explicantur quædam difficilia Augustini loca.

184 Ad 4. & 5. R. August. illic loqui de Catechumenis qui Baptismum contemnebant tanquam sibi non necessarium, eo quod exercentes multa opera bona viderentur sibi meliores multis jam baptizatis: quorum præsumptionem ut reprimat, dicit hujusmodi Catechumenos negligentes susceptionem Baptismi: quantumcumque proficiant in bonis operibus, adhuc portare sarcinam in bonis operibus, adhuc portare sarcinam peccatorum suorum, ob istam scilicet negligentiam.

184 Ad

184 Ad 6. Resp. dici illic bono Catechumeno deesse Baptismum ad capessendum regnum cœlorum; quia licet forte sit in statu gratiæ; habet tamen obligationem suscipiendi Baptismi, & si illum culpabiliter omittat, non potest pervenire ad salutem. Iuxta quod ibidem dicit: *Verumtamen Cornelius* (de quo Act. 10.) *si Spiritus S. jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret*. Hoc modo, vel uno ex præcedentibus respondendum est ad Cyrillum Catech. 3. & Fulgent. lib. de Fide c. 3. ubi habent similia his quæ ex Aug. allata sunt.

Contritio justificat non baptizatum dependenter à voto Baptismi nec propterea habet minorem vim quam habebat ante Baptismi institutionem.

185 Dices vel contritio justificat non Baptizatum dependenter à voto Baptismi quod includit: vel sumpta secundum se independenter ab hoc voto. Non primum, quia non habet minorem vim post institutionem Baptismi, quam ante. Nec majorem post susceptum Baptismum, quam ante illius susceptionem. Atqui ante institutionem Baptismi justificabat independenter ab isto voto: & etiam independenter ab eo justificat peccatorem jam baptizatum. Non etiam secundum; quia alioqui baptismus nequidem in voto necessarius foret necessitate medii quod dici non potest.

186 R. Non baptizatum justificari per contritionem dependenter a voto Baptismi. Nec inde sequi quod habeat nunc minorem vim, quam habebat ante institutum Baptismum. 1. Quia ante ejus institutionem non justificabat etiam prima vice nisi dependenter à voto suscipiendi Sacramentum quod erat institutum ad delendum originale. Quia debuit semper se generatim extendere ad facienda omnia præcepta, & adhibenda omnia media ad salutem necessaria. Quod autem uno tempore ad plura se extendat, quam alio, non oritur ex aliqua mutatione contritionis: sed ex eò quod uno tempore plura sint præcepta, & plura media ad salutem necessaria quam alio. Ex quo apparet cur etiam justificet peccatorem baptizatum independenter à voto baptismi: quia scilicet respectu baptizati impleta est obligatio recipiendi baptismum.

187 Necessitas Baptismi in re suscipiendi, respectu

ctu parvulorum, est medii, non præcepti; cùm hujus sint incapaces: respectu adultorum in re vel in voto, est & medii & præcepti, tum naturalis fundati in charitate sui, qua quis tenetur adhibere media ad salutem suam necessaria; tum positivi, quo Christus præcipit ut quilibet homo per hoc Sacramentum ingrediatur in Ecclesiam. Patet conclusio pro utraque parte ex dictis sup. n. 172. & seqq.

Necessitas Baptismi in parvulis est medii, in adultis medii & præcepti.

188. Adulti autem sufficienter instructi tenentur præceptum illud implere quam primum possunt absque gravi incommodo id facere: sicut enim obligantur statim credere mysteria fidei sibi sufficienter proposita & Religionem Christianam amplecti: ita & Baptismum recipere, qui est janua istius Religionis.

Tenentur adulti sufficienter instructi ad Baptismum recipiendum

§. IV.

De subjecto Baptismi.

189 DE fide est parvulos esse capaces Baptismi. Hæc veritas definita est in variis Conciliis Carthag. Milevit. Vienn. Bracar. apud Bellarm. ac nominatim Trid. sess. 7 can 12. & 13. constatq; ex traditione & perpetua praxi Ecclesiæ infantes baptizantis, de qua constat ex antiquissimis PP. Dionys. Clem. Orig. Cyprian. Augustin. aliisque apud eundem Bellarm. & ipsa ratio id etiam persuadet: quia parvuli capaces sunt regni cœlorum: atqui extra casum martyrii non possunt illud obtinere nisi per Baptismum, ergo &c.

Parvuli ante usum rationis, capaces sunt Baptismi.

190. Nec refert quod infantes non sint capaces instructionis; cum tamen Christus Matth. v. velit ut baptismo præmittatur instructio, dicens *docete omnes gentes Baptizantes eos &c.*, quia id intelligendum est de adultis. Vti & illud Hieronymi in prædictum Matthæi caput: *Non potest fieri ut corpus Baptismi recipiat Sacr. nisi ante anima receperit fidei virtutem.*

Neque obstat quod non sint capaces instructionis; quia ly docete Matth. ult. tantum respicit adulto.

191. Tertulian. l. de Bapt. censens expectandum esse usum rationis & Nazianz. Orat. 40. de Bapt. existimans expectandum saltem triennium, ut parvulus possit respondere, non favent Anabaptistis:

non

non enim negant validum esse baptismum parvulorum, cum doceant eos esse in necessitate baptizandos; sed tantum putant extra necessitatem convenientem esse istam dilationem, in quo decepti sunt.

Non tantum possunt filii fidelium baptizari ante usum rationis, sed expedit ita fieri.

Neque enim hanc convenientiam sufficienter probat quod baptizatus incurrat obligationem servandæ legis Christianæ, non videatur autem equum ut quis contrahat gravem obligationem absque suo consensu, cuius infantes non sunt capaces; quia beneficium justificationis & status Christiani quem consequuntur, longe præstat isti obligationi, ac proinde nulla fit eis injuria, dum isti oneri per Baptismum subjiciuntur; sed contra magnum confertur beneficium.

192 Non tantum possunt filii fidelium ante usum rationis baptizari; sed etiam expedit ita fieri, ut constat 1. ex praxi Ecclesiæ parvulos baptizantis 2. ex Trid. sess. 7. can. 13 dicente anathema iis qui dixerint *præstari omitti parvulorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ.* 3. authoritate PP. apud Bellarm. & Vasq. 4. ratione. Quia sic melius consulitur eorum saluti? Quia expedit eos citissime Deo consecrari. Quia dilatio Baptismi ad ætatem provectiorem illecebra est peccandi, ea spe quod posteà per Baptismum liberabuntur ab omni culpa & pœna.

Rationes in contrarium non sunt solidæ.

193. Nec satis solidæ videntur rationes in contrarium nempe 1. quod convenientiùs videatur ut ea ætas expectetur in qua baptizandus possit pro se ipso respondere & intelligere quam obligationem suscipiat. 2. quia ob similem aliquam rationem differtur Eucharistia. 3. quia alias Baptismus exponitur periculo prophanationis; cum incertum sit qualis futurus sit infans cum adoleverit. 4. quia Christus distulit Baptismum suum usque ad trigesimum ætatis annum. 5. quia hæc videtur fuisse praxis primorum sæculorum.

Ad 1. R. huic rationi prævalere rationes allatas pro conclusione: Ad 2. sumptionem Eucharistiæ non esse parvulis necessariam ad salutem, ut baptismum. Ad 3. si agatur de prophanatione Baptismi per infidelita-

delitatem non esse morale illius periculum inter fideles. Si autem sermo sit de moribus, nimium probari: hinc enim sequeretur differendum Baptismum usque ad finem vitæ, cum sit plerumque, periculum ne baptizatus perversè vivat. Ad 4. Christum tantum baptizatum fuisse Baptismo Ioannis, idque absque necessitate. Ad 5. praxim differendi Baptismum non fuisse etiam tunc ita universalē, quin plurimi in infantia baptizarentur. Nec eam diu durasse ut constat ex Conciliis & PP. citatis. Fuisse autem tunc specialem rationem id faciendi ob vigentem ubique idololatriam, & inde notabile periculum subversionis.

N. 194. Tenentur fideles præcepto Ecclesiastico filiis suis procurare Baptismum brevi post eorum nativitatem, peccantque mortaliter si diutius id differant. Ita DD. communiter. Quamvis enim nullum extet de hac re universalis Ecclesiæ præceptum: extant tamen plurima decreta synodalia. Et præterea universalis Ecclesiæ consuetudo parvulos baptizandi vim legis obtinet.

Tenentur fideles præcepto Ecclesiastico filiis suis procurare Baptismum brevi post eorum nativitatem.

Dixi jure Ecclesiastico: quia extra periculum mortis non videtur esse obligatio juris naturalis aut divini; cum nullum sit sufficiens talis obligationis fundamentum; & contrarium potius colligatur ex dilatione Baptismi initio Ecclesiæ satis frequenti.

195. Petes quænam dilatio debeat censeri notabilis & sufficiens ad mortale? R. per se loquendo, secluso contemptu non videri mortale differre parvulis Baptismum ad aliquot dies. v.g. 4. 5. aut 6. consulendæ tamen sunt locorum consuetudines & specialia circa hoc decreta. In variis Belgii Synodis jubentur parochi urgere parentes ut intra diem tertium infantes suos ad Baptismum offerant, nec ultra differant.

196. Non licet extra casum mortis certò imminentis infantes infideliū Principibus infidelibus subditorum baptizare. Est communis & certa. Prob. hoc dilemmate efficaci: vel enim infans baptizatus relinquetur parentibus infidelibus, vel ab iis educandum in infidelitate, & consequenter exponi Baptismum evidenti periculo prophanationis, quod non licet.

Extra casum mortis certo imminentis non licet infantes infidelium principibus infidelibus subdi-

Non

corum baptizare.

Non etiam secundum: quia per istam abstractionem fieret injuria parentibus, cum habeant jus naturale educandi & apud se retinendi liberos suos, donecad annos discretionis pervenerint. Nec possunt ab Ecclesia hoc jure privari, cum ei non subsint. Nec unquam Ecclesia id agnovit in se, aut usurpavit & merito quia id verteretur in odium Christianæ Religionis & perturbationem Reipublicæ.

Dixi in conclusione *extra casum mortis certo imminentis*: quia cum tunc cesset periculum prophanationis Baptismi; fitque infans paulò pòst parentibus per mortem eripiendus, cessat utraque ratio allata conclusione. Ac proinde tunc non tantum potest, sed etiam debet baptizari; modò vis nulla parentibus inferenda sit in ordine ad istum finem. Idem meritò extendit Layman ad filios infidelium perpetuò amentes: quia respectu illorum cessat etiam periculum prophanationis saltem formalis.

Christus noluit Religionem suam vi propagari sed libero consensu.

197. Dices 1. Christus Matth. ult. dedit Apostolis præceptum docendi & baptizandi omnes gentes R. hoc præceptum respicere adultos, ut patet ex ly *docere*. Sicut ergo adulti non possunt baptizari nisi consentiant: ita nec infantes absq; consensu parentum aut eorum quorum curæ subsunt. Noluit enim Christus religionem suam vi propagari, sed libero consensu.

198. Dices 2. tenentur infideles parentes Evangelio sufficienter ipsis proposito Baptismum suscipere, & eum filiis suis procurare; & si eum impediant abutuntur patria potestate: ergo juste possunt hac potestate ab Ecclesia privari. R. neg. conseq. quia Ecclesia in hujusmodi infideles non baptizatos nullam habet jurisdictionem, quæ tamen requiritur ad puniendum. Itaque punitio hujus abusus Deo relinquenda est.

Non possunt infideles privari ab Ecclesia potestate patria.

199. Dices 3. si isti infideles vellent infantes suos corporaliter occidere posset & teneretur quilibet eos defendere & abstrahere à parentibus: ergo à fortiori idem dicendum, dum volunt eos spiritualiter occidere, saltem virtualiter impediendo spiritualem eorum vivificationem per Baptismum. R. neg. conseq.

disparitas

disparitas est quod in casu antec. faciant contra jus naturale quod habent infantes eorum ad vitæ suæ conservationem. In casu autem conseq. faciant tantum contra jus supernaturale quod habent infantes isti ad supernaturalem animæ vitam. Vnusquisque autem accepit à Deo potestatem & obligationem hujusmodi injurias naturales propulsandi ab innocentibus: non autem supernaturales istius saltem generis. Adde primam injuriam esse irreparabilem, cum vita corporalis non possit restitui Non autem secundum; quia infantes illi cum Dei auxilio poterunt sibi comparare vitam spiritualem, cum pervenerint ad usum rationis.

quia non subduntur jurisdictioni.

200 Petes 1. quid dicendum sit, si parentes infideles fuerint aliquando baptizati. R. posse tunc ipsis etiam invitis eorum infantes ab Ecclesia baptizari, si absque perturbatione Reipublicæ possint ab iis abstrahi, ut educentur in fide Catholica. Ratio est quod Ecclesia ratione Baptismi habeat jurisdictionem in istos parentes in ordine ad Religionem; ideoque possit juste eos privare patria potestate quam habent ad liberorum educationem eosque ab iis abstrahere ut baptizentur & in fide, cum pervenerint ad usum rationis, instruantur.

Non est justa comparatio inter mortem corporalem & spiritualem.

Dixi: *si sine perturbatione Reipublicæ* &c. quia non esset id faciendum si ex illa infantium à parentibus abstractione perturbanda esset Respublica, & Religio Catholica in odium adducenda: qualiter natum est fieri dum parentes infideles subsunt principibus infidelibus.

Aliter sentiendum est si parentes infideles fuerint aliquando baptizati.

201 Petes 2. quid sentiendum sit, si parentes infideles consentiant in Baptismum infantium suorum? R. si sic consentiant ut tamen velint eos sibi retinere, nec spes sit ut apud eos remanentes instruantur in fide Catholica; nec in eum finem possint ab illis abstrahi absque perturbatione Reipublicæ, non esse baptizandos: quia tunc Baptismus exponeretur manifesto prophanationis periculo.

Non satis est quod parentes infideles consentiant in baptismum infantium suorum, nisi etiam permittant educationem Christianam.

202 Petes 3. quid si alter conjugum sit Christianus; an possit infans altero invito baptizari? R posse si spes sit educationis Christianæ. Ita enim in favo-

rem Religionis statuitur *can. Iudai causa 28. quæst. 1. & cap. ex litteris de conversione infidelium.*

Dixi si spes sit educationis Christianæ: quia dum parentes subduntur infidelibus, facile est ut alter conjux infidelis impediat educationem Christianam prolis ipso invito baptizatæ. Vnde jura citata supponunt parentes subdi Principibus Christianis. Non sunt igitur extendenda ad casum quo infidelibus subjiciuntur, nisi cum prædicta limitatione. Multò minùs extendenda sunt, ut multi faciunt, ad casum, quo uterque sit infidelis, & unus tantum consentiat in baptismum infantis: hunc enim casum jura citata minime comprehendunt.

Quid agendum sit si reipsa infans baptizatus sit invitis parentibus.

203. Petes 4. quid agendum sit, si infans reipsa baptizatus sit invitis parentibus infidelibus? R. secluso periculo scandali & perturbationis Reipublicæ abstrahendum à parentibus; ut instruatur fide Christiana: quia Ecclesia per Baptismum acquisivit jurisdictionem in eum, & jus ad istam instructionem.

204 Petes 5. quid si infans jam sit abstractus à parentibus infidelibus & moraliter certum sit non esse iis restituendum? R. baptizandum esse: quia tunc per Baptismum non violatur jus parentum, esto prius violatum fuerit per istam abstractionem.

Non licet etiam infantes infidelium Principibus Christianis civiliter tantum subditorum parentibus invitis baptizare.

205 Non licet etiam infantes infidelium civiliter tantum seu politice Christianis Principibus subditorum parentibus invitis baptizare. Ità cum S. Th. DD. communius contra Scotistas. Prob. 1. ratione allata pro conclusione præcedenti, quæ etiam hic habet locum, ut consideranti patebit. 2. quia ipsi parentes infideles, non possunt à Principe Christiano cogi ad fidem & Baptismum suscipiendum ergo nec cogi possunt ut proles suas offerant ad Baptismum. Ratio utriusque est quod potestas principis non extendat se ad supernaturalia, qualis est susceptio fidei & Baptismi: sed tantum ad ea quæ spectant ad justitiam, & honestatem, & bonum naturale subditorum ac Reipublicæ. Quamvis autem potestas Ecclesiæ ac Pastorum ejus versetur circa supernaturalia, eorumque sit curare ut serventur leges supernaturales

spectan-

spectantes ad salutem animarum, non possunt tamen earum executionem imperare infidelibus non Baptizatis, eò quòd nullam habeant in eos jurisdictionem; cum non sint Ecclesiæ membra.

206 Dices 1. Mathathias Machab. 1 cap. 2. dicitur circumcidisse pueros omnes incircumcisos qui inventi sunt in finibus Israel: inter quos videntur fuisse non pauci infidelium filii: eadem autem quoad hoc videtur ratio Baptismi & circumcisionis. Et in Conc. Tolet. 4. laudatur Rex Zizebutus qui Iudæos omnes coegerat ad fidem & Baptismum suscipiendum. R. Mathathiam solum circumcidisse filios Iudæorum, quos parentes metu Antiochi omiserant circumcidere. Vel certe si quos infidelium filios circumcidit, id jure potuisse: quia justo bello capti erant ac proinde effecti servi. Hi autem sicut tunc ad circumcisionem, ita & nunc ad Baptismi adigi possunt ut dicemus concl. seq. Conc. autem Tolet laudat quidem zelum istius regis in hoc facto; sed non ipsum factum: unde prohibet ne deinceps id fiat.

Zelus Zizebuti Regis Iudæos ad Baptismum cogentis laudatur quidem à Conc. Tolet. 4. sed factum improbatur.

207 Dices 2. parentes prohibendo Baptismum infantium suorum abutuntur patria potestate: imo imbuentes illos falsa Religione aut devoventes cultui idolorum, peccant contra legem naturæ. Ergo possunt a Principe privari jure quod habent ad filiorum educationem: sicut si docerent illos latrocinia, veneficia &c.

R. Abusum illum cum sit circa supernaturalia non subjici vindicativæ principis potestati. Quod si falsa Religio qua vellent filios suos imbuere repugnaret rectæ rationi, qualiter v. g. repugnat idololatria, posset quidem Princeps id impedire, sed non posset propterea parantes adigere ad procurandum filiis Baptismum & instructionem in fide Catholica; quia utrumque est supernaturale. Nec omnis falsa Religio repugnat rectæ rationi, ut patet 1. in Iudaismo, qui aliquando vera Religio. 2. in eum qui unum Deum coleret, non vero tres personas. Aliud est de instructione in magicis artibus, veneficiis, latrocinii, quia hæc manifeste repugnant rectæ rationi, & bono Reipublicæ.

Abusus patriæ potestatis circa supernaturalia non subjacet vindicativæ Principis potestati.

Ratio naturalis dictat quidem generatim veram Religionem esse amplecten. dam, sed non hanc in particulari esse veram.

Nec refert quod ratio naturalis dictet veram Religionem esse amplectendam: sola autem Religio Christiana sit vera Religio: quia ratio naturalis non dictat hanc in particulari v.g. Christianam esse veram, & hanc v.g. Iudaicam esse falsam; sed ad id dignoscendum opus est aliquo lumine supernaturali.

Principes ferentes leges circa supernaturalia id fecerunt ex commissione Ecclesiæ.

208 Dices 3. potestas Principum est divinæ potestatis vicaria: ergo etiam se extendit ad supernaturalia, respectu subditorum. Quod confirmatur ex eo quòd ea se extendat potestas parentum respectu filiorum procurando eis Baptismum. R. potestatem Principum esse quidem divinæ potestatis vicariam, sed tantum respectu eorum quæ sunt ordinis naturalis, spectantque ad honestatem naturalem & temporale bonum Reipublicæ. Quod si Principes quandoque tulerint leges circa observationem legum supernaturalium, id fecerunt ex Ecclesiæ commissione vel expressa, vel tacita, vel præsumpta, idque tantum respectu eorum, qui suberant spirituali ejusdem Ecclesiæ jurisdictioni.

Parvuli non habent moraliter aliam voluntatem quam parentum.

Ad Confir. R. neque parentum potestatem eò se extendere, ut liberos suos jam adultos adigant ad susceptionem Baptismi & fidei. Possunt autem ante usum rationis illos offerre ad Baptismum, quia tunc non habent moraliter aliam voluntatem, quam parentũ, quod non convenit Principibus respectu subditorum non tantum adultorum, sed etiam parvulorum, nisi hi careant parentibus: tunc enim potest imò & debet Princeps aut Magistratus Christianus curare ut baptizentur, & suo tempore in fide instruantur: quia tunc non habent moraliter aliam voluntatem, quam Principis aut Magistratus Christiani. Neque huic rei potest obesse contraria infidelium tutorum voluntas, quia illorum potestas in pupillos non est à jure Naturæ, sed civili, cui potest Princeps derogare, præsertim cum sit aliquo modo universalis tutor omnium pupillorum sibi subditorum.

Mandatum Dei volentis omnes baptizari non est

209 Dices 4. invalida est prohibitio inferioris, quando contraria est mandato superioris: atqui prohibitio parentum vetantium Baptismum infantium suorum contraria est mandato Dei de Baptismo omnibus

nibus conferendo: ergo &c. R. dist. ma. si mandatum superioris sit absolutum. Conc. si tantum sit conditionatum neg jam autem mandatum Dei de Baptismo omnibus conferendo tantum est conditionatum, si nempe adulti in Baptismum suum consentiant, & parentes in Baptismum infantium suorum.

absolutum sed conditionatum.

210 Petes quid dicendum sit ad casus propositos sub finem conclusionis præced. n. 200. & seqq. in hypothesi hujus conclusionis quod parentes infideles subijciantur civiliter Principibus Christianis. R. ad 1.2.3.4. baptizandos esse infantes: nec limitationes ibi appositas habere locum. Vt consideranti patebit. Ad 5. autem eodem modo, quo illic, respondendum.

211 Infantes mancipiorum infidelium possunt & debent invitis baptizari, si subsint Dominis Christianis. Ratio est quod Domini habeant plenum dominium in hujusmodi parentes & eorum liberos, ratione cujus possunt illos abstrahere à parentibus, & aliis tradere educandos in fide Christiana absque ulla parentum injuria. Cum ergo tunc & cesset injuria parentum & periculum prophanationis Baptismi, non est cur non possint aut non debeant baptizari.

Infantes mancipiorum infidelium possunt & debent ipsis invitis baptizari.

212 Dices 1. potestas parentum in liberos ratione nativitatis, prævalet potestati dominorum in eosdem ratione servitutis; quandoquidem hæc sit solum juris gentium; illa autem juris naturę Ergo non possunt infantes isti à parentibus abstrahi absque eorũ injuria. R. in parentibus mancipiis non remanere patriam illam potestatem respectu educationis & dispositionis filiorum; eò quòd non sint ampliùs sui juris. Non est igitur hoc sensu juris naturæ, quasi ius naturæ prohibeat illam tolli: sed tantum hoc sensu quod parentes attento solo iuræ naturæ habeant istã potestatem, sicut & libertatem suam. Quemadmodum igitur libertatem istam naturalem amittere possunt per servitutem: ita & patriam potestatem.

In parentibus mancipiis non remanet patria potestas respectu educationis & dispositionis liberorum.

213 Dices 2. potestas Domini in servum, cum sit tantum temporalis non potest se extendere ad supernaturalia, qualis est Baptismus & fides. Ergo &c. R. sicut patria potestas, licet tantum naturalis supposi-

ta tamen elevatione hominis ad finem supernaturalem, extendit se ad Baptismum & fidem filiis procurandam. Ita & istud dominium, cum succedat patriæ potestati.

Possunt etiam infantes nati ante servilem parentum conditionem ipsis invitis baptizari.

214 Petes 1. quid dicendum sit de infantibus natis ante servilem parentum conditionem, nec aliunde servituti subjectis? R. posse etiam baptizari invitis parentibus: quamvis enim tunc parentum servitus nullum jus Dominis Christianis tribuat in hujusmodi infantes; Aliunde tamen cum parentes non sint ampliùs sui juris; sed omne illorum jus ad dominos transierit: sicut parentes possent illos offerre ad Baptismum. Ita & domini succedentes patri eorum potestati.

215 Petes 2. quid sentiendum sit, si proles nata sit ex Patre servo, & Matre libera infideli? R. videri non posse baptizari invita matre: quia proles sequitur uterum, hoc est conditionem matris; ac proinde libera est. Cùm ergo & mater, & proles sint liberæ, videtur mater habere jus retinendi apud se prolem suam & educandi. Et consequenter in hoc casu militat ratio allata pro conclus. præced. n. 205.

Amentes à nativitate baptizandi sunt in fide Ecclesiæ.

216 Amentes à nativitate, nec habentes lucida intervalla baptizandi sunt in fide Ecclesiæ ut parvuli, quibus æquiparantur. Est communis & certa. Si tamen utrique nati sint ex parentibus infidelibus liberis, est hæc distinctio inter hos & illos; quod hi extra manifestum mortis periculum non possint baptizari invitis parentibus, ut supra diximus n. 196. secus illi, modo id fiat absque tumultu & violentia, eo quod respectu illorum cesset periculum prophanationis.

Si habuerint aliquando usum rationis & Baptismum petierint possunt & debent baptizari. Secus, si non petierint.

Si autem habuerint aliquando usum rationis, & eo tempore Baptismum petierint; baptizandi sunt in amentia, si non sit spes ut ad mentem redeant. Si autem esset spes secluso mortis periculo differendus esset Baptismus donec spes illa morali prudentum judicio desineret. Si autem utentes ratione Baptismum cognoverint, nec petierint; non sunt in amentia baptizandi. Ratio est quod Baptismus requirat in adultis aliquem consensum, quando haberi potest,

test, potuit autem & debuit ab illis haberi dum ratione uterentur. Ita etiam communiter.

Dixi *si Baptismum cognoverint*: si enim nullam unquam ejus notitiam habuerint, nec moraliter habere potuerint ut accidit in iis regionibus, in quibus nunquam Evangelium fuit promulgatum, & putentur non peccasse mortaliter, eò quod v.g. non non diu post usum rationis inciderint in amentiam; videntur tunc posse baptizari, quia necessitas consensus restringi potest ad eos qui Baptismum cognoverunt, aut cognoscere potuerunt ante amissum rationis usum.

Dixi *& putentur non peccasse mortaliter*: quod si contrarium ex vita ante acta clare colligeretur; nec appareret pœnitentia subsecuta, non essent baptizandi; quia apertum esset periculum ne indignis Baptismus conferretur.

Si amentes habeant lucida intervalla, & Baptismum petant baptizandi sunt etiam in ipsa amentia si immineat mortis periculum.

217 Si amentes habeant lucida intervalla, & eorum tempore Baptismum petant, & videantur benè dispositi possunt & debent baptizari, non solum dum lucidis istis intervallis potiuntur; sed etiam in ipsa amentia si immineat mortis periculum. Extra autem illud expectandum est donec redeat lucidum intervallum, ut debita cum reverentia ac devotione Baptismum recipiant. Hæc etiam conclusio communis est & certa.

§. V.

De effectu Baptismi & necessaria ad eum dispositione

Baptismus secluso obice remittit omnem culpam & pœnam.

218 Baptismus secluso obice remittit omne peccatum: est de fide 1. ex Script. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. 2. ex Symb. Nic. in quo simpliciter dicitur, *confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. 3. ex Florent. in decreto de Sacramentis: ubi de Baptismo dicitur, *effectus hujus Sacramenti est remissio omnis culpa originalis & actualis*. 4. ex unanimi PP. consensu apud Bellarm.

Dixi secluso obice. Potest enim hic affectus duo-

bus modis impediri, 1. positive per affectum ad peccatum. 2 negative per defectum debitæ dispositionis, de qua mox.

219 Remittit etiam secluso dicto obice omnem pœnam peccatis debitam. Est etiam de fide ex eod. Flor. in dicto decreto: ubi inter effectum hujus Sacramenti recenset quoque remissionem omnis pœnæ. Propterea, inquit, baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio; sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum Cœlorum & Dei visionem perveniunt.

Contritio in non baptizato non remittit peccatum nisi prout continet votum Baptismi.

220 Petes an pro effectu suo semper habeat remissionem culpæ. R. semper hunc effectum habere, quando in rite disposito invenit culpam. Si autem baptizandus priùs fuerit justificatus per actum contritionis, tunc per accidens non remittit culpam, eo quòd priùs sit remissa per actum contritionis. Quia tamen hic actus non remittit culpam in non baptizato, nisi prout continet votum Baptismi, dici potest culpa tunc partialiter remitti per Baptismum in voto. Gratiam autem semper producit & per se quidem primam, cum sit Sacramentum regenerationis spiritualis; regeneramur autem spiritualiter per primam gratiam. Per accidens tamen quandoque producit tantum secundam seu augmentum primæ: quando scilicet baptizandus prius justificatus fuit per actum contritionis aut amoris Dei super omnia. Quia non justificatur tunc per istos actus nisi ut continentes votum Baptismi, etiam tunc Baptismus bono sensu dici potest influere in primam gratiam & regenerationem spiritualem.

In adulto antea justificato per contritionem sufficit sola voluntas Baptismum recipiendi.

221 Vt quis jam justificatus per contritionem recipiat augmentum gratiæ in Baptismo, sufficit sola voluntas Baptismum recipiendi ex motivo aliquo supernaturali. Cum enim in tali præcesserint & Fides, & Spes, & contritio, & propositum servandi omnia Dei præcepta implicite saltem contentum in contritione, non est fundamentum plus requirendi. Ita communiter DD.

222 In adulto habente solum originale (ut contingere potest saltem per aliquod breve tempus) non est

est necessaria aliqua pœnitentia: quia pœnitentia tantum respicit peccata actualia propria voluntate commissa. Requiritur tamen Fides, & Spes veniæ & salutis consequendæ; quia sine motu Fidei & Spei non potest adultus accedere ad istud supernaturale remedium peccati. Requiritur etiam voluntas servandi omnia Dei præcepta: quia nemo potest admitti in Dei amicitiam, nisi in illam consentiat: neque in illam syncere consentire, nisi velit ea omnia facere, quæ necessaria sunt ad servandam istam amicitiam.

In habente actualia peccata requiritur pœnitentia seu dolor de peccatis.

223 In adulto habente peccata actualia præter actus jam recensitos requiritur insuper pœnitentia seu dolor de peccatis. Est de fide ex Trid. sess. 6. cap 6. & sess 14. cap. 1. & 4. & manifeste colligitur ex Actis Apost. cap. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum.* Et ratione etiam evincitur; quia non est æquum ut qui propria voluntate Deum offendit, absque peccatorum retractatione & dolore in ejus amicitiam recipiatur.

Hic dolor debet concipi ex motivo supernaturali.

224 Debet hic dolor concipi ex motivo aliquo supernaturali. Est communis & certa, & manifeste colligitur ex Trid. sess. 6. can. 3. dicēte anathema asserenti hominem pœnitere posse sicut oportet absque præveniente S. Spiritus inspiratione. Et sess. 14. cap. 4. docente attritionem disponentem ad justificationem esse donum Dei & impulsum S. Spiritus. Id etiam ratione probatur: quia inter dispositionem & formam introducendam debet esse aliqua proportio: forma autem hic introducenda, videlicet gratia est supernaturalis: ergo talis etiam debet esse ad eam dispositio.

Non est tamen necessaria perfecta contritio.

225 Non est tamen necessaria perfecta contritio, seu dolor ex motivo amoris Dei super omnia, sed sufficit attritio ex motivo aliquo inferiori, v. g. ex motivo vitandæ gehennæ, desiderio vitæ æternæ &c. ita DD. cōmuniter. Ratio est quod baptismus ex institutione sua & fine intrinseco ordinetur ad remissionem peccatorū: ergo pro dispositione ad hunc effectum non exigit contritionem perfectam: alioqui enim, quod absurdum est, semper præsupponeret ef-

fectum

fectum suum, jam causatum per dispositionem quam ad eum causandum prærequireret: contritio enim perfecta, ut suppono, habet vim remittendi omne peccatum, quod inferius probabitur dum agemus de pœnitentia.

Qui proponit servare Dei præcepta incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.

226 Dices Trid. sess. 5. c. 6. inter actus quibus peccatores se disponunt ad justificationem in Baptismo obtinendam, recenset hunc quod Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant: ergo requirit actum charitatis, vel in se, vel saltem in contritione inclusum, tanquam necessariam dispositionem. Rneg. conf. 1. quia non omnes actus ibi enumerati sunt dispositiones necessariæ ad justificationem; cum inter eos numeretur timor gehennæ, quem certum est non esse absolute necessariam ad justificationem. 2. quia dici possunt incipere diligere Deum ut fontem omnis justitiæ, hoc ipso quod proponunt servare omnia ejus mandata; quia in eorum observatione consistit justitia. Et præterea inter mandata, primum & maximum est Deum super omnia diligere, qui ergo proponit servare omnia Dei præcepta, proponit saltem implicite Deum super omnia diligere, quod propositum est quædam inchoata dilectio Dei ut fontis omnis justitiæ. Cæterum in praxi baptizandus excitandus est ad perfectam contritionem, & amorem Dei super omnia.

§. VI.

Baptismi Reviviscentia.

Baptismus valide susceptus ficcione opposita ejus effectui, non valori, sublata fictione revivi-scit.

227 Baptismus valide susceptus quoad substantiam, sed cum obice fictionis sive privativæ, sive positivæ, id est, ortæ ex voluntaria & culpabili omissione dispositionis requisitæ, aut ex actuali affectu ad aliquod mortale sublata fictione reviviscit. Ita S. Th. cum suis, Dur. Richar. Suar. Lugo & alii communissime contra Gabr. Alex. Vasq. & alios.

Prob. 1. ex Aug. de Bapt. contra Donatist. lib. 1. c. 12. ubi de Baptismo suscepto in statu lethiferæ separationis ab Ecclesia sic loquitur: *Qui tamen* (Baptis-

ptifmus in fchifmate fufceptus) *tunc profit ad remiffionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati facrilegio diffenfionis exuitur quo ejus peccata tenebantur: ficut enim in illo qui fictus accefferat fit; ut non denuò baptizetur, fed ipfa pia correctione & vera confeffione purgetur, quod non poffet fine Baptifmo: fed ut quod ante datum eft tunc valere incipiat ad falutem, cùm illa fictio veraci confeffio ne recefferit; fic etiam &c.* l. 3. c. 13. *Quamvis apud hæreticos idem fit Baptifmus Chrifti, non tamen ibi operatur remiffionem peccatorum propter diffenfionis iniquitatem; tunc incipit valere Baptifmus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclefiæ pacem venerint, non ut jam demiffa retineantur, neque ut ille Baptifmus quafi alienus improbetur, aut alter tradatur, fed ut idem ipfe, qui propter difcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur falutem.* Et l. 6. c. 5.

Hanc veritatem variis locis apertè tradit Auguftinus.

2. Ex authore Serm. de pass. Chrifti inter opera Cypriani dicente: *Licet indigni fint, qui accipiunt* (fcilicet Baptifmum) *tamen ubi redierint ad cor, conftat ablutionis donum, & redit effectus munerum.*

228 3. Ratione: quia regeneratio, feu prima juftificatio, debet fieri per Baptifmum in re, vel in voto, ut colligitur ex illo Ioan. 3. *nifi quis renatus fuerit*, &c. & ex Trid. feff. 6. c. 4. fed in cafu noftro non poteft fieri per novum Baptifmum, aut ejus votum: ergo debet fieri per revivifcentiam Baptifmi antea valide fufcepti.

Si non revivifceret Baptifmus regeneratio, feu prima juftificatio non fieret per Baptifmum, Auguftinus non folum tribuit Baptifmo revivifcenti remiffionem pœnæ temporalis, ut vult Gabriel.

229 Authoritatem Auguftini, qua præcipue nititur hæc fententia: fruftra eludere conantur adverfarii: quod enim dicit Gabriel, eum non aliud velle, quàm quòd Baptifmus recedente fictione valeat ad remiffionem totius pœnæ, etiam temporalis, quæ alioqui peccatis per folam pœnitentiam deletis effet remanfura non tamen ad remiffionem culpæ, aut pœnæ æternæ; manifeftè pugnat cum fcopo Aug. ex quo fatis colligitur, fatente ipfo Vafq. eum agere de revivifcentia in ordine ad remiffionem peccatorum propriè & fimpliciter (de hac enim fola erat illi controverfia, cum Donatiftis) per quam juxta communem & certam Ecclefiæ interpretationem horum verborum Ioan. 20. *Quorum remiferitis peccata*, &c. intelli-

intelligitur remissio culpæ. Quòd ipsum etiam confirmari potest ex eo, quòd in textu citato doceat Baptismum in unitate jam prodesse ad remissionem illam, quam ab initio erat collaturus, nisi obstitisset divisio.

Neque solum tribuit mediate remissionem culpæ, ut vult Vasq. sed immediate.

230 Plausibilius est, quod dicit Vasq. Baptismum reviviscentem de mente Aug. valere quidem ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ; non sic tamen quasi eam seipso immediate causet ex opere operato, sed quod ad eam concurrat, vel mediante Sacramento Pœnitentiæ, quatenus ei tribuit vim per modum fundamenti ad ejus valorem necessariò prærequisiti ex parte subjecti, quod mediante Baptismo redditur capax Sacramentorum: vel mediante contritione, cui tribuit vim, non quidem justificandi absolute, quam illa ex se habet; sed justificandi absque voto Baptismi: quia semel valide susceptus iterari non potest, adeoque nec desiderari.

Hoc tamen non satisfacit 1. quia hæc subtilitas nova est, & longe communiori DD. sensui contraria 2. Quia verba Aug. manifeste significant Baptismum reviviscentem eo modo prodesse, quo priùs profuisset secluso obice, nempe ad remissionem seipso immediate causandam ex opere operato.

Explicatur August. locus in contrarium sat difficilis.

Quod addit de reditu culpæ non dicit ex sua sententia.

231 Neque dicas cum Vasq. Aug. verbis l. 1. c. 12. ante citatis, remissionem peccatorum tribuere non ipsi Baptismo, sed confessioni. Et l. 3. c. 13. charitati quia ex toto contextu & scopo Aug satis manifestum est, id ab eo dici non absolute, sed ex falsa hypothesi permissa Donatistis, non concessa; quod scilicet Baptismus ficte susceptus à principio operetur remissionem peccatorum, sic tamen ut ratione pravæ dispositionis statim redeant, juxta parabolam servi nequam Matt. 18. in qua hypothesi peccata primum dimissa, & statim reversa, sublata postmodum fictione, non remittuntur per Baptismum, qui semel tantum operatur, & ab initio supponitur habuisse effectum suum; sed per pœnitentiam vel charitatem, qua sic baptizatus perfecte convertitur.

232 Cum enim proposuisset argumentum Donatistarum quærentium ex Catholicis, an per Baptismum

tiſmum collatum in ſecta Donati conferretur gratia Spi.S. an non? Vnde, ſi concederetur, inferebant apud ſe veram eſſe Eccleſiam: ſi negaretur, inſtabant: cur ergo non rebaptizatis eos, qui à nobis ad vos tranſeunt? Reſpondet idem prorsùs dicendum de Baptiſmo eorum in ſchiſmate collato, quod de ficte in Eccleſia Catholica ſuſcepto cum actuali odio proximi, nempe vere & proprie operari remiſſionem peccatorum, ſive ab initio dum confertur, modo iam dicto: ſive ſolùm poſteà, dum per pœnitentiam tollitur indiſpoſitio. Et ex his duobus modis eis optionem relinquit eligendi utrum voluerint, ad pleniorem eorum in puncto controverſo ſatisfactionem.

Vnde tantum abeſt, ut loquatur in ſenſu quo illum explicat Vaſquez, ut potiùs duos modos ſuggerat, quibus tali caſu dici poſſit Baptiſmus vere & per ſe operari remiſſionem peccatorum, alterum verum, alterum falſum; ſed diſputationis gratia permiſſum, ut eis omne effugium præcludat.

233. Baptiſmus reviviſcens confert gratiam ſanctificantem, & virtutes per ſe infuſas ei annexas, adeoque directe remittit omnia mortalia validam ſui collationem præcedentia: cùm ad eorum remiſſionem per ſe ordinetur: Sequentia verò remittit tantùm indirecte, quatenus priora remittit per gratiam omnibus æque repugnantem; quæ proinde unum mortale ſine altero delere non poteſt. **Baptiſmum reviviſcens directe remittit mortalia ipſum præcedentia; ſequentia indirecte.**

234. Poſita ſufficienti diſpoſitione remittit etiam omnia venialia ſui collationem præcedentia: quia eſt perfecta regeneratio, & completa immutatio veteris hominis in novum: non tamen ſequentia; quia cùm unum veniale remitti poſſit ſine alio, non eſt cur ad hæc indirecte ſe extendat. Inſuper remittit totam pœnam debitam peccatis illius ſuſceptionem præcedentibus; non tamen ſequentibus, ob rationem jam allatam. Denique confert etiam gratias actuales ſibi proprias; cùm jus ad illas expeditum ex Dei ordinatione infallibiliter annexum ſit gratiæ habituali per Baptiſmum collatæ. **Remittit etiam omnem pœnam peccatis præcedentibus debitam.**

235. Ad baptiſmi reviviſcentiam in eo qui acceſſit cum fictione mera privativa ſeu materiali, id eſt

orta

orta ex voluntaria & inculpabili in omiſſione diſpoſitionis neceſſariæ, nec ullum poſtea mortale admiſit, ſufficit attritio; imò ſola voluntas Baptiſmi, ſi præter originale nullum habeat actuale: quia eo caſu nullus eſt obex efficaciæ Baptiſmi præter meram carentiam diſpoſitionis ab initio requiſitæ: ac proinde hac ſublata Baptiſmus operatur ſicut ab initio operatus fuiſſet.

Ad reviviſcentiam in reo mortalis poſt Baptiſmum requiritur contritio vel abſolutio.

236 In eo verò qui poſt Baptiſmum cum fictione privativa ſuſceptum aliquod mortale admiſit, requiritur vel contritio, vel abſolutio ſacramentalis cum attritione Quia cum peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ſint obnoxia Sacramento Pœnitentiæ, non Baptiſmi, non poteſt Baptiſmus per ſe ſolùm ea remittere, adeoque nec alia, cum unum mortale abſque alio remitti non poſſit.

Vti etiam ad remiſſionem peccati fictionis.

237. In eo qui acceſſit cum fictione poſitiva, ſeu formali ad remiſſionem ſpecialis peccati fictionis id eſt, ſacrilege irreverentiæ admiſſæ per indignam ſuſceptionem requiritur contritio, aut abſolutio ſacramentalis cum attritione. Eſt S. Th. & communis contra Io. de la Cruz & paucos alios apud Lug.

Prob. 1. quia peccatum illud directe & formaliter opponitur efficaciæ Baptiſmi ei ſaltem ita coexiſtit, ut committatur à realiter Baptizato, & habente characterem, adeoque eſt materia pœnitentiæ, non Baptiſmi. Vnde non poteſt magis remitti per ſolum Baptiſmum cum attritione, quam in caſu præcedenti peccata poſt Baptiſmum commiſſa. 2. Quia non ſolum coexiſtit, ſed etiam eſt natura poſterius Baptiſmo; cum natura priùs ſit baptizari quàm ſacrilege baptizari: ſicut natura priùs eſt baptizari, quàm per Baptiſmum gratiam accipere. Imò juxta noſtram & communiorem doctrinam de inſtanti, quo præcisè complentur, & operantur Sacramenta, eſt etiam poſteriùs tempore ſubſtantia Baptiſmi: cùm in eo conſiſtat, quod inſtanti extrinſece terminativo Sacramenti valide ſuſcepti ponatur obex ejus effectui principali.

Non enim opponitur

238. Atque hinc apparet falſum eſſe quod opponunt nonnulli peccatum fictionis eſſe natura priùs

Baptifmo, ut pote oppofitum difpofitioni neceffariæ ad validam ejus fufceptionem, quæ difpofitio, inquiunt, eft prior natura Baptifmo: nam peccatum illud proprie non opponitur difpofitioni ad Baptifmum, fed ad ejus effectum, feu illius digni fufceptioni, quæ natura pofterior eft ejus validitate. Adde neque hanc difpofitionem effe natura priorem Baptifmo, fed folum primario eft ejus effectu, nempe gratia fanctificante.

PARS V. difpofitioni prærequifitæ ad Baptifmi validitatem fed ad effectum.

239. Neque dicas voluntatem indigne fufcipiendi, in qua confiftit peccatum fictionis, effe natura priorem fufceptione Baptifmi, quandoquidem illam impeeret: licet enim voluntas fumpta fecundum fe, ibi præcisè fiftendo, fit natura prior Baptifmo, fi tamen confideretur ut exterius confummata per indignam fufceptionem (qualiter eft peccatum fictionis completum) eft natura pofterior Baptifmo, fine quo præexiftente nec effe poteft, nec concipi: cùm effentialiter dicat actualem irreverentiam erga Baptifmũ valide fufceptũ; fi tam in eo, quod non ponatur difpofitio, quam exigit Baptifmus ad fuum effectum, & ita actualiter impediatur ejus effectus eo inftanti quo alioqui poneretur. In quo inftanti fi per attritionem retractetur dicta voluntas, Baptifmus non recipietur facrilege, fed digne adeoque iftius præviæ voluntatis facrilegæ malitiam remittet, tanquam peccati commiffi ab eo; qui necdum eft complete baptizatus.

240 Verius videtur etiam requiri contritionem, aut abfolutionem cum attritione ad remiffionẽ peccati concomitantis, id eft, à fpeciali peccato fictionis diftincti, & commiffi a Baptizato, dum actualiter ultimum Baptifmi complementum fufcipit: quale eft, fi quis eliciat voluntatem furandi, eo inftanti præcife; quo complete baptizatur & character ei imprimitur. Ita Propof. Conin. Lugo, Martinon, & è Thomift. Pet. Ledefma contra Cajet. & plerofque Thomift. Suar. Vafq. & alios communius fentientes hoc peccatum effe materiam pœnitentiæ, fed Baptifmi, & confequenter poffe per Baptifmum revivifcentem cùm fola attritione directe remitti. Sed prob. conclufio 1. quia eo inftanti, quis characterem & Baptifmum

Item remiffionem peccati concomitantis.

Eft ènim peccatum

tifmum

baptizati adeoque obnoxium Sacramento Pœnit.

tismum complete recipit, est vere Christianus, & subditus Ecclesiæ: ergo peccatum eo instanti ab illo commissum, quamvis concomitanter tantùm, est peccatum fidelis intra Ecclesiam constituti, adeoque obnoxium Sacramento pœnitentiæ, ut patet ex Trid. sess. 14 c. 2. ubi sola peccata extra Ecclesiam seu ante Baptismum commissa excludit à judicio Sacerdotali, &c. 5. ubi dicit ex Christi institutione, *Ad Sacerdotes tanquam præsides & judices deferenda esse omnia mortalia crimina in quæ Christi fideles ceciderint*. Confirmatur: quia Religiosus: & si eodem instanti consentiant turpi cogitationi, committet sacrilegium: ergo similiter in nostro casu &c.

Prob. quia Baptismus, juxta adversarios, non potest remittere peccatum quod directe impedit efficaciam ejus (ideo enim docent peccatum fictionis esse obnoxium pœnitentiæ) cum ergo peccatum concomitans directe impediat effectum Baptismi, tanquam formalis & positivus obex illius, utpote se ipso formaliter repugnans gratiæ Sacramentali, etiam erit obnoxium pœnitentiæ.

3. Quia Baptismus reviviscens non plus potest, quã ex se possit ab initio (alioqui enim non esset ratio cur non remitteret peccata sequentia) non potest autem ab initio remittere peccatum concomitans: quia ad hoc deberet tale peccatũ simul retractari & committi, adeoque eodem instanti esse, & non quod implicat.

S. Tho. (uti & Aug.) solùm vult Baptismum remittere peccata coexistentia actioni sacramentali necdum completa.

241. Quod S. Th. q. 69. a. 10. ad 2. docet baptismum remittere præcedentia, & simul existentia, intelligendum est cum Ledesm. de peccatis coexistentibus successive actioni sacramentali necdum completæ, quæ committuntur ab existente foris, seu nondum baptizato: non verò de coexistentibus instanti terminativo, quo Baptismus est totaliter completus.

Eodem modo explicandus est Aug. l. 1. de *Baptismo*, c. 1. relato *de consecratione* dist. 4. capitulo 40. Sunt tamen qui velint eum ibi non loqui assertive, sed ex hypothesi sententiæ falsæ, de remissione ac reditu peccatorum statim post Baptismum ficte susceptum modo explicato n. 231.

Trid. su.

Cùm verò Conc. Trid. sess. 14. c. 1. 2. 5. dicit potestatem

ſtate, clavium ſolùm ſe extendere ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ly *poſt* non debet ſumi ſtrictè, ſic ut excludat inſtans terminativum Baptiſmi (alioqui enim probaret contra communem nequidem peccatum fictionis eſſe materiam pœnitentiæ; cùm non ſit commiſſum poſt Baptiſmum) ſed latè, ita ut includat etiam illud inſtans, quod utique eſt poſt actionem Baptiſmi, quandoquidem illam extrinſecè terminet: ita dicimus tenebras non deſtrui ante productionem lucis, ſed poſt.

mit ly poſt latiùs ſic ut includat inſtans terminativum Baptiſmi.

Quòd autem addit ibidem c. 2. *Eccleſia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus*; non facit contra nos, cùm ſolùm dicat Eccleſiam neminem judicare, niſi priùs in eam ingreſſus fuerit, quod etiam in caſu noſtro verum eſt; non verò, niſi priùs ingreſſus fuerit, quàm peccaret, quod eſſet contra nos.

Explicatur alius Auguſtini locus.

Hinc quamvis peccato concomitanti non ſit eſſentiale coexiſtere Baptiſmo, & ejus effectum impedire, ſicuti eſt peccato fictionis, poſito tamen quod ei per accidens coexiſtat, æquè ac peccatum fictionis, formaliter ſeipſo ejus effectum impedit, cùm æquè gratiæ repugnet. Neque ad rem facit quod concomitantia illa ei competat ſolùm per accidens: nam etiam accidentale eſt peccato committi ante vel poſt Baptiſmum; & tamen commiſſum ante eſt obnoxium ſoli Baptiſmo, commiſſum poſt, ſoli pœnitentiæ.

Bapt. reviviſcens & Sacramentum Pœnit. concurrentia ſimul natura producunt gratiam.

Quando Baptiſmus reviviſcens & Sacramentum Pœnitentiæ ſimul concurrunt ad gratiam, unum non operatur priùs natura altero, ſed utrumque ſimul: quia operantur dependenter ab invicem tamquam duæ cauſæ partiales conſtantes ſimul unam totalem productivam gratiæ & remiſſionis peccatorum, ad quam ſingulæ per ſe præcisè ſunt inſufficientes; cùm nec pœnitentia ſe ſola poſſit remittere peccata Baptiſmum præcedentia, nec Baptiſmus ſe ſolo conſequentia.

Nec refert quòd priùs Pœnitentia debeat tollere obicem, quàm Baptiſmus operetur; quia non debet hoc præſtare per modum cauſæ efficientis operando

Pœnitentia tollit obicem ſeipſa formaliter.

gratiam peccati fictionis remissivam; sed per modum causæ formalis, sive seipsa formaliter ponendo dispositionem, cujus carentia erat obex Baptismi; siquidem peccatum fictionis, simpliciter loquendo, non est obex Baptismi quatenus habet rationem maculæ habitualis, sed quatenus habet rationem indispositionis non retractatæ sub qua ratione tollitur formaliter per pœnitentiam.

Quamvis enim peccata Baptismum concomitantia vel consequētia etiam sumpta sub ratione maculæ habitualis, impêdiant quominus Baptismus cum attritione producat gratiam; quam alioqui produceret, adeoque sub hac etiam ratione dici possint obex Baptismi solitariè sumpti; non tamen sequitur, quòd prius natura tolli debeant in ratione maculæ habitualis quia sub ea ratione nō sunt obex illius, ut habentis consortium alterius concausæ; nempè pœnitentiæ. Vndè prius quàm intelligatur facta remissio ullius peccati, hoc est, eo præcisè instanti, quo intelligitur ad Baptismum accedere Sacramentum Pœnitentiæ, intelligitur obex sublatus, & Baptismus proximè expeditus ad gratiam cum illo in posteriori signo rationis producendam: sicut posito quod mihi adjunctus sit socius, cum quo possum tollere onus, quod solus non poteram, sublatum est impedimentum, quo antea impediebat ab onere tollendo; licèt non sit sublata ejus gravitas excedens meas vires.

Simul natura producunt gratiā Bapt. reviviscens, & contritio quando per hanc tollitur obex.

Idem etiam dicendum est in casu quo obex tollitur per contritionem, eam scilicet cum Baptismo simul natura operari gratiam. Licet enim contritio se sola possit directè remittere omnia peccata, etiam ante Baptismum commissa, non potest tamen remittere nisi eo instanti, quo intelligitur de facto esse elicita, quo etiam instanti, & simul natura, intelligitur Baptismus habere sufficientem dispositionem, & esse proximè expeditus ad suam operationem: cùm formaliter hoc habeat per ipsam contritionem. Cùm igitur Baptismus sit causa necessaria respectu productionis gratiæ non potest intelligi pro illo instanti contritio operari gratiam, quin Baptismus intelligatur simul natura cum illa eandem operari, dependenter

denter quidem à contritione ut præexiſtente, non tamen ut operante antecedenter, ſed ſolùm ut ſimul cooperante: eo modo quo cauſa 2. pendet a 1. & habitus à potentia.

In caſibus præcedentium concluſionum Baptiſmus reviviſcens remittit peccata ipſum antecedentia directè, cætera indirectè: contra verò Sacramentum Pœnitentiæ: Contritio autem remittit omnia directè, ſic tamen ut relinquat obligationem ſubiiciendi clavibus omnia; quæ non ſunt priora Baptiſmo. Ratio eſt, quod remiſſio fiat per gratiam, omnibus quidem peccatis æquè directe & formaliter repugnantem, ſed quæ intuitu Baptiſmi ſolùm datur ad remiſſionem peccatorum ipſum antecedentium, intuitu Sacramenti Pœnitentiæ ad remiſſionem non antecedentium, & intuitu contritionis ad remiſſionẽ omnium, cùm ad ea ex natura ſua ſingula reſpectivè ordinentur: & Deus ab illis moveatur ad gratiam conferendam juxta ſingulorum exigentium.

His caſibus Bapt. remittit peccata ipſum antecedentia directè alia indirectè Contra Sacramẽtum pœnitẽtiæ Contritio omnia directè.

Neque contra facit, quod opponunt quidam Deũ non poſſe velle formam in ſubjecto, niſi velit omnem ejus effectum formalem, adeoque nec poſſe eam velle in ſubjecto ex uno motivo, niſi velit omnem ejus effectum formalem ex eodem motivo; hoc enim ut ſummum verum eſt de effectu formali primario, non de ſecundario, præſertim ſeparabili à primario, qualis eſt remiſſio peccatorum, ſine qua poteſt eſſe infuſio gratiæ, ut in eo, qui juſtus eſt antecedenter ad illam infuſionem.

CAPUT III.

Confirmatio, eiuſque materia, forma, effectus & Miniſter.

242. Confirmatio, ſic dicta a primario effectu, nempè ſpirituali corroboratione ad fidem intrepidè profitendam, eſt verum novæ legis Sacramentum. Prob. 1. è Script. Act. 8. v. 18. docente Apoſtolos

Confirmatio ſeu chriſmatio eſt verum Sacramentũ.

ftolos juxta Chrifti promiffionem . Ioan.14.v.15.& 19. Spiritum S. id eft gratiæ fanctificantis abundantiam baptizatis contuliffe per impofitionem manuum, quæ erat fignum externum à Baptifmo diftinctum efficax gratiæ non folum gratis datæ (ut volunt hæretici) fed etiam fanctificantis cùm illa nec omnibus, nec ordinariè abfque fanctificante conferretur; gratia autem quam promiferat Chriftus fub nomine Spiritus S. effet omnibus & in perpetuum conferenda in Ecclefia, juxta illud Ioan.14. *Alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobifcum in æternum* 2. Ex perpetua praxi Ecclefiæ & traditione Apoftolica, quæ colligitur ex Dionyf. de Eccl. Hierar. c.2. Clemente I. Innoc. I. Tertul. Cypriano & aliis Pontificibus ac PP. apud Bellar. & præfertim Melchiade Papa qui ab Epifcopis Hifpaniæ rogatus utrum effet majus Sacramentum, Baptifmus an Confirmatio? refpondit utrumque effe magnum ut refertur de Confecrat. dift.5. c.3.3. Ex CC. non tantum recentioribus Flor. in decreto Eugen. Trid. feff.7. can.1. de Confirmatione, fed etiam antiquiffimis, Eliberitano, Arelatenfi, & aliis apud Bellarm.

Id è vincitur ex Scriptura, traditione Conciliis ac Patribus.

243. Vnde patet impudentiffimè mentitum effe Calvinum, dum dixit nullum veterum hujus Sacramenti meminiffe. Præter enim PP. citatos illius etiam meminit Aug. l.2. contra litteras Petilian. c.104. dum dicit: *Sacramentum Chrifmatis in genere vifibilium fignaculorum Sacrofanctum eft ficut Baptifmus*. Et l.15. de Trinitate c.26. ubi ait Ecclefiam adhuc fervare quod fecerunt Apoftoli Act.18.

Explicatur Auguftini locus.

Quod ergo dicit l.3. de Baptifmo c.16. *Manuum impofitionem poffe iterari & non effe aliud quàm orationem fuper hominem*, intelligendum eft de manuum impofitione reconciliatoria olim ex ufu Ecclefiæ hæreticis ad eam redeuntibus adhiberi folita, non de confirmatoria.

Hoc Sacramentum fuit à Chrifto inftitutum in ultima Cœna.

244. Inftitutum fuit hoc Sacramentum à Chrifto immediatè idque in ultima Cœna. Prima pars eft omnium & certa, imò juxta multos de fide ex Trid. n. præced. 2. Pars prob. 1. ex Fabiano Papa id expreſsè docente Epift.2. c.1. dum ait: *In illa enim die Dominus*

IESVS

IESVS postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes sicut à SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt. Chrisma conficere docuit, id est modum conferendi Sacramentum Chrismatis, seu Confirmationis. Itaque manuum impositio facta à Christo parvulis ad se venientibus; Matth. 19. solùm fuit vel benedictiva, ut vult Hier. vel sanativa ut Ansel. non confirmativa; cùm ipsi parvuli necdum essent baptizati.

Manuū impositio facta à Christo Parvulis Matth. 19. non fuit confirmativa, sed benedictiva.

Nec obstat 1. quod Conc. Senonens. Decret. 10. contrarium insinuare videatur, tum quia hoc Concil. solum fuit provinciale: tum quia probabiliter aliud non vult, quàm tunc ex Christi intentione adumbratum fuisse hoc Sacramentum.

145. Non fuit tamen data Apostolis potestas conferendi hoc Sacramentum nisi pòst resurrectionem Ioan. 20. his verbis, *Accipite Spiritum S.* &c. quibus creati sunt Episcopi.

246. Materia ejus remota est Chrisma, quæ vox ex usu Ecclesiæ tàm Orientalis, quàm Occidentalis, accipitur hic pro mixto quodam ex oleo olivarum, & balsamo quibus Græci teste Arcud. l. 2. c. 5. solent commiscere alia aromatum genera. Vndè Dionys. de Eccle. Hier. c. 4. dixit, esse *collectionem quandam materiarum suaviter spirantium*.

Materia ejus est Chrisma, id est, mixtum ex oleo & balsamo.

247. Non solùm oleum est de essentia hujus Sacramenti, sed etiam balsamum. Ita S. Th. & TT. cum antiqui, tum recentiores communiter contra Caiet. Sot. Valent. Navar. & alios volentes mixtionem balsami solùm esse de necessitate præcepti.

Mixtio balsami est de essentia hujus Sacramenti.

Prob. 1. ex Florent. *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo & balsamo*, 2 Ex PP. ac Pontificibus Dion. Cyprian. Innocent. III. c. unico de Sacra Vnctione, Gregor. &c. Apud Bellar. & nominatim ex Fabian. supra docente confectionem Chrismatis esse ex institutione Christi. 3. Ex perpetuo usu Ecclesiæ quæ numquam legitur dispensasse ut hoc Sacramentum conferretur in simplici oleo;

248. Quare cùm Innocent. III. Capitulo *pastoralis*, de Sacramentis non iterādis, interrogatus an debeat

Explicatur Innocentii III. difficilis in contrarium locus.

iterari Sacramentum. Confirmationis oleo simplici per errorem collatum respondet *in talibus non esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè erat prætermissum*, noluit significare, quod mixtio balsami solum sit accidentalis Sacramento (alioqui defectus non fuisset supplendus, sicut suppleri non debet defectus admixtionis aquæ vino jam consecrato) sed ideò dicit nihil esse iterandum; quod neque ipsa Sacramenti substantia sit iteranda; si ipsa fuerit posita omissis accidentalibus; quia hoc Sacramentum, cum imprimat characterem, est initerabile. Sed tunc accidentalia illa cautè esse supplenda, si nempè ex illorum omissione oriatur scandalum aut offensio. Nec etiam ceremonias accidentales iterandas esse, si illæ fuerint adhibitę omisso aliquo quod ad substantiam Sacramenti pertinebat; quia sufficit fuisse semel positas. Sed tunc cautè suppleri debere omissam Sacramenti substantiam eò quòd non sit id publicè, sed privatim faciendum ut vitetur scandalum. Voluisse autem Pontificem in casu allato suppleri ipsam Sacramenti substantiam manifestè colligitur ex eò quòd non sit credibile ipsum docuisse priùs unctum solo oleo, postea inungendum solo balsamo ad supplendum quod fuerat omissum: alioqui enim debuisset ungi balsamo non benedicto, vel certè balsamum benedici absque oleo, quorum utrumque ab Ecclesiæ consuetudine abhorret. Censuit ergo talem postea inungendum Chrismate composito ex oleo, & balsamo cum solita forma, cum non possit adhiberi materia sine forma. Et verificatur quod tunc nec substantia iteretur, cum antea non fuerit posita. Nec iterentur ceremoniæ accidentales priùs positæ; quia sine illis tunc privatim supplenda est Sacramenti substantia.

Iuxta ipsum in casu allato suppleri debuit Sacraméti substantia.

Balsamum Americanũ, est verũ balsamum.

249. Dum Paulus III. Pius IV. & Greg. XIII. pro balsamo Syriaco permiserunt adhiberi Americanũ, solùm declararunt Americanum esse verum balsamum, licèt fortè à Syriaco specie distinctum: sicut probabile est vinum Gallicum v.g. specie differre à Palestino. PP. nonnulli simpliciter dicunt oleum esse materiam Confirmationis, sumendo appellationem à majori

à majori parte; quia nempè in Chrismate multum est olei, parum autem balsami.

250. Probabilius est Apostolos ad hoc Sacramentum etiam usos fuisse Chrismate. 1. Quia Christus instituit Chrisma tanquam materiam necessariam hujus Sacramenti, ut constat ex supradictis: nec habemus ullum fundamentum in Script. aut PP. dicendi, quòd cum Apostolis ea in re fuerit dispensatum. 2. Quia ita docent Clemens, Fabia. & alii PP. antiquissimi apud Bellar. nominatim Dionys. Areopagita lib. de Eccles. Hierar. cap. 4. ubi dicit: *Praeceptores suos*, id est Apostolos, *hoc Sacramentum nominasse unguenti mysterium*. 3. Quia ad hæc verba Luc. 8. *imponebant eis manus*, &c. dicunt PP. Apostolos tunc fecisse, quod postmodum observatum est in Ecclesia, nullam insinuando diversitatem in ritu, sed tantùm in modo effectus. Act. 8. 19. hoc Sacramentum appellatur impositio manuum, per quam intelligi potest unctio facta in fronte, ut certò intellexerunt varij PP. eadem Scripturæ phrasi utentes, quamuis constet eorum tempore vsitatam fuisse Vnctionem.

Etiam Apostoli ad hoc Sacramentū Chrisma adhibuerunt.

Nec obstat, quod tantum dicantur manus imposuisse.

251. Cùm ergo Innocentius III Capit. *Cùm venisset*, de Sacra Vnctione, dicit per frontis Chrismationem, manuum impositionem, designari: & Eugen. In Floren. Confirmationem successisse in locum impositionis manuum; solùm volunt Episcopos nunc facere per Vnctionem, quod Apostoli dicuntur fecisse per manuum impositionem; sive cæremoniam, quæ olim vocabatur manuum impositio, nunc adhuc exerceri & vocari Chrismationem, seu Confirmationem, ita ut nomen nomini, non ritus ritui successerit.

Neque contrarium significant Innoc. & Eugen.

Probabile est tamen quod docent Sanctus Thomas qu. 72. ar. 2. Duran. Suar. Sylv. ex privilegio speciali Apostolos aliquando contulisse effectum hujus Sacramenti sine Sacramento, per solam manuum impositionem. Vel etiam absque illa, ut cum Act. 11. loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus super eos qui ipsum audiebant.

Videntur tamen aliquādo contulisse effectum hujus Sacramenti sine Sacramento.

252. Ad valorem hujus Sacramenti requiritur be-

nedictio Chrismatis, & quidem facta ab Episcopo. Est S Thomæ, Suar. Henriq. Præposit. & aliorum communis contra Cajet. probarique potest 1. Ex Florent docente materiam hujus Sacramenti esse Chrisma ab Episcopo benedictum. 2. Ex PP. Innoc. Greg. & aliis apud Præpos. qui agentes de benedictione Chrismatis semper loquuntur de Episcopali, neque uspiam insinuant sufficere Sacerdotalem.

Debet Chrisma ab Episcopo benedici.

253. Imò verius videtur quod docet S Th. Suar. Henriq & alii communiùs contra Scot. Cajet. Valent. Amic. nequidem ex commissione Summi Pontificis posse simplicem Sacerdotem Chrisma conficere: multò minus ex commissione Episcopi, ut sentit Ledesma. Sequitur ex dictis n. præced.

Nequidem ex commissione Summi Põtificis potest simplex Sacerdos Chrisma benedicere.

Conf. 1. ex Florent. sic loquente: *Ordinarius minister* (Confirmationis) *Est Episcopus*; & infra, *legitur tamen per Apostolica sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Vbi per ly *Chrismate per Episcopum confecto*, declarat necessitatem benedictionis Episcopalis. 2. Quia licèt Græcis presbyteris passim permittatur Chrismate inungere, numquam tamen Chrisma conficere.

254. Neque absurdum videri debet, presbytero committi posse quod majus est, nempè Chrismationem seu Sacramenti collationem; non posse autem minus, nempè Chrismatis confectionem: quia hæc regula: *Qui potest majus, potest & minus*: solùm vera est, quando minus includitur in majore. Alioqui enim sequeretur posse quemlibet Sacerdotem, etiam absque commissione confirmare, ordinare Episcopos & presbyteros; quia potest conficere Corpus Christi, quod majus est.

Neque contrarium benè infertur ex eò quod ex tali commissione possit hoc Sacramentum ministrare.

Ex diversitate ritus in benedictione Chrismatis inferri non potest, eam non esse ex Christi institutione: sed solùm nullam specialem ejus formulam à Christo præscriptam.

255 Materia proxima Confirmationis est Vnctio Chrismatis in fronte facta per modum Crucis. Quòd enim ipsa Vnctio sit materia proxima patet ex generali

rali regula Sacramentorum in usu consistentium, in quibus materia proxima est sēper applicatio materiæ remotæ. Quòd autem ista Vnctio facienda sit in fronte baptizati constat ex Florent. in decreto de Sacramentis cujus rei hanc rationem reddit: *ideò in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat*. Debet autem fieri in modum Crucis, tum ut verificentur hæc formæ verba *signo te signo Crucis*; tum etiam ut significetur non debere Christianum erubescere Crucem Christi. Frons vero inungenda est immediatè ipsius Episcopi manu, & non medio aliquo instrumento, quia hoc Sacramentum perficiendum est per aliquam manus impositionem.

Materia ejus proxima est unctio Chrismatis in frōte facta per modū Crucis.

256 Forma hujus Sacramenti in Ecclesia Latina, quæ à Florentino traditur in decreto de Sacramentis hæc est: *Consigno te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* in Ecclesia autem Græca, ut testatur Arcudius lib. 2. cap. 6. hæc tantum verba continent *signaculum donationis Spiritus S.*

Forma Latinorum a Florentino tradita convenientior est forma Græcorum.

Convenientior quidem est forma Latinorum forma Græcorum, quia convenienter exprimit tum signum Crucis quo baptizatus insignitur ad militiam Christianam. Tum robur spirituale quod in eum finem accipit. Ac denique hujus roboris causam efficientem videlicet Sanctissimam Trinitatem: quæ in altera non exprimuntur. Non tamen omnia quæ in ea continentur necessaria sunt necessitate Sacramenti; alioqui enim invalida esset forma Grçcorum, cum nec signum Crucis, nec materiam Sacramenti, nec invocationem Sanctissimæ Trinitatis exprimat; ut facit forma Latinorum.

257. Non videtur tamen prædictam formam Græcorum posse rejci ut invalidam: quia etiam ante Scisma usurpata fuit; ut constat ex antiquissimis eorum Euchologiis. Et ex 2. Synodo generali, ubi eadem forma traditur. 2. Quia Summi Pontifices qui Græcorum ritus examinarunt, ut Innoc. 4. & Greg. 10. in Concilio Lugdun. & Eugen. 4. in Flor. nunquam prçfatam eorum formam reprehenderunt.

Non potest tamen forma Græcorum dici invalida.

Et Clemens 8. in Bulla edita anno. 1595. de unione inter Grecos, & Latinos expressè meminit istius formæ, nec eam rejicit, sed potiùs validam supponit. 3. denique quia congregatio ab Vrbano 8. Romæ erecta ad examinandos Græcorum ritus, videtur id decidisse: cum enim examinatores venissent ad discussionem prædictæ formæ, censuerunt eam esse validam; ut refert Amicus disp. 13. num. 70. Ex his.

Collige Christum non determinasse formam hujus Sacramenti quoad verba; sed tantum generatim instituisse, ut hoc Sacramentum conferretur per verba aliqua quæ ejus effectum significarent, relicta Ecclesiæ eorum determinatione.

Omnes, & soli baptizati sunt capaces huius Sacramenti.

258. Omnes, & soli baptizati sunt capaces hujus Sacramenti. Quod soli, patet; quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum. Quoad omnes, etiam infantes probatur ratione S. Thomæ, quia infantes renati per Baptismum capaces sunt accretionis spiritualis quæ fit per augmentum gratiæ: ergo capaces sunt hujus Sacramenti ad hunc finem instituti. Et verò primis Ecclesiæ sæculis solebat illis statim post Baptismum conferri: & modo etiam apud Grecos confertur.

Convenienter in Ecclesia Latina differtur Confirmatio usq; ad usum rationis.

259. Quamvis infantes capaces sint Sacramenti Confirmationis, nunc tamẽ convenienter in Ecclesia Latina differtur usque ad usum rationis. 1. quia ex una parte non est necessarium ad salutem, ut Baptismus. Ex altera verò hæc dilatio facit ad majorem reverentiam hujus Sacramenti, & majorem utilitatem suscipientis ob actualem devotionem. 2. quia sic certiùs vitatur periculum iterationis, qui enim post usum rationis confirmationem recipiunt, possunt ejus meminisse.

Non videntur adulti ullo præcepto teneri ad confirmationem recipiendam. Ita DD communiter cum S. Thoma. Nullum enim extat de hac re præceptum seu divinum seu Ecclesiasticum. Vndè per se loquendo non peccat saltem mortaliter, qui omittit hoc Sacramentum recipere.

Dixi per se loquendo: quia per accidens fieri potest ut

ut peccet mortaliter. 1. ob scandalum. 2. ob cõtemptum. 3. ob periculum deficiendi in fide tempore persecutionis.

260. Dices Vrbanus *can. omnes fideles, de consec. dist. 5.* videtur confirmationem præcepisse his verbis *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum. Spiritum S. post Baptisma accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* R. ly. *debent* illic tantum importare consilium, ut sensus sit quod debeant illud facere ad utilitatem non ad necessitatem. Nec plus exigit ratio allata quia hæc plenitudo non est necessitatis, quasi non sint sufficienter Christiani sine confirmatione, sed abundantiæ.

Nullum videtur extare præceptũ Cõfirmationis.

261. Effectus hujus Sacramenti est augmentum gratiæ, qua homo roboretur ad fidem profitendam, cum jure ad specialia in eum finem auxilia. Colligitur ex Florent. in decreto de Sacram. ubi dicitur in hoc Sacramento dari Spiritum S. ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. Idque importat ipsa forma confirmationis, ut consideranti patebit.

Effectus hujus Sacramenti est spiritualis corroboratio ad fidem tuendam.

262. Ad istum effectum non requiritur in justo alia dispositio, quam intentio recipiendi hoc Sacramentum. In peccatore autem necessaria est vel contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ; quia Sacramenta vivorum, qualis est Confirmatio, prærequirunt statum gratiæ, in qua consistit vita spiritualis. Quamvis autem sufficiat contritio perfecta; in praxi tamen curandum est ut præmittatur confessio; quia ista perfecta contritio satis difficilis est & incerta præsertim in rudibus.

Quænam ad eum dispositio requiratur.

263. Solus Episcopus est minister ordinarius hujus Sacramenti. Est de fide contra Photium Patriarcham Constantinopolitanum, & Græcos schismaticos apud Arcudium.

Solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti Cõfirmationis.

Prob. 1. ex Florent. in decreto de Sacram. sæpiùs citato, & Trid. sess. 7. can. 3 de Confirm. his verbis: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem anathema sit.* 3. ex perpetuo Ecclesiæ usu de quo constat ex antiquissimis Patribus

præser-

præsertim Pontificibus, ut Clemente, Vrbano, Melchiade, Eusebio, quorum verba reperies in jure canonico de consec. dist. 5. can. 1. 2. 3. & 4. ubi etiam pro ratione adfertur, quod soli Apostoli legantur hoc Sacramentum contulisse.

Explicantur allata in contrarium ex Toletano 1. & Arausi.

264. Dices 1. Tolet. 1. can. 20. Arausi. 1. can. 2. & Innocentius I. Epist. 1. cap. 6. dicunt presbyterum absēte Episcopo posse ungere Chrismate, & manus imponere: præsente autem non nisi de ejus mandato. R. Toletanū non loqui de Vnctione Chrismatis in frōte, quæ adhibetur in Confirmatione, sed de alia in Baptismo solemni fieri solita in summo vertice baptizati. Arausicanum verò ait illic de Vnctione qua inungebantur hæretici redeuntes ad Ecclesiam, fortè ut suppleretur Vnctio ab iis in Baptismo omissa. Innocentius autem apertè loquitur de Vnctione energumenorum ad dæmonem pellendum.

Ananias imposuit manus Paulo non ut illum confirmaret sed sanaret.

265. Dices 2. Actor. 9. dicitur Ananias imposuisse manus Paulo; nec tamen erat Episcopus. R. hanc impositionem non fuisse cōfirmativam, sed curativam; ut patet ex eo quod Paulus necdum tunc esset baptizatus. Nec refert quod dicat Paulo: *Misit me Dominus ut videas, & implearis Spiritu S.* hæc enim impletio non est referenda ad manuum impositionem sed ad Baptismum quem mox recipit.

Hieronymus tantum negat necessitatem hujus Sacramenti.

266. Dices 3 Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ait pertinere potius ad sacerdotij honorem, quam ad legis necessitatē quod Episcopi manus imponant baptizatis. R. Hieronymum non negare illic Episcopum esse necessarium Confirmationis ministrum: sed tantum inficiari necessitatem hujus Sacramenti; ut patet ex ratione quam reddit, videlicet alioquin lugendos fore, qui prius morerentur, quam hoc Sacramentum ab Episcopis recepissent.

267. Dices 4. in Ecclesia Græca presbyteri ex veteri consuetudine, uti, & Armeni passim confirmant. R. hanc consuetudinem inductam ex concessione Pontificis aut expressa aut tacita. Hac autem mediante potest simplex Sacerdos hoc Sacramentum ministrare, ut jam dicemus.

268. Potest simplex Sacerdos ex commissione Sum-

Summi Pontificis conferre Sacramentum Confirmationis. Ita DD. communiter cum S. Th. contra Durandum, Adrianum, Estium, & paucos alios.

Potest simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis conferre confirmationem.

Prob. ex Flor. in decreto de Sacramentis, ubi agens de Confirmatione expresse dicit simplicem Sacerdotem ex dispensatione Sedis Apostolicæ aliquando hoc Sacramentum administrasse. Et ex Trid. satis supponente posse id fieri dum ait solum Episcopum esse ministrum ordinarium, 2. ex facto Gregorii I. lib. 3. Epist. 26. permittentis presbyteris Sardiniæ, ut baptizatos confirment in defectum Episcoporum. Eandem potestatem variis Indiæ presbyteris concessit Alexander 6. imo, & ipse Adrianus 6. licet sententiam contrariam docuisset necdum Pontifex. 3. ex usu Ecclesiæ Grecæ, in qua jam olim ante schisma presbyteri absentibus Episcopis confirmabant, ut testatur Arcudius lib. 2. de Sacram. cap. 10. Non est autem credibile id factum ante schisma ex abusu, sed ex Pontificis dispensatione. Vndè etiam in Concilio Florent. Græci de hac re interrogati satisfecerunt teste eodem Arcudio.

Varii Pontifices munus confirmandi commiserūt presbyteris.

269. Dices 1. Eusebius Papa relatus in jure Canonico de consec. dist. 4. can. 3. & Innoc. 4. in Epist. ad Episcopum Tusculan. expresse docent Sacramentum Confirmationis non posse ab alijs administrari, quam ab Episcopis. Resp. Pontifices illos intelligendos de potestate ordinaria non delegata.

Eusebius, & Innocentius in contrariū allati intelligendi sunt de potestate ordinaria.

270. Dices 2. Innoc. 3. *cap. quanto de consuetudine* statuit ut fideles potiùs careant Sacramento Confirmationis, quā ut illud a presbyteris recipiant, quod non statuisset, si potuissent commissione ex Pōtificis confirmare R. merito id statuisse, quia presbyteri illi absque commissione Sedis Apostolicæ id faciebant.

271. Dices 3. potestas confirmandi est potestas ordinis, non iurisdictionis: sed Pontifex per delegationem non dat potestatem ordinis: ergo &c. R. potestatem ordinariam confirmandi esse potestatem ordinis Episcopalis: extraordinariam autem ordinis Sacerdotalis, non tamen completam, & expeditam, sed complendam, & expediendam per Pontificis delegationem. In Diaconis autem, & Subdiaconis nequidem

Potestas extraordinaria confirmandi in presbyteris est quidem potestas ordinis sed tantum incompleta.

dem eſt iſta poteſtas extraordinaria incompleta: unde etiam non poſſunt delegari ad confirmandum.

272. Petes an hæc delegatio poſſit etiam fieri ab Epiſcopo pro ſua Diæceſi. R. neg ita communiter DD. contra Ledeſma. Satiſque colligitur ex Florentino, ubi hæc delegatio refertur tanquam ſpecialis prærogativa Sedis Apoſtolicæ. Quam prærogativam ſatis etiam probat Epiſcoporum ab hac delegatione conſtans abſtinentia.

CAPUT IV.

Euchariſtiæ quidditas, materia, & forma.

§. I.

Euchariſtiæ quidditas.

Euchariſtia eſt Sacramentũ Corporis & Sãguinis Chriſti.

273. EVchariſtia *eſt Sacramentum Sanguinis & Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis, ad ſpiritualem animarum refectionem à Chriſto inſtitutum.*

Conſiſtit in re permanenti adeoque Chriſti Corpus continet etiam extra uſum.

274. Hoc Sacramentum conſiſtit in re permanenti: eſt de fide contra ſectarios noſtri temporis contendentes Euchariſtiam non habere rationem Sacramenti, nec continere Corpus Chriſti (quomodocumque illud contineat) extra uſum, adeoque hoc Sacramentum, ſicut cætera, conſiſtere in actione tranſeunte, id eſt, in ipſa ſumptione.

Prob. 1. ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. ubi dicitur, poſt conſecrationem Chriſti Corpus & Sanguinem eſſe ſub ſpeciebus panis & vini &c. 3. ubi expreſsè aſſeritur hoc Sacramentum à cæteris differre, *quòd vetius reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent cùm quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante uſum eſt.* Et can. 4. & 7. ubi dicitur anathema docentibus non eſſe in Euchariſtia Corpus & Sanguinem Chriſti peracta conſecratione,

cratione, sed tantum in ipso usu. Item asserentibus in hostiis consecratis, quæ in sacrario reservantur, non remanere verum Corpus Domini. 2. Ex verbis Christi: *Hoc est Corpus meum*. Matth. 26. & Marc. 14. ex quibus hanc veritatem colligit Trid. c. 3. citat. *Nondum enim inquit Eucharistiam de manu Domini susceperant Apostoli, cùm verè tamen ipse affirmaret Corpus suum esse, quod præbebat.*

275. Quòd autem respondent Calvinistæ, verba illa, *Hoc est Corpus* &c. non fuisse prolata ante actionem manducandi, sed inter manducandum, ut colligi putant ex serie verborum Matth. 26. ubi habetur: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*; facile refellitur: 1. quia, ut rectè Bellarm. & alii, non debet hic attendi series verborum: alioqui ex textu Marci 14. *& accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis: hic Sanguis meus &c.* sequeretur Corpus & Sanguinem Christi solùm esse in hoc Sacramento post usum; quod ne ipsi quidem dixerint. Sed solùm debet attendi significatio & sensus, quem ex constanti Ecclesiæ & PP. antiquissimorum sensu constat esse hunc, ut significetur Christum, dum panem adhuc manu teneret ante distributionem, dixisse: *Hoc est Corpus meum &c.* Quòd confirmatur ex verbis Luc. 22. & Apostoli 1. ad Corint. 11. *Hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo*. Quibus apertè significatur sanguinem esse in Calice ante sumptionem. 2. Quia istis verbis: *Hoc est* &c. *Hic est* &c. conficiebatur cibus & potus Eucharisticus; ergo fuerunt prolata ante usum & sumptionem. 3. Quia Christus hoc motivo suos invitabat ad manducationem, quòd cibus, quem manibus tenebat, esset Corpus suum: ideò Matt. 26. expressè addita est ad formam Calicis particula causalis *enim*. Deindè Apostoli successivè ex eodem calice biberunt; & tamen Christus verba consecrationis non protulit, nisi semel.

Errat Calv. docens hæc verba: Hoc est &c. Non esse prolata ante Sacramenti susceptionem.

Ex verbis Apostoli evincitur fuisse Sanguinem in Calice ante ipsā sumptionem

279. Nihilo melior est Kemnitii & quorumdam aliorum responsio dicentium, consistere in usu non accepto præcisè pro ipsa manducatione & actione

Nec satisfacit Kemnit. dicens.

bibendi

bibendi, sed etiam prosumptione in manus benedictione, fractione, distributione, imò, & delatione ad ægros: quia nec potest dici consistere in his omnibus distributivè (alioqui enim essent plura Sacramenta Eucharistiæ, quod nullus dixerit. Neque in omnibus collectivè; quia alioqui Christus sumens panem in manus non potuisset verè dicere: *Hoc est corpus meum.* Quod postremum evertit etiam tertiam quorumdã responsionem ex Calvino desumptam, dicentium hæc Christi verba fuisse promissoria sub conditione impletionis hujus præcepti, *comedite* & solum fuisse verificata pro tempore comestionis, quæ nondum erat, cùm proferrentur: nam si ita est, neq; Christus verè dicere potuit, *hoc est*, sed dicere debuit, erit.

Consistere in usu accepto prosumptione in manus benedictione, &c.

277. Denique has, & alias ejusmodi futiles hæreticorum responsiones sufficienter refellit antiquissima praxis Ecclesiæ servantis Eucharistiam in templis, & eam illic adorantis; quod fieri non posset, si in ea non esset permanenter Corpus Christi. De hac praxi extat antiquissimum Clementis testimonium in Epist. ad Iacob. fratrem Domini; ubi sic habet *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum id negligenter agitur, corpori Domini gravis iniuria inferatur.* His accedit unanimis SS. PP. circa hanc veritatem consensus apud Bellarm. lib. 4. cap. 2. notanda sunt maximè Cyrilli verba in Epist. ad Colos. *insaniunt* inquit, *quidam dicentes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione si qua eius reliquia remanserint in diem subsequentem; non enim mutãtur Sacramentum corporis Christi; sed virtus benedictionis & vivificativa gratia jugis est.* Ex his convictus Calvinus, coactus est fateri pro nobis stare exemplum veteris Ecclesiæ. *Sed in re tanta*, inquit, *tutius est sc. qui veritatem*, ipsi sc. & aliis ejusmodi Apostatis revelatam, & prioribus sęculis toti Ecclesiæ occultatam.

Prędictæ hæreticorũ responsiones satis quoq; confutantur ex usu Ecclesiæ Eucharistiam in templo asservantis,

278. Eucharistia consistit non in solis speciebus, etiam ut connotantibus Corpus Christi, ut volunt plerique Thomistæ; quia illis, etiam sic sumptis, non convenit esse cibum animæ, panem de Coelo, habere vim

Non cõsistit in solis speciebus etiã

vim sanctificandi, verbis consecratoriis confici adorandas latria &c. Neque etiam in solo Corpore & Sanguine speciebus solùm extrinsece connotatis, ut vult VValdensis: quia hoc Sacramentum debet esse sensibile, saltem secundùm aliquam sui partem: cum commune sit omnibus Sacramentis esse signum sensibile invisibilis gratiæ. Nec sufficit dicere, quod sufficienter reddatur sensibile per species: si enim sint extrinsecæ Sacramento, non potest hoc per illas reddi in se sensibile, quod tamen requiritur ad esse Sacramenti. Adde, quòd Trid. sess. 13 cap. 1. & can. 3. & PP. passim dicant in hoc Sacramento contineri Corpus & Sanguinem Christi: quod tamen dici non posset, si hoc Sacramentum nihil includeret præter Corpus & Sanguinem Christi: cùm nihil propriè dici possit contineri in seipso.

ut connotantibus Corpus Christi: neque in solo Corpore Christi.

279 Consistit igitur in speciebus simul & Corpore ac Sanguine Christi, ut partibus intrinsecè constituentibus. Ita Alanus, Cajetanus, Suarez, Valquez, ConincK & recentiores communius. Prob. 1. Ex can. *hoc est*, de consecrat dist. 2. ubi sic habetur.. *Hoc est quod dicimus sacrificium scilicet Ecclesia duobus constare, visibili elementorum specie & invisibili Domini nostri Iesu Christi Carne & Sanguine: Sacramento & re Sacramenti id est Corpore Christi: sicut Christi persona constat Deo & homine*. Atque persona Christi constituitur intrinsecè ex Deo & homine, sive est intrinsecè Deus & homo: ergo similiter Sacramentum Eucharistiæ constituitur intrinsecè ex speciebus & Corpore ac Sanguine Christi. 2. Quia isti aggregato, & non speciebus aut corpori seorsim propriè convenit esse signum sensibile sanctificans animam per modum cibi & potus spiritualis: nam per Corpus est sanctificans, nutriens &c. per species autem sensibile.

Importāt, & species, & Corpus Christi ut partes intrinsecè sui constitutivas.

Definitio Eucharistiæ convenit tātum aggregato ex speciebus, & Corpore Christi.

280. Cùm Innoc. III. Capitulo, *cùm Marthæ, de celebratione Missarum* tria distinguit in Eucharistia, videlicet Sacramentum tantum, rem tantum, & rem ac Sacramentū simul, & dicit species esse Sacramentū tantum: sumit illic Sacramentum præcisè pro eò quòd significat rem sacram & non significatur, & sic sumendo verùm est quod solæ species sint Sacramen-

Species sunt Sacramētum tantùm; Corpus res & Sacramentum simul gratia res tantum.

tum tantum; quia ſignificant rem ſacram, videlicet Corpus, & Sanguinem Chriſti, & non ſignificantur. Gratia autem eſt res tantum: quia ſignificatur & non ſignificat: Corpus autem & Sanguis Chriſti ſunt ſimul res & Sacramentum, quia ſignificant & ſignificantur: ſignificantur enim per ſpecies & ſignificant unitatem fidelium & ſpiritualem refectionem animæ per gratiam ſanctificantem. Verùm ad rationem adæquatam Sacramenti novæ legis, non ſufficit quod ſit præciſè ſignum rei Sacræ, ſed inſuper debet veram ſanctitatem operari; quod non convenit ſpeciebus etiam ut connotantibus Corpus Chriſti.

Explicatur quomodo ſumatur vox Sacramẽtum in confeſſione Berengarii.

281. Eodem ferè modo explicandum eſt quod habetur can. *ego Berengarius*, *de conſecratione diſt.* 2. ubi Berengarius hæreſim ſuam revocans agnoſcit ex ſenſu Eccleſiæ in altari manere *non ſolùm Sacramentum, ſed etiam Corpus Chriſti*, quibus verbis non vult Corpus Chriſti adæquatè diſtingui à Sacramento; ſed cùm ante erroneè docuiſſet in Euchariſtia eſſe Sacramentum tantùm, id eſt nudum ſignum Corporis, non ipſum Corpus errorem hunc retractans oppoſitum profitetur, nempe in altari eſſe non nudum Sacramentum ſeu ſignum Corporis, ſed etiam Corpus ipſum, non ut rem adæquatè diſtinctam à Sacramento completè ſumpto, ſed tamquam partem illius eſſentialem.

Euchariſtia dicitur Sacramentum Corporis Chriſti intranſitivè.

Ex eo autem quod corpus Chriſti ſit res Sacramenti non rectè infertur quod non ſit pars Sacramenti: utrumque enim ei convenit diverſo reſpectu: eſt enim res Sacramenti reſpectu ſpecierum, quia per illas ſignificatur. Eſt autem pars Sacramenti reſpectu gratiæ quam ſignificat & operatur.

Locutio illa recepta, quia Euchariſtia dicitur Sacramentũ corporis Chriſti ſumi debet intrãſitivè, ut ſenſus ſit eſſe Sacramentũ, quòd eſt Corpus Chriſti.

Continetur Corpus Chriſti in hoc Sacramento tãquam pars in toto.

282. Cùm à Trid. ſeſſ. 13. can. 2. dicitur Corpus Chriſti contineri in Sacramento, intellige tanquam partem in toto, qualiter anima continetur in homine: niſi dicere malis, Sacramentum ibi ſumi incompletè, pro Sacramento tantùm.

283. E contra cùm PP. ſubindè dicunt hoc Sacramentum

mentum esse Corpus Christi, dicendi sunt sumere partem pro toto: quod non est infrequens in artefactis sive physicis, sive moralibus: ut cum dicitur; *Navis est lignum*; *Baptismus est ablutio*. Vnde non excludunt species à Sacramento completè sumpto sed illud denominant à parte ejus præcipua. Et quamvis sanctitas intrinseca & vis animam reficiendi huic Sacramento specialiter competat ratione Corporis Christi tanquam principalis instrumenti, & per se primò requisiti ad rationem cibi spiritualis; quod tamen reficit, est totum aggregatum, non solùm Corpus: quod proindè vi præsentis institutionis non reficeret eo opere operato, si sine speciebus, aut sub alijs speciebus, quàm panis & vini, v.g. carnis & lactis poneretur.

Eucharistia dicitur Corpus Christi sumẽdo partẽ pro toto.

Corpus Christi non reficeret animã si non esset sub speciebus.

284. Petes an in isto aggregato ex speciebus & Corpore Christi unum habeat se per modum materiæ: alterum per modum formæ? ratio dubitandi est quod Florentinum in decreto de Sacramentis dicat generatim Sacramenta constare materia & forma: non appareat autem quid hic habeat se per modum materiæ, quid per modum formæ.

Species, & Corpus Christi habẽt rationem materiæ respectu significationis sacramentalis.

R. Neutrum hic; propriè loquendo, respectu invicem habere se per modum materiæ, aut formæ: sed utrumque habere velut rationem materiæ respectu significationis sacramentalis, videlicet refectionis animæ per augmentum gratiæ; quæ significatio est velut forma totius.

285. Nec refert quod cætera Sacramenta præter significationem sacramentalem habeant unum per modum materiæ: alterum per modum formæ, videlicet verba quibus perficiuntur. Ratio enim disparitatis est, quod cætera consistant in actione transeunti, videlicet in applicatione materiæ & pronunciatione formæ. Hoc autem in re permanenti, videlicet in Corpore Christi & speciebus panis, quorum respectu invicem dici potest, saltem propriè, habere se per modum materiæ aut formæ, cum neutrum respectu invicem habeat se per modum determinabilis aut determinantis.

Sacramentũ hoc fit etiam ex rebus ut materia, & verbis ut forma non tamen ex illis constat, ut cætera Sacramenta.

286. Neque obest Florentinum: quia non dicit Sa-

cramenta conſtare materia & forma; ſed perfici; quod etiam verùm eſt de Euchariſtia: fit enim ex pane & vino tanquam materia, & verbis conſecratoriis tanquam forma: adeoque in fieri habet unum per modum materiæ: alterum per modum formæ; ſicut cætera Sacramenta. Quia verò hoc Sacramentum non conſiſtit, ut alia, in actione tranſeunti; ſed in re permanenti, hinc fit ut in facto eſſe non reperiatur aliquid præter ſignificationem ſacramentalem, quod habeat ſe per modum formæ; quia verba, quæ habuerunt ſe inſtar formæ, dum fieret, deſierunt dum eſt in facto eſſe.

Quamvis igitur per verba conſecratoria fiat hoc Sacramentum; non debent tamen nec poſſunt dici de intrinſeco ejus conſtitutivo: alioqui enim non conſiſteret totaliter in re permanenti, nec haberetur adæquatè facta conſecratione, quia non haberentur amplius conſecrationis verba.

Dicit eſſentialem ordinem ad verba conſecratoria ut ſui cauſam, non ut partem.

287. Verùm quidem eſt quod hoc Sacramentum dicat eſſentialem ordinem ad verba conſecratoria; ſed hic ordo non eſt ad illa ut partem intrinſecam Sacramenti ſed ut cauſam ejus efficientem adeoque extrinſecam.

288. Quando autem Florentinum aſſignat iſta verba pro forma hujus Sacramenti non eſt intelligendum de forma intrinſeca ſed extrinſeca, *cujus virtute*, ut ibidem loquitur, *ſubſtantia panis in Corpus Chriſti & ſubſtantia vini Sanguinem convertuntur*. Ex quo patet verba conſecratoria potiùs ſpectare ad cauſam efficientem quam formalem. Rectè tamen dicuntur etiam forma extrinſeca reſpectu ſpecierum conſecratarum, quia ſpecies iſtæ ab illis ut forma quadam extrinſeca denominantur conſecratæ. Ita panis & vinum ab eodem Concilio dicuntur materia Euchariſtiæ, non intrinſeca, cum fide certum ſit non remanere in ea ſubſtantiam panis aut vini: ſed extrinſeca & tranſiens, ex qua ſcilicet in Corpus & Sanguinem Chriſti converſa fit hoc Sacramentum.

Verba conſecrationis ſũt tãtum forma extrinſeca Euchariſtiæ.

289. Multò minus ipſa ſumptio Sacramenti dicenda eſt pertinere ad complementum intrinſecum hujus Sacramenti, ut vult Aureolus: quia Sacramentum

Sumptio Euchariſtiæ nõ pertinet ad

tum

tum hoc institutum est per modum cibi & potus spiritualis: sumptio autem non potest dici intrinsecum cibi aut potus complementum. intrinsecum ejus complementum.

Nec refert quod Eucharistia ordinetur ad nutritionem animæ, nec haberi possit ista nutritio sine sumptione: quia indè tantum sequitur, quod sumptio sit conditio sine qua non haberetur effectus hujus Sacramenti. Ita cibus corporalis ordinatur ad nutritionem corporis, nec potest hunc effectum habere nisi mediante introsumptione; & tamen hæc non potest dici de intrinseco ejus complemento, sed tantum conditio sine qua cibus non nutrit corpus.

290. Species panis & Corpus Christi, & species vini, & sanguis Christi non sunt duo Sacramenta specie diversa, sed unicum ejusdem speciei infimæ. Ita cum S.Th.DD. communiter contra Gabrielem. Prob. quia utrumque ex sua institutione ordinatur ad unum & eundem finem, videlicet spiritualem refectionem animæ: ac proindè utrumque ex sua institutione est moraliter unum totale signum unius totalis refectionis animæ. Et sicut ex cibo & potu corporali exurgit unica refectio corporalis: ita ex hoc cibo & potu spirituali, unica refectio spiritualis. Eucharistia sub utraque specie est unicum specie Sacramentum.

291. Quando patres species panis & species vini vocant Sacramenta in plurali, hunc numerum usurpant ob materialem specierum pluralitatem; non autem ob formalem aliquam diversitatem in ratione Sacramenti.

Neque hanc diversitatem probat quod unum reficiat animam per modum cibi spiritualis; alterum per modum potus quia potus & cibus non faciunt moraliter nisi unicam refectionem totalem.

292. Si diversæ species consecratæ sive panis sive vini considerentur ut sumibiles diversis sumptionibus, sunt plura numero Sacramenta, & sumptæ causant diversas numero gratias. Si verò accipiantur ut sumibiles unica sumptione non sunt plura numero Sacramenta, sed unicum; & sic sumptæ non operantur nisi unicam numero gratiam. Dicendum etiam est esse unicum numero totale Sacramentum, quãdo Quando nam diversæ specie sint unũ aut plura numero Sacramenta.

sumitur sub specie panis & specie vini; quia ex utroque fit unica totalis refectio spiritualis.

Eucharistia non est necessaria necessitate medii nec in re nec in voto.

293. Eucharistia reipsa suscepta non est necessaria necessitate medii. Est de fide quo ad parvulos ex Trid sess. 21. can. 4. dicente anathema asserenti parvulis, antequam ad annos discretionis perveniant, necessariam esse Eucharistiæ sumptionē. Quoad adultos autem ita id certum est, ut saltem oppositum sit temerarium ex eodem Trid. sess 5. in decreto de peccato originali §. 5. generaliter definiente in baptizatis nihil esse quod eos ab ingressu cæli remoretur: quod non esset verùm si sumptio Eucharistiæ esset necessaria necessitate medij. Prob. etiam ratione ad salutem obtinendam sufficit status gratiæ. Ad id autem non est necessaria sumptio Eucharistię, cum non sit instituta ad conferendam primam gratiam, sed illam supponat, utpotè Sacramentum vivorum.

294. Neque Eucharistia in voto necessaria est necessitate medii; ita DD. communiter. Prob. quia illud solùm est in voto necessarium ad salutem necessitate medii quod institutum est à Deo tanquam medium ad justificationem obtinendam: atqui hoc non convenit Eucharistiæ, cum ipsam justificationem supponat. Ergo &c.

Dum Ioa 3. dicitur nisi mãducaveritis &c. importatur tãtum necessitas præcepti.

295. Dices sicut Ioan. 3. v. 5. dicitur nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum cœlorum. Ita Ioan. 6. v. 54. dicitur nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis: ergo sicut ex priori lòco colligitur baptismum esse necessarium necessitate medii in re vel in voto: ita ex posteriori loco colligi debet eadem Eucharistiæ necessitas. R. neg. conseq. quia modus iste loquendi est indifferens ad significandam necessitatem medii vel præcepti: idque determinandum est ex subjecta materia. Si enim in istis locutionibus sermo sit de re aliqua necessaria ad acquirendam justificationem, importatur necessitas medii: ut accidit respectu Baptismi & Pœnitentiæ. Non autem respectu Eucharistiæ; quia non est instituta ad conferendam justi-

justificationem seu primam gratiam, sed augmentum illius.

296. Non est etiam absolutè necessaria ejus sumptio ad perseverandum in gratia. Ita DD. communiter de parvulis patet; quia incapaces sunt peccandi. De adultis Prob. quia alioqui salus esset illis impossibilis casu quod deesset eis, etiam inculpabiliter, facultas Eucharistiam recipiendi, ut facile potest accidere degenti inter hæreticos, aut barbaras nationes.

Non est etiã Eucharistia absolutè necessaria ad perseverandum in gratia.

297. Necessaria tamen est ut quis faciliùs ac certiùs perseveret in gratia? quia Eucharistia instituta est ut sit spiritualis cibus animæ illam confortans adversus tentationes & illecebras peccandi, estque ut loquitur Trid. sess. 13. cap. 2. *Antidotum quo liberamur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservamur.*

Non potest tamen indè inferri quod ejus sumptio sit absolutè in eum finem necessaria: quia licet sit medium valdè efficax ad obtinendam istam perseverantiam; non est tamen medium unicum: cum aliis modis v.g. oratione jejunio obtineri possit.

Neque ex eò quòd sine corporali non possit conservari vita corporis rectè infertur, quod sine Eucharistia, qui est cibus animæ, non possit conservari vita spiritus; quia præter Eucharistiam dantur etiam alii cibi spirituales, v.g. virtutum actus, quibus vita animæ conservetur.

Dantur præter Eucharistiã alii spirituales cibi animæ.

Quando ergo Florentinum dicit Eucharistiam operari in ordine ad vitam animæ, quidquid cibus corporalis operatur respectu corporis, non denotat æqualem utriusque cibi necessitatem, sed effectuum similitudinem.

§. II.

Eucharistiæ materia, & forma.

298. **M**Ateria Eucharistiæ, remota scilicet & transiens, sive materia ex qua fit Eucharistia, est panis triticeus; ita ut nihil fiat si panis alius consecretur. Prob. 1. ex Florent. in decreto de Sacra-

Non potest Eucharistia confici ex alio pane quã triticeo.

mentis ſimpliciter dicente : *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus*. 2. ex traditione, & perpetuo uſu Eccleſiæ cum Latinæ tum Græcæ, ſolum triticeum conſecrantis. 3. ex rubricis Miſſalis Romani titulo de defectibus: ubi expreſsè dicitur non confici Sacramentum, ſi panis non ſit triticeus, 4. quia ſolus panis triticeus eſt ſimpliciter panis, & alii panes tantum in ejus defectum adhibentur. Ex his

299. Collige 1. invalidam eſſe conſecrationem ſi panis confectus ſit ex radicibus arborum, qualis conficitur in variis Americæ partibus: aut ex fructibus arborum, ut glandibus, caſtaneis, amygdalis, nucibus &c. aut ex ſeminibus leguminum, ut ex fabis, piſis, lente &c.

300. Collige 2. nec validè conſecrari panem confectum ex oriza, milio, avena, hordeo, aliiſque granis, quæ certò non ſunt triticum.

Illicita ſaltem eſt conſecratio panis de quo dubitatur an confectus ſit ex verò tritico.

301. Collige 3. omnem panem confectum ex grano, de quo dubitatur an ſit verùm triticum, non poſſe licitè conſecrari, ſaltem extra caſum neceſſitatis; quia extra hunc caſum non licet in Sacramentis adhibere materiam dubiam. Duæ autem ſunt ſpecies grani de quibus præſertim dubitatur an ſint triticum, videlicet ſiligo & ſpelta. Siliginem eſſe triticum cenſet S.Thomas, eò quòd quandoque ex tritico terræ malignæ commiſſo generetur. Idem cum S.Th. ſentiunt Sylveſt. Sot. Led. Eſti. Laym. &c. id tamen negant multi alii: nec ratio allata contrarium evincit: quia triticum poteſt degenerare in ſiliginem cum ſpecifica ſui immutatione. Vndè in praxi cenſeri debet materia dubia: uti & ſpelta; quæ tamen videtur magis accedere ad naturam tritici, quam ſiligo. Vndè ſi in caſu neceſſitatis tantum ſuppeteret panis ſiligineus, potiùs hic quam ille eſſet conſecrandus.

Si mixtio alterius grani ſit notabilis tedit etiam

302. Petes quid dicendum ſit ſi panis non ſit ex tritico puro, ſed mixto v.g. avena vel hordeo. R. ſi granum alterius naturę ſit in parva quantitate, ita ut panis morali æſtimatione cenſeatur adhuc triticeus, validam eſſe conſecrationem: ſecus ſi mixtio ſit magna,

gna, & granũ admixtum certo sit alterius naturæ ac triticum. Si enim probabiliter sit ejusdem naturæ, & tale ut in pane usuali soleat misceri tritico, qualiter miscetur siligo, non tam facile impediet valorem consecrationis. Cæterum in praxi curandum est ut panis sit ex tritico puro.

illicitã consecrationem

303. Requiritur etiam ad valorem Sacramenti, ut panis sit confectus ex farina triticea aquæ naturali admixta ac igne cocta. Ita DD. communiter. Ratio est quod Christus consecravit panem usualem: usualis autem dicto modo conficiatur. Hinc.

Requiritur etiam ad valorem Sacramenti ut panis sit cõfectus ex farina triticea aquæ naturali admixta, & igne cocta.

304. Collige 1. liba, placentas, & similia confecta ex farina triticea mixta lacte, butyro, melle, saccharo, aqua rosacea, aliisq; liquoribus ab aqua naturali specie, differentibus non posse validè consecrari: nisi fortè liquores isti admixti essent aquæ naturali in parva quantitate: esset tamen etiam illicitum sic consecrare.

305. Collige 2. Massam crudam sive pastam esse materiam insufficientem; quia licet fortè non differat substantialiter à pane cocto; differt tamen vsualiter, & moraliter quòd sufficit.

Non potest validè consecrari massa cruda sive pasta necdũ cocta.

306. Collige 3. insufficientem etiam esse, si frixa sit in sartagine, vel cocta per elixationem, vel durata ad solem: quia tunc non habet rationem veri panis. Nihil refert sive cocta sit in furno, sive sub cineribus, sive intra ferrum calidum: quia sic cocta est verè panis.

307. Collige 4. neque legitimam esse materiam si panis confectus sit ex amylo seu amydo, quia amydum differt à farina triticea si non substantialiter, saltem moraliter, & usualiter: non sit enim ex tritico comminuto ut farina; sed ex albo liquore è granis triticeis aqua maceratis expresso.

308. Tam panis azymus quam fermentatus est materia sufficiens ad validam consecrationem. Est de fide contra Græcos Schismaticos solum fermentatũ admittentes: & Armenos solum azymum. Prob. 1. ex Florentino hanc veritatem definiente his verbis: *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*. 2. Ex perpetuo usu Eccle-

Tam panis azymus quã fermentatus sufficit ad validam cõsecrationem.

Ecclesiæ Latinæ azymum consecrantis; quam in re tanti momenti universam tam diu errasse dementissimum est affirmare. Nec ipsi Græci validitatem talis consecrationis negarunt ante exortũ schisma circa annum Christi 1150. ut probat Arcudius. 3. ratione quia tam azymus quam fermentatus est verè panis. Nec refert quod azymus non sit in usu quotidiano ut fermentatus; quia saltem erat etiam in usu Iudęis Festi Paschalibus qui ideò dicebantur dies azymorum. Et lib. 1. Reg. cap. 21. panes propositionis, qui certo erant azymi, simpliciter dicuntur panes, iisque vescebantur Sacerdotes. Et Lucæ 24. panis, quem Christus post resurrectionem fregit coram duobus discipulis erat certo azymus, cum tunc essent dies azymorum; & tamen vocatur simpliciter panis.

Tenentur tamen Latini consecrare azymum, & Græci fermentatum juxta ritum Ecclesiæ suę.

309. Licet uterque panis sit materia sufficiens; Latini tamen tenentur consecrare azymum: Græci autem fermentatum, singuli juxta ritum Ecclesiæ suę. Ita statuit Florentinum in litteris unionis. Et utriusque Ecclesiæ antiquissima consuetudo obtinet vim præcepti graviter obligantis; ita ut Sacerdos Latinus peccet mortaliter consecrans fermentatum in Ecclesia Latina. Et similiter Sacerdos Gręcus consecrans azymum in Ecclesia Græca.

310. Petes 1. an Sacerdos Græcus possit consecrare azymum dum versatur in Ecclesia latina? contra Sacerdos Latinus consecrare fermentatum, dum versatur in Ecclesia Græca?

Quid dicendum de Sacerdote Grę, co peregrinante in Ecclesia Latina? aut contra de latino peregrinante in græca?

Resp. si versentur in dictis Ecclesiis tanquam peregrini possunt vtrovis modo consecrare. Quod enim possint se cõformare ritui Ecclesiæ propriæ, patet tum ex praxi Ecclesię Latinæ, quæ hoc permittit græcis in ea peregrinantibus. Quod vere etiam possint se confirmare ritui Ecclesiæ in qua versantur, tenent DD. communius, & colligitur ex canone *illa autem* dist. 12. vbi ex Aug. & Amb. generaliter suadetur, ut quisque eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit. Si autem sint in dictis Ecclesiis non tanquam peregrini, sed tanquam incolę domicilium in eis habentes tenentur sed conformare ritui Ecclesiæ in qua permanenter habitant.

Excipe

Excipe nisi in eo loco in quo habitant, habeant templum sui ritus, ut habeant grȩci Romȩ; tunc enim tenentur servare ritum istius templi.

311. Petes 2. qualem panem Christus consecraverit, azymumne an fermentatum? græci stant pro fermentato: latini pro azymo. Et hinc hac in re consecrationis diversitas valorem ejus non impediens.

Resp. longe vere similius videri Christum consecrasse panem azymum: quia consecravit immediate post esum Agni Paschalis, ut constat ex Evangelistis: atqui comedit Agnum Paschalem prima die azymorum ad vesperam lunæ 14. quando ex præscripto legis non licebat uti pane fermentato: ergo, &c. consequentia clara est. Prob. mi. ex Matthæo cap. 26. dicente: *prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum; dicentes ubi vis paremus Pascha?* item ex Marco cap. 14. *& primo die azymorum, quando Pascha immolabant: dicunt ei discipuli, quovis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha*, ac denique ex Luca cap. 22. *venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha: & misit Petrum, & Ioannem dicens, euntes parate nobis Pascha*, Id etiam ratio suadet quia non est verisimile Christũ, qui legalia tam religiose hactenus observaverat, voluisse contra legem tempus anticipare, & ad vesperam lunæ 13. cum Iudæorum scandalo Agnum Paschalem manducare, & quidem ritu indebito vtendo pane fermentato, cum azymus in illius esu esset præceptus.

Multis argumentis hisq; efficacibus probatur Christũ consecrasse panem azymum.

312. Dices Ioan. 13. dicitur Christus ante diem festum Paschæ post cœnam, utrique Paschalem, lavisse discipulorum pedes: ergo cum festum Paschæ inciperet ad vesperam lunæ 14. si ipse habuit istam cȩnam ante festum Paschæ: consequenter uno ut minimum die prevenit tempus lege præscriptum, & cap. 18. dicuntur Iudæi: *Non introisse in pratorium Pilati, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*. Ergo necdum illud manducaverant: ergo Christus prævenit illos vno die, cum pridie illud manducasset, ut certum est. Et cap. 19. de ipso die quo Christus passus est, dicitur: *Erat autem parasceve Pascha*, id est dies præparationis ad festum Paschæ: ergo

Quæ adferuntur in contrarium ex Ioanne non sunt efficacia, & infra solvuntur num. 315.

ergo paſſus eſt pridie paſchatis, adeoq; uno die prævenit eſum Agni Paſchalis. Denique ibidem dicuntur Iudæi rogaſſe Pilatum, ut poſſent ſepelire corpora crucifixorum ne in cruce remanerent ſequēti ſabbato; & pro ratione adfertur: *Erat enim magnus dies ille ſabbati:* quia ſcilicet iſto anno in eum incidebat Feſtum Paſchæ; ex quo iterum ſequitur Chriſtum uno die ante alios manducaſſe Agnum Paſchalem: Et conſequenter necdum fuiſſe dies azymorum; qui tantum incipiebant cum feſto Paſchali: ac proinde non fuiſſe uſum in iſta cœna pane azymo; adeoque nec in conſecratione quæ immediatè cœnam ſecuta eſt.

Etiãſi Chriſtus uno die anticipaſſet eſum Agni Paſchalis nō tamen inde probaretur conſecraſſe fermentatū.

313. Reſp. 1. dato quod Chriſtus uno die cœnam Paſchalem anticipaſſet; nihil adhuc inde concludi pro pane fermentato. Si enim id fecit, debuit ſaltem obſervaſſe ritum in eſu Agni Paſchalis præſcriptum, ideoque uti pane azymo. Ita enim præcipitur. Exod. 12. ſicut ergo qui ob legitimum impedimentum non manducaverat Paſcha tempore ſtatuto, debebat poſtea in ejus eſu uti pane azymo, licet dies azymorum præteriiſſent. Ita Chriſtus, dato quod uno die dies illos anticipaſſet.

Facilè inter ſe conciliantur Euangeliſtæ dicendo Agnum Paſchalem iſto anno manducatū fuiſſe duobus diebus diverſis.

314. Reſp. 2. hæc omnia in ſpeciem oppoſita iis quæ ex tribus aliis Evangeliſtis adduximus ad probandam concluſionem facile ſolvi in ſententia ſatis probabili anno iſto duobus diebus Agnum Paſchalem fuiſſe manducatum. Plebem, & Chriſtum cum ea more ſolito Agnum manducaſſe ad veſperam 14. diei menſis Niſan. ſacerdotes vero, & ſcribas, & primates populi, id tantum feciſſe die ſequenti: hujus autem diſcriminis cauſam fuiſſe aliquod iſto anno diſſidium circa diē feſtum Paſchæ ex eo ortum, quod dies 15. menſis Niſan. non ſatis reſponderet lunæ 15. eum ergo juxta legem celebrandum foret feſtum Paſchale luna 15. & conſequenter Agnus immolandus ad veſperam lunæ 14. ſeriuſque a peritioribus animadverſum eſſe diem 15. menſis Niſan. non ſatis reſpondere lunæ 15. ut debebat, cum Iudæi menſes ſuos inchoarent à novilunio: factum eſt, ut populus ac Chriſtus cum eo more ſolito Agnum

Pa-

Paschalem comederint ad vesperam diei 14. mensis Nisan. incidentis isto anno in diem jovis. Sacerdotes autem, & scribæ esum illius reiecerint in diem sequentem ut proprius accederent ad lunam 14. itaque Matthæus, Marcus & Lucas locis pro conclusione citatis respexerint ad diem Paschę prout à populo observatus est. Ioannes verò prout à Sacerdotibus & scribis. Et ita optime inter se conciliantur Evangelistæ, nihilq; ex locis in objectione citatis concludi potest adversus conclusionem nostram ut consideranti patebit. Vide de hac re Petavium lib. 12. de doctrina temporum cap. 15. & Seneschallum in triade Evangelica quæst. de morte Christi cap 2.

Explicantur prædicta Ioannis loca in sententia communi asserente eodem die Agnum Paschalem fuisse manducatum.

315. In sententia autem communi admittente omnes eadem vespera diei 14. mensis Nisan. Agnum Paschalem manducasse. Ad primum Ioannis locum dicendum ly ante diem festum diem Paschæ idem esse ac vespera procedente diem festum Paschæ, licet enim Iudæi dies festos inchoarent ab ipsa vespera; communiter tamen diem festum tantum appellabant lucem sequentem, uti apud nos adhuc contingit, Ad 2. per ly *Pascha* isto loco non intelligi Agnum Paschalem; sed alias victimas pacificas quę isto festo Paschatis immolabantur ad quas edendas requirebatur munditia legalis. Has enim victimas aliquando etiam intelligi per ly Pascha seu phase patet ex Deut. 16. & cap. 2. Paralip. cap. 15 Ad 3. per Parasceven. Paschæ intelligi præparationem ad sabbatũ incidens intra octavam Paschæ Quamvis enim parasceve significet generaliter præparationem; ex vsu tamen Iudæorum restringebatur ad significandam præparationem ad sabbatum. Et de hac parasceve se agere satis insinuat Ioannes ibid. v. 31. dum ait *Iudæi autem, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, &c.* & Marcus cap. 15. *quia erat parasceve, quod est ante sabbatum*. Ad 4. R. diem illum sabbati vocari magnũ, quia incidebat in diem proximè sequentem festum Paschæ; ex quo fiebat ut hoc sabbatum esset solemnius cæteris sabbatis.

Variæ adhuc difficultates proponuntur ad pro-

316. Varia adhuc objici possunt quę juxta priorem sententiam facile explicantur juxta autem commu-

nem

nem non levem patiuntur difficultatem. Multa enim peracta sunt eo die quo Christus passus est, quæ non licebat facere die Festo, nam Sacerdotes Christũ accusarunt apud Pilatum. Ioseph sindonem mercatus est. Nicodemus tulit pondus centum librarũ ex aloe, & mirrha. Mulieres præparaverũt aromata &c. ergo Passio Christi non incidit in Festum Paschæ 2. Sacerdotes cum Pontifice festo Paschatis erant in templo occupatissimi cum quo videntur stare, quæ ab Evangelistis scribuntur de coacto mane Sacerdotum, & seniorum Concilio apud Caipham. De Christi causa ibidem ab iis discussa. De toto illo cœtu ad Pilatum profectum ad urgendam Christi mortem De ejusdem accusatione apud Herodem. De reditu ad Pilatum. De adito Monte Calvariæ Christoque in Cruce ab iisdem illuso, &c. ergo non erat festum Paschæ cum hæc peracta sunt.

bandũ quod Christus nõ sit passus ipso festo Paschali.

Explicantur & solvuntur istæ difficultates.

317. Resp. hæc nullam habere difficultatem, ut consideranti patebit in priori sententia asserente Sacerdotes, & cum iis primates populi distulisse festum Paschale in sequentem diem propter rationem allatam num. 314. in communi autem ad primum dici posse Sacerdotes furore in Christum excœcatos, vel ausos festum illud violare; vel certe existimasse id sibi etiam in tali festo licere. Iosephum autem, & Nicodemum, piasque mulieres credidisse licere sibi hæc pia misericordiæ opera exercere etiam festo die, exemplo Tobiæ qui die festo cadaver Israelitę jugulati sepelivit, ut refertur Tobiæ 2. Ad 2. vel Sacerdotes & Pontificem ex odio in Christum officium suum neglexisse: vel certe cum essent magno numero partem unam procurasse Christi mortem. Alteram eamque majorem vacasse officio Paschali. Cęterum etiam dato, quod Christus esum Agni Paschalis uno die anticipaverit, ut ex his aliis propriis allatis volunt Græci; non posse inde inferri Christi neutrum consecrasse panem fermentatum ut ostendimus n. 33.

Etiam dato quod Christus uno die prævenerit esum Agni Paschalis nõ potest indè inferri quod consecraverit panem fermentatũ.

318. Materia consecranda debet esse moraliter præsens consecrati, est communis, & certa. Prob. 1. quia id omnino exigit pronomen *hoc vel hic* demonstrativum quod continentur in forma consecrationis:

nis: nihil enim potest demostrari nisi sit moraliter præsens 2. quia alioqui Sacerdos existens v.g. in Gallia, Hispania, imò, & indiis, dirigendo intentionem suam ad illa: quod falsum, & absurdum est. Ad hoc autem ut materia consecranda sit moraliter præsens quo requiruntur. 1. ut sensu aliquo possit percipi. 2. ut sit aliquo modo propinqua loco. Ita DD. communiter.

Materia cõsecranda debet esse moraliter præsens consecranti.

319. Dices quamvis cælum, & stellę distent a nobis longissime possumus tamen illa demonstrare per dicta pronomina; dicendo hoc cælum serenum est: hæc stella splendida est: ergo falsum est quod ista pronomina exigant rei demonstratæ propinquitatem.

Duo ad moralem præsentiam requiruntur, videlicet sensibilitas, & loci propinquitas.

R. 1. rectius dicendum istud cælum ista stella, quia ly istud vel illud nõ ita exigit rei propinquitatem. 2. disparitatem esse quod in iliis exemplis non fiat id quod demonstratur, ut accidit in consecratione. Ideoq; in ea requiratur major rei demonstratæ propinquitas Quã autem propinqua debeat esse non potest pręcisè definiri, sed id ęstimãdum est ex communi DD. sensus, secundum quem non potest validè consecrari materia distans centum passibus, quamvis tanta esset ut inde etiam facilè posset visu percipi. Imo nec juxta Hurtadum, si distet passibus quadraginta. Soto, Henriquez, & alii putant esse sufficienter propinquam si sit intra viginti passus: Tannerus ait id plus aut minus limitandum juxta magnitudinem & situm materiæ consecrandæ. In re ad ea incerta, servanda est praxi Ecclesiæ non consecrantis nisi materiam valdè propinquam. Ex dictis.

Non potest determinari quanta præcisè debeat esse rei consecranda propinquitas.

320. Collige 1. non posse validè consecrari materiam, licet vicinam; si inter illam, & consecrantem interjaceat paries, aut aliud corpus opacum, quod non habeat rationem thecæ aut vasis proximè illam continentis. Quia cum tunc non possit ullo sensu percipi nec in se nec in alio ipsam proximè continente non est moraliter præsens consecranti.

321. Collige 2. è contra formulas in pixide seu ciborio clauso contentas validè consecrari, si ad eas dirigatur intentio consecrantis: quia ad præsentiam moralẽ sufficit quod ipsum continens sit præsens. In

Validè conservantur formulę existentes in pixide seu ciborio clauso: in praxi tamen curandum est ut aperiatur

praxi

praxi tamen curandum eſt ut aperiatur pixis ſeu ciborium non tantum in prima oblatione, ſed etiam in ipſa conſecratione. Quod ſi tamen id ex oblivione prætermiſſum eſſet & præceſſiſſet intentio illas conſecrandi, nequidem ſub conditione iteranda eſſet conſecratio.

Poteſt validè conſecrari materia quantumlibet parva.

322. Materia quatumlibet parva poteſt validè conſecrari; modo ſit ſenſu perceptibilis. Ita DD. communiter cum S. Th. ratio eſt quod non ſit adeò parva pars materiæ ſub cujus ſpeciebus non poſſit poni Corpus Chriſti, cum ſub eis exiſtat indiviſibiliter.

Requiritur tamen ut ſit ſenſu perceptibilis.

Dixi modo ſit ſenſu perceptibilis; quamvis enim Corpus Chriſti ob rationem allatam poſſit etiam exiſtere ſub ſpeciebus partis adeò exiguæ, ut non poſſit ſenſu percipi: non poteſt tamen materia adeò exigua validè conſecrari: quia cum forma conſecrationis ſit demonſtratiua; debet eſſe demonſtrabile id quod poteſt valide conſecrari: non poteſt autem eſſe tale, id quod non eſt ſenſu perceptibile. Ita DD. communius.

Poteſt quoque validè conſecrari materia quantùlibet magna modo ſit ſecundum ſe totam ſufficienter preſens.

Nec refert quod probabilius remaneat Corpus Chriſti ſub inſenſibili parte ſpecierum conſecratarum, quæ à toto poſt conſecrationem ſeparatur: quia minus requiritur ad conſervationem quam ad productionem rei: nec ratio allata locum habet in conſervatione ſicut in productione.

323. Poteſt etiam validè conſecrari materia quantumlibet magna, modo ſit ſecundum ſe totam ſufficienter præſens conſecranti. Ita etiam DD. communius. Ratio eſt quod Chriſtus abſolutè dederit Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem, & vinum abſque ullo indicio limitationis determinatam aliquam quantitatem.

Dixi modo ſit ſecundum ſe totam ſufficienter preſens: quia ut dictum eſt num. 318. ad validam conſecrationem requiritur moralis præſentia materiæ conſecrandæ,

324. Neceſſe eſt ad validam conſecrationem ut materia conſecranda determinetur in particulari per intentionem conſecrantis: eſt communis, & certa.

Prob.

Prob. 1. ex generali ratione Sacramentorum requirentium determinationem subjecti per intentionem ministri. 2. ex speciali forma hujus Sacramenti quæ cum sit demonstrativa per pronomen hoc exigit determinationem rei demonstrandæ, cum res indeterminata demonstrari non possit.

Materia cõsecranda debet in particulari determinari per intentionem consecrãtis.

Collige non validè consecraturum, qui ex mille formulis vellet tantum consecrare decem aut centum, non determinando illas in particulari. Item qui solum vellet indeterminatè consecrare alterutram medietatem formulæ. Et similiter, qui intenderet consecrare illam è multis, quam Deus vel alius voluerit determinare, si ignoret hãc determinationem, quia determinatio facienda est ab ipso consecrante, cum ipse pronunciet formam demonstrativam.

Non sufficit determinatio facta per intentionẽ merè internam: sed requiritur exterior aliqua nota determinationis.

325. Petes 1. an sufficiat determinatio per intentionem merè internam, absque ulla nota exteriore; qua formula consecranda exteriùs distinguatur ab aliis non consecrandis? R. in re incerta videri probabilius quod non: quia intentio merè interna non sufficit ad demonstrationem, quam continet forma consecrationis. Vndè si contigeret formulam non consecratam casu admisceri consecratis; sic ut non posset ab iis discerni, non videtur posse eam validè consecrari: sed tunc ad vitandum damnum ejus qui eam reciperet, distribuendæ essent singulis duæ formulæ ex cumulo illo consecraturum in quem casu cecidisset non consecrata, ut sic singuli saltem consecratam acciperent.

326. Petes 2. quid dicendum si Sacerdos post consecrationem deprehendat esse duas formulas, cum ante putaret esse unicam? R. utramque esse consecratam; quia cum utramque per modum unius teneret, habuit intentionem saltem implicitam utramque consecrandis; cum intenderit consecrare, quod manibus tenebat.

327. Petes 3. quid sentiendum de formulis sufficienter præsentibus; de quibus tamen Sacerdos inter consecrandum non cogitaverit? R. si positæ fuerint super corporale Sacerdote nesciente, nec eas ipse adverterit vel ante, vel in ipsa consecratione debere

Licet Sacerdos inter cõsecrandum non cogitet de formulis super corporale aut in ciborio positis; censeri debent cõsecratæ: si prius id intenderit.

cenſeri non conſecratas ; quia non poteſt Sacerdos præſumi habuiſſe aliquam intentionem illas conſecrandi. Si verò illas advertit & reliquerit ſuper corporale intendens illas conſecrare ſimul cum ea, quæ ad ſacrificium deſtinata eſt, deberi cenſeri conſecratas ; quamvis inter conſecrandum, non ampliùs earum meminerit ; quia prior intentio cenſenda eſt adhuc perſeverare.

Guttulæ vini exteriùs calici fortè adhærentes non debent cenſeri conſecratæ.

328. Petes 4. quid ſit pronunciandum de guttulis vini calici adhærentibus? R. ſi tantum exterius calici adhæreant, habendas eſſe pro non conſecratis quia non eſt cenſendus Sacerdos intendiſſe eas conſecrare, cùm id ſit illicitum. Si autem interiùs adhæreant, res dubia eſt. Suares, Hurtadus, Layman &c. putant non eſſe cōſecratas, niſi Sacerdos intentionem ſuam ad illas etiam direxerit. Et contra Præpoſitus, Tannerus &c. cenſent conſecratas, niſi Sacerdos illas ab intentione ſua ſpecialiter excluſerit. Coninch autem & Martinon guttas illas conſecrari, quæ reliquo vino ita propinquæ ſunt, ut levi agitatione calicis miſceri poſſint. Quidquid ſit de iſtarum ſententiarum veritate ; in praxi ſervandum eſt primo ut guttæ calici adhærentes abſtergantur ante oblationem. 2. ſi quæ adhuc deprehendantur adhærere, dum facienda eſt conſecratio, ſi ſint fundo proximæ, levi inclinatione calicis miſcendæ ſunt cum reliquo vino. Si autem ſint à fundo remotiores, vel abſtergendæ, vel ab intentione excludendæ. Si verò tantum animadvertantur in ipſa ſumptione calicis, curandum eſt ut per inclinationem calicis ſimul ſaltem cum ablutione accipiantur, priuſquam calix abſtergatur.

Si interiùs adhæreat; res dubia eſt. Et quid ſit tunc faciendum?

329. Solum vinum de vite eſt materia Calicis. Eſt de fide ex Florentino in decreto de Sacramentis aſſignante pro materia calicis vinum de vite. Et ex perpetua praxi Eccleſiæ fundata in facto Chriſti, qui certò vinum de vite conſecravit.

Solum vinū de vite eſt materia calicis. Vt conſtat ex Florentino ; & perpetua praxi Eccleſiæ.

330. Collige 1. liquorem expreſſum ex malogranatis, pomis, pyris, moris, ceraſis &c. non poſsè validè conſecrari ; quia licet uſu variis in locis recepto vinum vocetur, non eſt tamen vinum de vite.

Collige 2. nec poſſe validè conſecrari omphacium

hoc

hoc est liquorem ex uvis necdum maturis expressum; quia necdum habet naturam vini. Neque acetum, quia licet fuerit vinum; non est tamen amplius tale. Quod si vinum fuerit aliquanto acidum, nondum tamen corruptum, valida quidem erit consecratio; graviter tamen peccabit; qui illud consecrabit, ut dicitur in rubrica Missalis Romani §. de defectibus vini; quia exponet consecrationem periculo nullitatis, cum difficilè sit discernere an factum sit acidum usque ad corruptionem, an non. Quare qui ruri sunt Pastores diligenter invigilent, ne acescat vinum, quod aliquando in poculis aut lagenis non benè obturatis nimis diu conservant.

Graviter peccaret, qui vinum notabiliter acescens consecraret; quia materia esset dubia.

331. Collige 3. succum intra uvas maturas adhuc contentum non esse materiam consecrabilem; quia in isto statu necdum habet rationem potus; & vini usualis. Idem dicendum ob similem rationem de vino in pane aut alia simili materia imbibito.

Collige 4. neque materiam consecrationis esse vinum aromatibus ita conditum, ut morali æstimatione speciem vini amiserit: secus si alteratio sit exigua. Peccaret tamen Sacerdos illud consecrans extra necessitatem.

Item qui vinum consecraret aromatibus cōditū: aut recēter ex uvis expressum.

332. Collige 5. validè consecrare mustum seu vinum recenter ex uvis expressum; quia est substantialiter vinum: non tamen licitè, quia id prohibitum est ob vini talis propter fæces impuritatem.

333. Petes an vinum congelatum sit materia consecrationis? R. si post congelationem resolvatur, posse validè & licitè consecrari, cum, ut suppono, non fuerit per gelu corruptum. Si autem actu sit congelatum, videri materiam dubiam. Posse in eo statu validè consecrari affirmant Sylvester, Soto, Suar. Vasq. Tann. & alii, eò quòd adhuc sit substantialiter vinum, sitque aptum ut per resolutionem frigoris habeat rationem potus. Negant Alanus, Henriq. Lesd. Pezant. Molan. & alii graves Authores, eò quòd sub tali statu non habeat rationem vini potabilis; quod putant requiri ad validitatem materiæ. Alioqui enim non esset sufficiens ratio cur vinum adhuc in uvis contentum aut in pane imbibitum non pos-

Vinum actū congelatum, ut minimum est materia dubia.

ſet validè conſecrari cum poſſit etiam indè exprimi & fieri potabile; quæ ratio videtur ſatis ſolida. Quidquid ſit de validitate talis conſecrationis, peccaret mortaliter qui vinum congelatum conſecraret, eò quòd ſaltem ſit materia dubia. Quare ſi fortè hyeme vinum in calice congeletur, prius per ignem reſolvendum eſt, quam conſecretur; & quantum fieri poteſt, impediendum ne id accidat.

Priùs igitur per ignem reſolvendum eſt, quam conſecretur.

334. Admixtio aquæ modicæ cum vino conſecrando neceſſaria eſt neceſſitate præcepti; non Sacramenti. Prima pars patet ex Florentino dicente materiam eſſe *Vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Item ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. *monet Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miſcerent*. Hujus autem mixtionis Florentinum hanc reddit rationem: *Aqua autem ideò admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia SS. PP. creditur ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum*. Aliam etiam SS. Patres adferunt rationem nempe id fieri, quod è latere Chriſti ſimul aqua cum ſanguine fluxerit.

Admixtio aquæ neceſſaria eſt neceſſitate præcepti.

Prob. etiam 2. pars nempè quod hæc mixtio non ſit neceſſaria, neceſſitate Sacramenti, ſive quod poſſit vinum validè conſecrari abſque mixtione. 1. ex Florentino pro materia calicis directè tantum aſſignante vinum de vite. Addit quidem admiſcendam aquam, non tamen dicit eam ſimul cum vino vel vinum aqua mixtum eſſe materiam calicis; ſed ſimpliciter vinum de vite. 2. ex Trident. loco cit. dicente hanc mixtionem eſſe præceptam ab Eccleſia, quibus verbis denotatur neceſſitas præcepti, non Sacramenti. 3. ex Miſſali Romano apertè id ſupponente in rubricis, dum vetat omiſſam aquæ mixtionem ſuppleri poſt conſecrationem: quod tamen fieri deberet & iterari conſecratio ſi iſta mixtio eſſet neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Non eſt tamen neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

335. Quare cum Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. dicit: *Si autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt; quomodo nec vinum ſolum poteſt*. Et paulò poſt: *ſic calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum niſi*

Cyprianus aſſerens neceſſitatem mixtionis intelligẽdus

nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum. Explicari debet cum S Thoma quæst. 74. a. 7. ad 2 & aliis, de necessitate convenientiæ & præcepti.

est de necessitate convenientiæ, & præcepti.

336. Petes an præceptum illud sit divinum, an tantum Ecclesiasticum. R. videri tantum Ecclesiasticum. Ita DD. communiter. 1. ex Trid. supra cit. dicente mixtionem aquæ præceptam esse ab Ecclesia 2. quia alioqui ægrè ostendi posset cur non esset etiam necessaria necessitate Sacramenti: quia videntur sic necessaria, quæ sunt ex institutione aut præcepto Christi.

Præceptum de aqua miscenda non est divinum sed Ecclesiasticum.

Neque ex eò quòd Christus consecraverit vinum aqua mixtum sequitur hanc mixtionem adhibendam ex ejus institutione aut præcepto: aliud enim est exemplum dedisse: aliud præceptum. Ita consecravit panem vel azymum, ut volunt Latini: vel fermentatum, ut Græci; nec tamen dedit præceptum de azymo, vel fermentato adhibendo.

Christus exēplum dedit non præceptum.

Quando Concilium Carthag. 3. Aurelian. 4. hunc ritum miscendi aquam vino vocant *Domini traditionem*, & Cyprianus Ep. citata *divinum mandatum*. Sic loquuntur, quia ritus iste duxit originem ab exemplo Christi.

337. Certum est aquam vino mixtam converti in Christi Sanguinem, sive id fiat immediatè, sive tantum mediatè, sic ut debeat priùs converti in vinum, quam non convertatur in Sanguinem. Prob. 1. ex communi sensu Ecclesiæ hanc conversionem agnoscentis, quem testatur Baronius ad annum Christi 1188. sub finem his verbis. *Quid autem rescripserit ad petitam consultationem non invenimus. Sed aliud rescribere non potuisse certum est, quam quod credidit & custodivit semper S. R. Ecclesia, nimirum aquam simul & vinum transubstantiari in Sanguinem Christi.* 2. Ex Patribus id disertè asserentibus, quorum verba referemus conclusione sequenti. 3. quia particula demōstrativa quam continet forma calicis, demonstrat totum quod est in calice: ergo totum convertitur in sanguinē Christi: alioqui enim dicta forma nō veri-

Certum est aquam vino mixtam converti in Christi Sanguinem.

Sive id fiat mediatè sive immediatè.

non indè factum est, quod crederet priùs in vinum convertendam, quam in Sanguinem: sed ne copiosè affusa vinum in variis regionibus sat debile corrumperet.

Probatur 4. ex rubrica Romani Missalis præscribente certis casibus infusionem aquæ paulò ante consecrationem.

340. 4. Quia rubricæ Missalis Romani præscribunt ut si Sacerdos immediatè ante consecrationem recordetur se non apposuisse aquam: tunc illam infundat. Item si in ipsa sumptione calicis advertat non fuisse vinum, sed aquam; tunc infundat vinum & aquam admisceat; moxque facta oblatione pronunciet verba consecrationis, atqui istis casibus non videtur aqua admixta posse priùs converti in vinum ob temporis brevitatem; ut communiter fatentur adversarii: ergo tunc non converteretur in Sanguinem; adeoque nec verificaretur forma adæquatè, nec totum posset adorari cultu latriæ.

Probatur 5. ex eo quòd verisimilius videatur aquam vino mixtam non converti in illud.

341. 5. Quia certum est aquam vino mixtam transmutari in Sanguinem: Atqui illud non esset certum; si aqua deberet priùs transmutari in vinum: quia dubium est an aqua possit virtute vini in illud converti; & validæ sunt in contrarium rationes. 1. enim cùm vinum sit opus facultatis vitalis animæ vitis, non videtur posse produci extra uvas, uti nec Sanguis animalis extra venas. 2. quia experientia constat aquam vino permixtam posse à vino separari; & sæpius separatam fuisse etiam post longum tempus, ut testatur Plin. lib. 16. hist. natur. cap 35. ubi etiam tradit modum id faciendi. Et Nemesius lib. de anima cap. 3 aliique passim artis chimicæ periti. Nec satisfaciunt dicentes non separari aquam sed humorem aquæ similem vino cogenitum: contra enim est quod licet possit à vino separari humor aliquis aqueus ipsi congenitus; non tamen in eadem quantitate, ac dum habet aquam admixtam, deturque modus separandi solam aquam de quo Plinius loco cit. ait enim si fiat vas ex ligno hederæ smilacis, vina transfluere, ac remanere aquam; si aqua fuerit admixta. 3. Quia aqua est naturæ tenacissimæ, cùm ne quidem per resolutionem in vapores destruatur. 4. Quia non esset cur injectione aquæ per certa intervalla minueretur virtus vini, quin potiùs deberet exten-

Aqua enim vino mixta potest arte ab eo separari.

extenſivè augeri, ſicut accidit in igne per adjectionem materiæ ignibilis.

342. 6. Denique quia illud eſt materia calicis, quod venit ſimpliciter nomine vini, ut conſtat ex Floret. Trid. & alijs; tale autem eſt vinum aqua modicè temperatum: cùm illud præcipuè ſit in uſu in regionibus calidioribus, ubi vinum naſcitur.

Probatur 6. quia illud eſt materia calicis quod venit ſimpliciter nomine vini: quale etiam eſt lymphatum.

Vndè cùm PP. & CC. dicunt ſimpliciter vinum eſſe materiam calicis, non excludunt vinum lymphatum, ſed illud ſolùm quod non participat ſimpliciter nomen, & rationem vini uſualis: ut rectè advertit Gofred. in ſuis litteris apud Baronium.

343. Quo ſenſu neceſſario explicandum eſt, quod dicitur capitulo *Cum omne*, de conſecr. diſt. 2 *præter panem, & vinum aliud offerri non licet*: cùm Paulò poſt dicat, *Calix Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri*. Eſt, & alia ratio cur ſubinde CC. & Canones ſolùm vinum aſſignent pro materia, nulla facta mentione aquæ: quia videlicet ipſum ſolum eſt materia neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ac per ſe, & ſolitariè ſufficjens, aqua verò ſolum eſt neceſſaria neceſſitate pręcepti, & per ſe ſolitariè inſufficiens: cùm ſolùm ſit conſecrabilis quatenus eſt ita permixta vino, ut moraliter cenſeatur in illud tranſiiſſe.

Patres pro materia calicis aſſignãtes ſimpliciter vinum intelligunt vinum aqua mixtum.

344. Quamquam non rarò faciunt expreſſam aquæ mentionem etiam cùm materiam calicis didacticè tradunt, ut patet ex Capitulo, *in Sacramentorum*, & Capitulo *non oportet*, de conſecr. diſt. 2. quibus adde capitulũ, *Cùm omnes* jam citatum. Item ex Conc. Triburienſi can. 19. ubi aſſignatur vinum, & aqua ſeu vinum aqua permiſtum. Vti etiam expreſsè habet Florent. in decreto de Euch.

Vnde refellas quod opponunt nonnulli ex decreto citato ejuſdem Concilij ſub initium: ubi videtur opponere aquam materiæ calicis, dum dicit hanc eſſe vinum, cui aqua modiciſſima eſt admiſcenda: non enim opponit aquam materiæ totali, ſed principali & eſſentiali: ſicut ſi diceretur materia Euchariſtiæ apud Grecos eſt panis triticeus, cui fermentum miſceri debet. Quod autem paulò poſt ſignificat aquam

Sæpè tamen etiam expreſsè faciũt mentionem aquæ. Florentinum nõ opponit aquam totali materiæ calicis, ſed primariæ.

ſolùm

nem non levem patiuntur difficultatem. Multa enim peracta ſunt eo die quo Chriſtus paſſus eſt, quæ non licebat facere die Feſto, nam Sacerdotes Chriſtũ accuſarunt apud Pilatum. Ioſeph ſindonem mercatus eſt. Nicodemus tulit pondus centum librarũ ex aloe, & mirrha. Mulieres præparaverũt aromata &c. ergo Paſſio Chriſti non incidit in Feſtum Paſchæ 2. Sacerdotes cum Pontifice feſto Paſchatis erant in templo occupatiſſimi cum quo videntur ſtare, quæ ab Evangeliſtis ſcribuntur de coacto mane Sacerdotum, & ſeniorum Concilio apud Caipham. De Chriſti cauſa ibidem ab iis diſcuſſa. De toto illo cœtu ad Pilatum profectum ad urgendam Chriſti mortem De ejuſdem accuſatione apud Herodem. De reditu ad Pilatum. De adito Monte Calvariæ Chriſtoque in Cruce ab iiſdem illuſo, &c. ergo non erat feſtum Paſchæ cum hæc peracta ſunt.

[Margin: Probandũ quod Chriſtus nõ ſit paſſus ipſo feſto Paſchali.]

317. Reſp. hæc nullam habere difficultatem, ut conſideranti patebit in priori ſententia aſſerente Sacerdotes, & cum iis primates populi diſtuliſſe feſtum Paſchale in ſequentem diem propter rationem allatam num. 314. in communi autem ad primum dici poſſe Sacerdotes furore in Chriſtum excœcatos, vel auſos feſtum illud violare; vel certe exiſtimaſſe id ſibi etiam in tali feſto licere. Ioſephum autem, & Nicodemum, piaſque mulieres crediſſe licere ſibi hæc pia miſericordiæ opera exercere etiam feſto die, exemplo Tobiæ qui die feſto cadaver Iſraelitę jugulati ſepelivit, ut refertur Tobiæ 2. Ad 2. vel Sacerdotes & Pontificem ex odio in Chriſtum officium ſuum neglexiſſe: vel certe cum eſſent magno numero partem unam procuraſſe Chriſti mortem. Alteram eamque majorem vacaſſe officio Paſchali. Cęterum etiam dato, quod Chriſtus eſum Agni Paſchalis vno die anticipaverit, ut ex his aliis propriis allatis volunt Græci; non poſſe inde inferri Chriſti neutrum conſecraſſe panem fermentatum ut oſtendimus n. 33.

[Margin: Explicantur & ſolvuntur iſtæ difficultates.]

[Margin: Etiam dato quod Chriſtus uno die prævenerit eſum Agni Paſchalis nõ poteſt indè inferri quod conſecraverit panem fermentatũ.]

318. Materia conſecranda debet eſſe moraliter præſens conſecrati, eſt communis, & certa. Prob. 1. quia id omnino exigit pronomen *hoc vel hic* demonſtrativum quod continentur in forma conſecrationis:

nis: nihil enim poteſt demoſtrari niſi ſit moraliter præſens 2. quia alioqui Sacerdos exiſtens v.g. in Gallia, Hiſpania, imò, & indiis, dirigendo intentionem ſuam ad illa: quod falſum, & abſurdum eſt. Ad hoc autem ut materia conſecranda ſit moraliter præſens quo requiruntur. 1. ut ſenſu aliquo poſſit percipi. 2. ut ſit aliquo modo propinqua loco. Ita DD. communiter.

Materia cõſecranda debet eſſe moraliter præſens conſecranti.

319. Dices quamvis cælum, & ſtellę diſtent a nobis longiſſime poſſumus tamen illa demonſtrare per dicta pronomina; dicendo hoc cælum ſerenum eſt: hæc ſtella ſplendida eſt: ergo falſum eſt quod iſta pronomina exigant rei demonſtratæ propinquitatem.

Duo ad moralem præſentiam requiruntur, videlicet ſenſibilitas, & loci propinquitas.

R. 1. rectius dicendum iſtud cælum iſta ſtella, quia ly iſtud vel illud nõ ita exigit rei propinquitatem. 2. diſparitatem eſſe quod in iliis exemplis non fiat id quod demonſtratur, ut accidit in conſecratione. Ideoq; in ea requiratur major rei demonſtratæ propinquitas Quã autem propinqua debeat eſſe non poteſt pręcisè definiri, ſed id ęſtimãdum eſt ex communi DD. ſenſus, ſecundum quem non poteſt validè conſecrari materia diſtans centum paſſibus, quamvis tanta eſſet ut inde etiam facilè poſſet viſu percipi. Imo nec juxta Hurtadum, ſi diſtet paſſibus quadraginta. Soto, Henriquez, & alii putant eſſe ſufficienter propinquam ſi ſit intra viginti paſſus: Tannerus ait id plus aut minus limitandum juxta magnitudinem & ſitum materiæ conſecrandæ. In re ad ea incerta, ſervanda eſt praxi Eccleſiæ non conſecrantis niſi materiam valdè propinquam. Ex dictis.

Non poteſt determinari quanta præcisè debeat eſſe rei conſecranda propinquitas.

320. Collige 1. non poſſe validè conſecrari materiam, licet vicinam; ſi inter illam, & conſecrantem interjaceat paries, aut aliud corpus opacum, quod non habeat rationem thecæ aut vaſis proximè illam continentis. Quia cum tunc non poſſit ullo ſenſu percipi nec in ſe nec in alio ipſam proximè continente non eſt moraliter præſens conſecranti.

321. Collige 2. è contra formulas in pixide ſeu ciborio clauſo contentas validè conſecrari, ſi ad eas dirigatur intentio conſecrantis: quia ad præſentiam moralẽ ſufficit quod ipſum continens ſit præſens. In

Validè conſervantur formulę exiſtentes in pixide ſeu ciborio clauſo: in praxi tamen curandum eſt ut aperiatur

praxi

praxi tamen curandum eſt ut aperiatur pixis ſeu ciborium non tantum in prima oblatione, ſed etiam in ipſa conſecratione. Quod ſi tamen id ex oblivione prætermiſſum eſſet & præceſſiſſet intentio illas conſecrandi, nequidem ſub conditione iteranda eſſet conſecratio.

Poteſt validè conſecrari materia quantumlibet parva.

322. Materia quatumlibet parva poteſt validè conſecrari; modo ſit ſenſu perceptibilis. Ita DD. communiter cum S. Th. ratio eſt quod non ſit adeò parva pars materiæ ſub cujus ſpeciebus non poſſit poni Corpus Chriſti, cum ſub eis exiſtat indiviſibiliter.

Requiritur tamen ut ſit ſenſu perceptibilis.

Dixi modo ſit ſenſu perceptibilis; quamvis enim Corpus Chriſti ob rationem allatam poſſit etiam exiſtere ſub ſpeciebus partis adeò exiguæ, ut non poſſit ſenſu percipi: non poteſt tamen materia adeò exigua validè conſecrari: quia cum forma conſecrationis ſit demonſtratiua; debet eſſe demonſtrabile id quod poteſt valide conſecrari: non poteſt autem eſſe tale, id quod non eſt ſenſu perceptibile. Ita DD. communius.

Poteſt quoque validè conſecrari materia quãtùlibet magna modo ſit ſecundum ſe totam ſufficienter præſens.

Nec refert quod probabilius remaneat Corpus Chriſti ſub inſenſibili parte ſpecierum conſecratarum, quæ à toto poſt conſecrationem ſeparatur: quia minus requiritur ad conſervationem quam ad productionem rei: nec ratio allata locum habet in conſervatione ſicut in productione.

323. Poteſt etiam validè conſecrari materia quantumlibet magna, modo ſit ſecundum ſe totam ſufficienter præſens conſecranti. Ita etiam DD. communius. Ratio eſt quod Chriſtus abſolutè dederit Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem, & vinum abſque ullo iudicio limitationis determinatam aliquam quantitatem.

Dixi modo ſit ſecundum ſe totam ſufficienter præſens: quia ut dictum eſt num. 318. ad validam conſecrationem requiritur moralis præſentia materiæ conſecrandæ,

324. Neceſſe eſt ad validam conſecrationem ut materia conſecranda determinetur in particulari per intentionem conſecrantis: eſt communis, & certa.

Prob.

Prob. 1. ex generali ratione Sacramentorum requirentium determinationem subjecti per intentionem ministri. 2. ex speciali forma hujus Sacramenti quæ cum sit demonstrativa per pronomen hoc exigit determinationem rei demonstrandæ, cum res indeterminata demonstrari non possit.

Materia cõsecranda debet in particulari determinari per intentionem consecrãtis.

Collige non validè consecraturum, qui ex mille formulis vellet tantum consecrare decem aut centum, non determinando illas in particulari. Item qui solum vellet indeterminatè consecrare alterutram medietatem formulæ. Et similiter, qui intenderet consecrare illam è multis, quam Deus vel alius voluerit determinare, si ignoret hãc determinationem, quia determinatio facienda est ab ipso consecrante, cum ipse pronunciet formam demonstrativam.

Non sufficit determinatio facta per intentionẽ merè internam: sed requiritur exterior aliqua nota determinationis.

325. Petes 1. an sufficiat determinatio per intentionem merè internam, absque ulla nota exteriore; qua formula consecranda exteriùs distinguatur ab aliis non consecrandis? R. in re incerta videri probabilius quod non: quia intentio merè interna non sufficit ad demonstrationem, quam continet forma consecrationis. Vndè si contigeret formulam non consecratam casu admisceri consecratis; sic ut non posset ab iis discerni, non videtur posse eam validè consecrari: sed tunc ad vitandum damnum ejus qui eam reciperet, distribuendæ essent singulis duæ formulæ ex cumulo illo consecraturum in quem casu cecidisset non consecrata, ut sic singuli saltem consecratam acciperent.

Licet Sacerdos inter cõsecrandum non cogitet de formulis super corporale aut in ciborio positis; consecrari debent cõsecratæ: si prius id intenderit.

326. Petes 2. quid dicendum si Sacerdos post consecrationem deprehendat esse duas formulas, cum ante putaret esse unicam? R. utramque esse consecratam; quia cum utramque per modum unius teneret, habuit intentionem saltem implicitam utramque consecrandis; cum intenderit consecrare, quod manibus tenebat.

327. Petes 3. quid sentiendum de formulis sufficienter præsentibus; de quibus tamen Sacerdos inter consecrandum non cogitaverit? R. si positæ fuerint super corporale Sacerdote nesciente, nec eas ipse adverterit vel ante, vel in ipsa consecratione debere

cenſeri non conſecratas; quia non poteſt Sacerdos præſumi habuiſſe aliquam intentionem illas conſecrandi. Si verò illas advertit & reliquerit ſuper corporale intendens illas conſecrare ſimul cum ea, quæ ad ſacrificium deſtinata eſt, deberi cenſeri conſecratas; quamvis inter conſecrandum, non ampliùs earum meminerit; quia prior intentio cenſenda eſt adhuc perſeverare.

Guttulæ vini exteriùs calici fortè adhærentes non debent cenſeri conſecratæ.

328. Petes 4. quid ſit pronunciandum de guttulis vini calici adhærentibus? R. ſi tantum exterius calici adhæreant, habendas eſſe pro non conſecratis quia non eſt cenſendus Sacerdos intendiſſe eas conſecrare, cùm id ſit illicitum. Si autem interiùs adhæreant, res dubia eſt. Suares, Hurtadus, Layman &c. putant non eſſe cōſecratas, niſi Sacerdos intentionem ſuam ad illas etiam direxerit. Et contra Præpoſitus, Tanerus &c. cenſent conſecratas, niſi Sacerdos illas ab intentione ſua ſpecialiter excluſerit Coninch. autem & Martinon guttas illas conſecrari, quæ reliquo vino ita propinquæ ſunt, ut levi agitatione calicis miſceri poſſint. Quidquid ſit de iſtarum ſententiarum veritate; in praxi ſervandum eſt primo ut guttæ calici adhærentes abſtergantur ante oblationem. 2. ſi quæ adhuc deprehendantur adhærere, dum facienda eſt conſecratio, ſi ſint fundo proximæ, levi inclinatione calicis miſcendæ ſunt cum reliquo vino. Si autem ſint à fundo remotiores, vel abſtergendæ, vel ab intentione excludendæ. Si verò tantum animadvertantur in ipſa ſumptione calicis, curandum eſt ut per inclinationem calicis ſimul ſaltem cum ablutione accipiantur, priuſquam calix abſtergatur.

Si interiùs adhæreat; res dubia eſt. Et quid ſit tunc faciendum?

329. Solum vinum de vite eſt materia Calicis. Eſt de fide ex Florentino in decreto de Sacramentis aſſignante pro materia calicis vinum de vite. Et ex perpetua praxi Eccleſiæ fundata in facto Chriſti, qui certò vinum de vite conſecravit.

Solum vinū de vite eſt materia calicis. Ut conſtat ex Florentino; & perpetua praxi Eccleſiæ.

330. Collige 1. liquorem expreſſum ex malogranatis, pomis, pyris, moris, ceraſis &c. non poſsè validè conſecrari; quia licet uſu variis in locis recepto vinum vocetur, non eſt tamen vinum de vite.

Collige 2. nec poſſe validè conſecrari omphacium

hoc

hoc est liquorem ex uvis necdum maturis expressum; quia necdum habet naturam vini. Neque acetum, quia licet fuerit vinum; non est tamen amplius tale. Quod si vinum fuerit aliquanto acidum, nondum tamen corruptum, valida quidem erit consecratio; graviter tamen peccabit; qui illud consecrabit, ut dicitur in rubrica Missalis Romani §. de defectibus vini; quia exponet consecrationem periculo nullitatis, cum difficilè sit discernere an factum sit acidum usque ad corruptionem, an non. Quare qui ruri sunt Pastores diligenter invigilent, ne acescat vinum, quod aliquando in poculis aut lagenis non benè obturatis nimis diu conservant.

Graviter peccaret, qui vinum notabiliter accescens consecraret; quia materia esset dubia.

331. Collige 3. succum intra uvas maturas adhuc contentum non esse materiam consecrabilem; quia in illo statu necdum habet rationem potus; & vini usualis. Idem dicendum ob similem rationem de vino in pane aut alia simili materia imbibito.

Collige 4. neque materiam consecrationis esse vinum aromatibus ita conditum, ut morali æstimatione speciem vini amiserit: secus si alteratio sit exigua. Peccaret tamen Sacerdos illud consecrans extra necessitatem.

Item qui vinum consecraret aromatibus cõditũ: aut recẽter ex uvis expressum.

332. Collige 5. validè consecrare mustum seu vinum recenter ex uvis expressum; quia est substantialiter vinum: non tamen licitè, quia id prohibitum est ob vini talis propter fæces impuritatem.

333. Petes an vinum congelatum sit materia consecrationis? R. si post congelationem resolvatur, posse validè & licitè consecrari, cum, ut suppono, non fuerit per gelu corruptum. Si autem actu sit congelatum, videri materiam dubiam. Posse in eo statu validè consecrari affirmant Sylvester, Soto, Suar. Vasq. Tann. & alii, eò quòd adhuc sit substantialiter vinum, sitque aptum ut per resolutionem frigoris habeat rationem potus. Negant Alanus, Henriq. Lesd. Pezant. Molan. & alii graves Authores, eò quòd sub tali statu non habeat rationem vini potabilis; quod putant requiri ad validitatem materiæ. Alioqui enim non esset sufficiens ratio cur vinum adhuc in uvis contentum aut in pane imbibitum non pos-

Vinum actũ congelatum, ut minimum est materia dubia.

ſet validè conſecrari cum poſſit etiam indè exprimi & fieri potabile; quæ ratio videtur ſatis ſolida. Quidquid ſit de validitate talis conſecrationis, peccaret mortaliter qui vinum congelatum conſecraret, eò quòd ſaltem ſit materia dubia. Quare ſi fortè hyeme vinum in calice congeletur, prius per ignem reſolvendum eſt, quam conſecretur; & quantum fieri poteſt, impediendum ne id accidat.

Priùs igitur per ignem reſolvendum eſt, quam conſecretur.

334. Admixtio aquæ modicæ cum vino conſecrando neceſſaria eſt neceſſitate præcepti; non Sacramenti. Prima pars patet ex Florentino dicente materiam eſſe *Vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Item ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. *monet Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miſcerent*. Hujus autem mixtionis Florentinum hanc reddit rationem: *Aqua autem ideò admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia. SS. PP. creditur ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum*. Aliam etiam SS. Patres adferunt rationem nempe id fieri, quod è latere Chriſti ſimul aqua cum ſanguine fluxerit.

Admixtio aquæ neceſſaria eſt neceſſitate præcepti.

Prob. etiam 2. pars nempè quod hæc mixtio non ſit neceſſaria, neceſſitate Sacramenti, ſive quod poſſit vinum validè conſecrari abſque mixtione. 1. ex Florentino pro materia calicis directè tantum aſſignante vinum de vite. Addit quidem admiſcendam aquam, non tamen dicit eam ſimul cum vino vel vinum aqua mixtum eſſe materiam calicis; ſed ſimpliciter vinum de vite. 2. ex Trident. loco cit. dicente hanc mixtionem eſſe præceptam ab Eccleſia, quibus verbis denotatur neceſſitas præcepti, non Sacramenti. 3. ex Miſſali Romano apertè id ſupponente in rubricis, dum vetat omiſſam aquæ mixtionem ſuppleri poſt conſecrationem: quod tamen fieri deberet & iterari conſecratio ſi iſta mixtio eſſet neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Non eſt tamen neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

335. Quare cum Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. dicit: *Si autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt; quomodo nec vinum ſolum poteſt*. Et paulò poſt: *ſic calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum niſi*

Cyprianus aſſerens neceſſitatem mixtionis intelligẽdus

nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum. Explicari debet cum S Thoma quæst. 74. a. 7. ad 2 & aliis, de necessitate convenientiæ & præcepti.

est de necessitate convenientiæ, & præcepti.

336. Petes an præceptum illud sit divinum, an tantum Ecclesiasticum. R. videri tantum Ecclesiasticum. Ita DD. communiter. 1. ex Trid. supra cit. dicente mixtionem aquæ præceptam esse ab Ecclesia 2. quia alioqui ægrè ostendi posset cur non esset etiam necessaria necessitate Sacramenti: quia videntur sic necessaria, quæ sunt ex institutione aut præcepto Christi.

Præceptum de aqua miscenda non est divinum sed Ecclesiasticum.

Neque ex eò quòd Christus consecraverit vinum aqua mixtum sequitur hanc mixtionem adhibendam ex ejus institutione aut præcepto: aliud enim est exemplum dedisse: aliud præceptum. Ita consecravit panem vel azymum, ut volunt Latini: vel fermentatum, ut Græci; nec tamen dedit præceptum de azymo, vel fermentato adhibendo.

Christus exēplum dedit non præceptum.

Quando Concilium Carthag. 3. Aurelian. 4. hunc ritum miscendi aquam vino vocant *Domini traditionem*, & Cyprianus Ep. citata *divinum mandatum*. Sic loquuntur, quia ritus iste duxit originem ab exemplo Christi.

337. Certum est aquam vino mixtam converti in Christi Sanguinem, sive id fiat immediatè, sive tantum mediatè, sic ut debeat priùs converti in vinum, quam non convertatur in Sanguinem. Prob. 1. ex communi sensu Ecclesiæ hanc conversionem agnoscentis, quem testatur Baronius ad annum Christi 1188. sub finem his verbis. *Quid autem rescripserit ad petitam consultationem non invenimus. Sed aliud rescribere non potuisse certum est, quam quod credidit & custodivit semper S. R. Ecclesia, nimirum aquam simul & vinum transubstantiari in Sanguinem Christi*. 2. Ex Patribus id disertè asserentibus, quorum verba referemus conclusione sequenti. 3. quia particula demōstrativa quam continet forma calicis, demonstrat totum quod est in calice: ergo totum convertitur in sanguinē Christi: alioqui enim dicta forma nō veri-

Certum est aquam vino mixtam converti in Christi Sanguinem.

Sive id fiat mediatè sive immediatè.

ficaretur adæquatè; nec totum posset adorare cultu latriæ.

Probabilius videturquod conversio aquæ in Christi Sanguinem sit immediata.

Videtur probabilius quod aqua vino mixta immediatè convertatur in Christi Sanguinem. Ita Alanus, Tolet. Pesant. Coninch. Præpos. Laym. Lug. Caspen. Palavic. Hennao. Dicast. & acerrimè Aresius Derthonensis Episc. lib. de hac re edito. Contra Mag. Albert. Alens. Richar. Major. & alios antiquos communius: quibus accedunt Suar. Vasq. Estius, Sylv. Amic. Martin. Iseb. communiter Thomistæ favente S. Thoma q. 74. a. 8.

Probatur primo ex Patribus id apertè significantibus ac nominatim ex Ambr. & Damasc.

Prob. concl. 1. authoritate PP prorsùs eodem modo loquentium de aquæ, ac de vini consecratione, & transsubstantiatione, adeoque supponentium aquam non minùs quàm vinum immediatè transsubstantiari, licet id non explicent in terminis. Ita enim loquitur Damasc. l. 4. de fide, cap. 14. *Non potest*, inquit, *panem suum ipsius corpus facere & vinum & aquam Sanguinem?* Et infra: *quomodo naturaliter per comestionem panis, vinum & aqua per potationem in Corpus, & Sanguinem comedentis & bibentis transmutatur, sic & propositionis panis, vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritus S. supernaturaliter transmutatur in Corpus & Sanguinem Christi*. Ambr. l. 4. de Sacramenti c. 4. *vinum cum aqua in calicem missum fit Sanguis consecratione*. Et infrà: *ante verba Christi Calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis efficitur*: Paschas. Corb. l. de Corp. & Sang. Domini, c. 1. in tom. 6. Bibl. PP. *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed quod* (nempè cum vino) *convertatur in Sanguinem* Iustin. Mart. Apolog. 2. pro Christianis: *ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt percipiendum panem, vinum & aquam quæ cum gratiarum actione consecrata sunt* &c. Aug. apud Ares. *Aqua mittitur in Calicem, & fit Sanguis consecratione Verbi cœlestis*. Plura vide apud Conin. Lug. Ares.

Patres non tantum loquuntur de aqua ut est in præpara-

338. Quòd autem dicunt adversarii, Patres loqui de aqua spectata ut ex præcepto Ecclesiæ esse debet in præparatione Calicis, non in tempore quo fit conversio: item solùm loqui de conversione mediata aquæ in Sanguinem, quomodo dicitur panis converti

verti in substantiam comedentis; licet priùs mutetur in Sanguinem; satis refellitur tum ex verbis Damasc.& Ambr.clare significantibus aquam remanere in sua natura usque ad consecrationem, & tunc converti in Sanguinem: tum ex eò quòd eodem prorsus modo loquantur de aqua, ac de vino in ordine ad transsubstantiationem, adeoque de immediata utriusque conversione. Tum quia PP. supponunt post consecrationem manere species aquæ: ideò enim Sanguinem Christi vocant aquam, sicuti vocant vinum, ut Iustin.suprà.

tione Calicis ut explicant adversarii: sed ut est usque ad consecrationem.

2. Ex facto Christi, qui totum, quod erat in calice convertit in suum Sanguinem; id enim omninò exigit veritas formæ. Atqui in hoc toto continebatur vinum & aqua in propria natura: neque enim dubium est, quin Christus juxta regionis calidæ consuetudinem aquam in magna satis copia admiscuerit, ut agnoscit Divus Th. q.74. a.6. idque immediatè ante consecrationem, ut patet ex PP. nominatim Basilio in sua Liturgia, acceptionem calicis, mixtionem aquæ, & consecrationem per modum unius actus continui referente. Quibus similia habent SS.Petrus, Iacobus, & Marcus in suis Liturgijs; ut proindè aqua copiosè admixta priùs in vinum converti non potuerit, ob temporis brevitatem: ergo &c.

Probatur 2. ex facto Christi, qui consecravit totum, quod erat in calice: in eo autem erat vinũ & aqua.

339. 3. Ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ numquam fuit sollicita de aqua in exigua quantitate admiscenda, ut certiùs in vinum transmutari posset: cùm permitteret tantum ferè aquæ, quantum vini admisceri, ut patet ex PP. jam citatis, nominatim Ambr.& Iust. qui postremus Calicem vocat crama, id est, mixtum ex vino & aqua copiosa. Itèm ex cap. *perniciosus*, de celebratione Missarum, ubi Honorius, Innoc.III. successor reprehendens quosdam in Sacrificio plus aquæ quam vini adhibentes, solùm dicit secundùm Ecclesiæ consuetudinem plus de vino, quàm de aqua esse ponendum. Denique ex Concilio Tribur. can. 19. permittente ut in calice tertia pars sit aqua: Quòd autem postea præscriptum est à Florentino, ut modicissima aqua vino misceretur,

Probatur 3. ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ multum aquæ solita fuit admiscere.

non indè factum eſt, quod crederet priùs in vinum convertendam, quam in Sanguinem: ſed ne copiosè affuſa vinum in variis regionibus ſat debile corrumperet.

Probatur 4. ex rubrica Romani Miſſalis præſcribente certis caſibus infuſionem aquæ paulò ante conſecrationem.

340. 4. Quia rubricæ Miſſalis Romani præſcribunt ut ſi Sacerdos immediatè ante conſecrationem recordetur ſe non appoſuiſse aquam: tunc illam infundat. Item ſi in ipſa ſumptione calicis advertat non fuiſſe vinum, ſed aquam; tunc infundat vinum & aquam admiſceat; moxque facta oblatione pronunciet verba conſecrationis, atqui iſtis caſibus non videtur aqua admixta poſſe priùs converti in vinum ob temporis brevitatem; ut communiùs fatentur adverſarii: ergo tunc non converteretur in Sanguinem; adeoque nec verificaretur forma adæquatè, nec totum poſſet adorari cultu latriæ.

Probatur 5. ex eo quòd veriſimilius videatur aquam vino mixtam non converti in illud.

341. 5. Quia certum eſt aquam vino mixtam transmutari in Sanguinem: Atqui illud non eſſet certum; ſi aqua deberet priùs tranſmutari in vinum: quia dubium eſt an aqua poſſit virtute vini in illud converti; & validæ ſunt in contrarium rationes. 1. enim cùm vinum ſit opus facultatis vitalis animæ vitis, non videtur poſſe produci extra uvas, uti nec Sanguis animalis extra venas. 2. quia experientia conſtat aquam vino permixtam poſſe à vino ſeparari; & ſæpius ſeparatam fuiſſe etiam poſt longum tempus, ut teſtatur Plin. lib. 16. hiſt. natur. cap 35. ubi etiam tradit modum id faciendi. Et Nemeſius lib. de anima cap. 3 aliique paſſim artis chimicæ periti.

Aqua enim vino mixta poteſt arte ab eo ſeparari.

Nec ſatisfaciunt dicentes non ſeparari aquam ſed humorem aquæ ſimilem vino cogenitum: contra enim eſt quod licet poſſit à vino ſeparari humor aliquis aqueus ipſi congenitus; non tamen in eadem quantitate, ac dum habet aquam admixtam, deturque modus ſeparandi ſolam aquam de quo Plinius loco cit. ait enim ſi fiat vas ex ligno hederæ ſmilacis, vina transfluere, ac remanere aquam; ſi aqua fuerit admixta. 3. Quia aqua eſt naturæ tenaciſſimæ, cùm ne quidem per reſolutionem in vapores deſtruatur. 4. Quia non eſſet cur injectione aquæ per certa intervalla minueretur virtus vini, quin potiùs deberet

exten.

extensivè augeri, sicut accidit in igne per adjectionem materiæ ignibilis.

342. 6. Denique quia illud est materia calicis, quod venit simpliciter nomine vini, ut constat ex Floret. Trid. & alijs; tale autem est vinum aqua modicè temperatum: cùm illud præcipuè sit in usu in regionibus calidioribus, ubi vinum nascitur.

Probatur 6. quia illud est materia calicis quod venit simpliciter nomine vini quale etiam est lymphatum.

Vndè cùm PP. & CC. dicunt simpliciter vinum esse materiam calicis, non excludunt vinum lymphatum, sed illud solùm quod non participat simpliciter nomen, & rationem vini usualis: ut rectè advertit Gofred. in suis litteris apud Baronium.

343. Quo sensu necessario explicandum est, quod dicitur capitulo *Cum omne*, de consecr. dist. 2 *prater panem, & vinum aliud offerri non licet*: cùm Paulò post dicat, *Calix Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri*. Est, & alia ratio cur subinde CC. & Canones solùm vinum assignent pro materia, nulla facta mentione aquæ: quia videlicet ipsum solum est materia necessaria necessitate Sacramenti, ac per se, & solitariè sufficjens, aqua verò solum est necessaria necessitate præcepti, & per se solitariè insufficiens: cùm solùm sit consecrabilis quatenus est ita permixta vino, ut moraliter censeatur in illud transiisse.

Patres pro materia calicis assignãtes simpliciter vinum intelligunt vinum aqua mixtum.

344. Quamquam non raro faciunt expressam aquæ mentionem etiam cùm materiam calicis didacticè tradunt, ut patet ex Capitulo, *in Sacramentorum*, & Capitulo *non oportet*, de consecr. dist. 2. quibus adde capitulũ, *Cùm omnes* jam citatum. Item ex Conc. Triburiensi can. 19. ubi assignatur vinum, & aqua seu vinum aqua permistum. Vti etiam expresè habet Florent. in decreto de Euch.

Sæpè tamen etiam expresè faciũt mentionem aquæ. Florentinum nõ opponit aquam totali materiæ calicis, sed primariæ.

Vnde refellas quod opponunt nonnulli ex decreto citato ejusdem Concilij sub initium: ubi videtur opponere aquam materiæ calicis, dum dicit hanc esse vinum, cui aqua modicissima est admiscenda: non enim opponit aquam materiæ totali, sed principali & essentiali: sicut si diceretur materia Eucharistiæ apud Grecos est panis triticeus, cui fermentum misceri debet. Quod autem paulò post significat aquam

solùm

solùm poni ad mysterium, tantum probat eam non esse de necessitate Sacramenti.

Innoc. III. solùm dicit probabilius esse aquam converti in Sanguinem cum vino.

345. Neque contra nos facit quod habet Innoc. III. Capitulo. *Cùm Martha, §. Quasi isti etiam, utrùm aqua cum vino in sanguinem mutetur, &c.* ubi postquam attulit tres opiniones. 1. Quod aqua mutetur in eam, quæ fluit de latere Christi. 2. Quòd cum vino transsubstantietur in Sanguinem, cùm, inquit, in vinum transeat mixta vino; licet physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium adstruunt posse separari. 3. Quòd non transeat in Sanguinem, sed maneat vini accidentibus circumfusa. Subdit deindè: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior indicatur, quæ asserit aquam cum vino in Sanguinem transmutari.*

Approbat quidem conclusionem secundæ sententiæ à se relatæ sed non rationem.

Hoc inquam contra nos non facit. 1. quia ibi nihil definit, ut patet: sed tantùm ostendit hanc sententiam reliquis esse probabiliorem. 2. Quia præcisè approbat conclusionem secundæ sententiæ, non ejus rationem, cùm de illa, nec de contrario physicorum sensu ullam mentionem faciat, dum secundam sententiam præeligit. Vndè præcisè respondet, quòd etiam præcisè quærebatur, aquam converti in Sanguinem, abstrahendo interim à conversione mediata, vel immediata; adeòque nobis non adversatur, sed potiùs favet, ut fusè ostendunt Conin. & Aresius, ex hac ipsa Innocentii responsione conversionem immediatam probantes.

346. Ad id verò quod ulteriùs obiici potest ex lib 4. ejusdem Pontificis de mysteriis Missæ cap. 30. ubi ait, *quibusdam absurdum non videtur quod aqua transit in Sanguinem scilicet ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem in Sanguinem: quis enim ambigat aquam in vinum transire, cum vino modicum aqua infund tur.* R. Pontificem ibi quidem probare mediatam conversionem; non tamen reiicere immediatam. Imò videtur illam etiam ibidem implicitè probare, dum insinuat consecrationem non esse irritam, etiamsi plus aquæ apponatur quam vini; modo aqua saporem vini retineat: quia non est credibile ipsum existimasse

Lib. 4 de mysteriis Missæ cap. 30. licet approbet mediatã conversionem; sed non reiicit immediatam; & potest

stimasse isto etiam casu aquam converti in vinum; cum Paulo ante dixerit credere se id fieri cum multo vino modicum aquæ infunditur. Apertius adhuc favet sententiæ nostrę eod. lib. cap. 11. dum dicit in hoc Sacramento haberi trinitatem specierum, videlicet panis, vini, aquæ. Quod postremum esset falsum, si aqua prius converteretur in vinũ quàm in sanguinẽ.

etiam illę ex ejus verbis colligi.

347. Colliges 1. materiam calicis ex Christi institutione esse vinũ usuale, pro ut comprehendit tã purum quam mixtũ; unde utrumq; est valide consecrabile, quamvis ex præscripto Ecclesiæ, non possit purum licitè consecrari. 2. Aquam non esse seorsim consecrabilem, sed solum quatenus facit unum moraliter cum vino. 3. Quamvis probabile sit, quod admittunt Aresius, & alii conformiter ad Doctrinam Innoc. l. 4. sup. cit. n. 345. posse videlicet consecrari calicem, in quo sit tantum aut plus aquæ quãm vini; modò qualitates vini ita prædominentur, ut totum illud possit moraliter, & usualiter vinum appellari; probabilius tamen id negari cum Con. & aliis: quia cum vinum sit materia principalis, videtur debere prędominari, non solum in virtute, sed etiam in quãtitate: cùm materia calicis numquam dicatur aqua permixta vino; sed contra vinum aqua permixtum.

Materia calicis est vinum usuale prout comprehendit merum, & mistum sem. per tamen debet vinum aquæ prædominari.

Quòd si quæras, cur ergo Ecclesia præcipit aquam modicissimam adhiberi? Resp. 1. ad significationem mysticam, seu quia, ut loquitur Conc. Trib. sup. n. 344 *maior est majestas Christi* (significata per vinum) *quam fragilitas populi*, significata per aquam. 2. Ne solvantur species vini plerumque satis debilis, & ab œnopolis antea deleti. 3. Ob probabilitatem alterius sententiæ, ut sic certiùs vertatur in Sanguinem: quam tamen rationem numquam adferunt Canones.

Ecclesia pręcipit ut infundatur aqua modicissima tum ad mysteriũ, tum ne species vini dissolvãtur.

Ex his denique inferri potest contra Conin. Christi Sanguinem non remansurum sub solis speciebus aquæ, si post consecationem artificiosè separentur à speciebus vini: quia cùm aqua à vino separata non possit consecrari, consequenter quando ejus species separatæ sunt à speciebus vini, desinunt esse species consecrabilis materiæ sub quibus solis possit virtute cõsecrationis cõstitui, aut permanere Sãguis Christi.

348. Neque obſtat, quòd Conc. Trid ſeſſ. 13. can. 3. dicat ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus facta ſeparatione totum Chriſtum contineri: ſolum enim loquitur de ſeparatione ordinaria, qua partes ita dividuntur, ut ſingulæ remaneant ſpecies materiæ etiam ſub tali ſeparatione conſecrabilis.

Tridentinũ nomine ſpecierum vini comprehendit etiam ſpecies aquę confuſas cũ ſpeciebus vini.

Dum autem ſeſſ. 13. can. 2. definit remanere in Euchariſtiæ Sacramento ſolas ſpecies panis, & vini? nomine ſpecierum vini comprehendit etiam ſpecies aquę ita ſpeciebus vini permixtas, ut nõ diſtinguantur ab illis: ſicut enim aqua modica vino permixta tranſit moraliter in vinum; & mixtum illud vocatur ſimpliciter vinum: ita, & ſpecies ejus moraliter tranſeunt in ſpecies vini, & ſpecies iſtius mixti dicuntur ſimpliciter ſpecies vini.

Varii antiqui intelligi poſſunt de trãſitu aquę in vinum nõ phyſico ſed morali.

349 Authoritati antiquorum Theologorum, quorum plerique tantum agnoſcunt mediatam aquæ converſionem in Chriſti Sanguinem opponendi ſunt Patres ſupra citati immediatam converſionem aſſerentes. Deindè varij ex antiquis illis Theologis commode explicari poſſunt dę prævio tranſitu aquę in vinum, non phyſico ſed moralis hoc eſt tali ut vini colorem, ſaporem, & alias qualitates quodammodo imbuat, adeoq; appareat, & cenſeatur vinum, ut ſemper accidit quando modica aqua miſcetur multo vino.

Quid dicendum de pane non purè triticeo, & cõfecto ex liquore ab aqua diverſo?

350. Petes an modicum farinę hordeaceæ, vel avenaceæ, &c. admixtum farinæ tritice, ex qua fieret panis conſecrandus, ſimiliter convertetur in Corpus Chriſti. Item an aqua roſacea aut alius liquor diſtinctus ab aqua naturali modicè vino permixtus transſubſtantiaretur in Chriſti Sanguinem? communius negant DD. pro utraque parte. Quia licet admixtio hujuſmodi granorum non corrumpat ſpeciẽ panis uſualis; habet ſe tamen ad illũ merè per accidens; uti etiam ſe habet reſpectu vini omnis liquor ab aqua diverſus: non item aqua, cum ex induſtria vino admiſceatur, ut ſit magis temperatum, & valetudini convenientius. Vnde cum materia calicis ſit vinum uſuale; & illud ordinariè conſtet aqua, & vino, ſatis apparet cur aqua potiùs quam alius liquor

ſimul

ſimul cum vino conuertatur in Sanguinem. Quantum tamen ſpectat ad primam partem petitionis contrarium cenſent Lugo, Dicaſtilio, &c. quibus favet S. Thomas quæſt. 24. a. 3. ad 3. ubi ſic loquitur: *Si ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit ex indè confici panis, qui eſt materia hujus Sacramenti*. Ratio illorum eſt quod Chriſtus pro materia hujus Sacramenti inſtituerit panem triticeum uſualem. Vix autem fiat, ut hic panis non habeat exiguam aliquam admixtionem grani à tritico diverſi.

351. Eſſentia formæ qua panis conſecratur conſiſtit in his quatuor verbis. *Hoc eſt Corpus meum*. Ita DD. communiter contra Scotum docentem hæc etiam verba præcedentia, *qui pridie quam pateretur, &c.* ſpectare ad ejus eſſentiam; aut certè ita eſſe neceſſaria, ut ſine illis non perficiatur Sacramentum: quia, inquit niſi proferantur verba illa præcedentia; hæc ſequentia, *Hoc eſt Corpus meum* non ſignificant Corpus Chriſti, ſed ipſius Sacerdotis. Item contra varios Græcos Schiſmaticos, quorum aliqui putant ad valorem neceſſario addendum, *quod pro vobis tradetur*, eò quod Chriſtus illa addiderit. Alii etiam hanc orationem, quam poſt conſecrationem adhibent, *Rogamus te Sancta Pater ut mittas ſpiritum tuum ſuper nos, & ſuper hæc appoſita munera; & fac panem iſtum pretioſum Corpus filij tui: & quod eſt in calice iſto pretioſum Sanguinem Chriſti tui*:

Conſecratio panis in Corpus Chriſti conſiſtit eſſentia liter in his quatuor verbis, Hoc eſt Corpus meum.

Prob. 1. concluſio generaliter: quia verba conſecratoria operantur id quod ſignificāt: atqui quatuor prædicta verba ſufficienter ſignificant præſentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis: ergo &c. 2. ſpecialiter contra Scotum: quia Chriſtus conficiendo hoc Sacramentum non protulit iſta verba, *qui pridie quam pateretur, &c.* nec Sacerdos illa profert ut gerens perſonam Chriſti: ergo, &c. 3. ſpecialiter contra Græcos Schiſmaticos: quia Eccleſia Latina nunquam addidit iſta verba *quod pro vobis tradetur*: atqui nullo modo dici poteſt eam ſemper erraſſe in re tāti momenti: & reipſa eam non erraſſe ſatis evincitur ex eo quòd ſine iſtis verbis ſufficienter ſignificetur

Verba conſecratoria operantur id quod ſignificant: dicta autem quatuor verba ſufficienter ſignificant cōverſionem panis in Corpus Chriſti.

cetur transubstantiatio panis in Corpus Christi: ergo, &c.

Sufficienter determinantur ad significandum Corpus Christi ex eo quod Sacerdos illa pronuncians gerat personam Christi

352. Ad rationem Scoti R. hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, sufficienter determinari ad significandum Corpus Christi; non Sacerdotis illa proferentis, per hoc quod Sacerdos illa proferat, ut gerens personam Christi. Convenienter tamen præceptum esse ut præmittatur *qui pridie quam pateretur*, &c. ut clariùs appareat dicta quatuor verba proferri nomine Christi.

Ad rationem Græcorum R. Christum addidisse quidem verba illa, *quod pro vobis tradetur*, non tamen tanquam consecratoria, seu habentia vim convertendi panem in Corpus Christi; cum id non significent: sed tanquam ad declaratoria mortis mox pro ipsis, ad quos sermonem dirigebat, subeundæ.

353. Multò minùs ad valorem Sacramenti necessarium est, ut verbis consecratoriis subijciatur prædicta eorum oratio, *Rogamus te Sancte Pater*, &c. quia ista oratio non est instituta à Christo, qualis debet esse forma consecrationis,

Nec refert quod dicta oratio habeatur in Liturgiis Iacobi, Marci, Basilii, Chrisostomi, &c. & per eam petatur, ut panis fiat Corpus Christi; quod frustra peteretur, si antea factum esset Corpus Christi. Dicendum enim vel immutatum jam istius orationis ordinem, eamque olim præcessisse verba consecratoria. Vel per eam tantum peti confirmationem rei jam factæ. Vel denique non postulari simpliciter ut fiat Corpus Christi; sed ut fiat in salutem suscipientibus. Atque hoc ultimo sensu istam orationem explicarunt ipsimet Græci sessione ultima Concil. Florent.

Particula enim contenta in forma consecrationis nō est de eius essentia. Nō potest tamen omitti absque peccato.

354. Quod spectat ad particulam *enim* contentam in forma consecrationis, dicendum etiam illam non esse de ejus essentia cum neque habeatur apud Evangelistas; neque apud Apostolum; sed addita sit ab Ecclesia ad connectenda verba consecratoria cum præcedentibus. Non potest tamen omitti absque peccato, & quidem mortali juxta Vasquez: vel tantum veniali juxta Suarez, & alios communius, seclu-

so

so contemptu, qui non videtur posse facilè abesse ab eo, qui scienter istam particulam omitteret.

355. Ad valorem formę calicis non sunt necessaria verba illa *simili modo postquam cœnatum est*, &c. ita DD. communiter. Quia neque Christus illa adhibuit in consecratione calicis: neque significant conversionem vini in Sanguinem Christi. Nec de ejus essentia sunt ista, *Novi, & æterni testamenti mysterium fidei*, &c. sed essentia adæquatè consistit in his verbis *Hic est Calix Sanguinis mei*. Vel in istis *Hic est Sanguis meus* aliisq; æquivalentibus. Ita Magist. Alens. Bonav. Durand. Aureol. Marsil. Gabr. Suar. Vasquez, Bellar. Con. Lug. Syl. & alii communius contra plerosque Thomist. quibus favet S. Tho. in 4. dist. 8. & hic q. 88. a. 3.

Ad valorem formæ Calicis sufficiũt hæc verba: Hic est calix Sanguinis mei.

Prob. 1. quia nec Apostolus nec ullus ex Evangelistis refert formam Calicis cum prædictis omnibus verbis; sed singuli aliqua ex eis omittunt: & quidem ab omnibus omittitur ly *æterni*, & ly *mysterium fidei*. Non est autem credibile Apostolum aut Evangelistas referentes formam Calicis omisisse aliqua verba ad ejus essentiam spectantia. 2. Quia patres relati à Suar. Bellarmino, & aliis pro forma Calicis adferunt tantum hæc verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel æquivalentia. 3. Quia verba consecratoria operantur hic quod significant: atqui verba hæc *Hic est Calix Sanguinis mei* antecedenter ad ista sequentia *novi, & æterni testamenti mysterium fidei, &c.* completè significant conversionem vini in Sanguinem Christi ergo illam operantur.

Quia verba ista completè significãt conversionẽ vini in Sanguinem Christi.

356. Nec refert quod Florent. in decreto de Sacram. pro forma Calicis ista etiam verba cum aliis referat: non enim id facit quasi omnia sint de ejus essentia, sed quia omnia pronuncianda sunt necessitate Sacramenti, sed præcepti. Ita hanc dicit esse formam ordinis Sacerdotalis *Accipe potestatem, &c. in nomine Patris, &c.* cum tamen apud omnes certum sit hæc verba, in nomine Patris, &c. non esse de essentia formę.

Florentinum pro forma Calicis refert etiam alia verba non necessitate Sacramenti, sed præcepti.

357. Neque etiam obstat quod prædicta verba in Missali Romano impressa sint eodem charactere,

quo-

Non ſequitur dicta verba eſſe de eſſentia formæ ex eo quod in Miſſali eodem charactere cũ aliis exprimantur.

quo cætera: & pronuncientur eodem ritu, & tenore; idque antequam Sacerdos adoret Sanguinem: id enim fit, quia ſpectant ad vnam, & eandem orationẽ. Deindè enim dici poteſt de particula *enim*; & de iſtis verbis, *quod pro vobis tradetur*, quæ Græci addunt formæ conſecrationis; & tamen certo non ſunt de eſſentia formæ.

Neque ex eo quod apud Lucam interſerãtur verbis formæ.

358 Neque ex eò quòd Lucas interſerat formæ hæc verba *novum teſtamentum*, hoc modo: *Hic eſt Calix novum teſtamentum in Sanguine meo, &c.* idemque faciat Apoſtolus 1. ad Cor. 11. ſequitur quod ſint de illius eſſentia: quia ſimiliter particula *enim* interſeritur formę; & tamen eſt de ejus eſſentia. Dici etiam poteſt, quod iſtę particulæ ſint de eſſentia iſtarum formarum, eo quòd in illis ſint prædicatum; nec ſine illis videatur ſatis conſtare ſenſus. In forma autẽ quam Eccleſia uſurpat ponuntur tantum in obliquo & ſine illis habetur integer ſenſus transſubſtantiationis, ideoq; non ſint de illius eſſentia. Quod autem aliquod verbum poſſit eſſe de eſſentia unius formæ, & non alterius; patet in forma noſtra, ubi ly *Calix* eſt de ejus eſſentia: cum tamen abſque iſta particula certo valeat hæc forma, *Hic eſt Sanguis meus*.

Dubium eſt an Chriſtus in conſecratione calicis omnia verba formæ noſtrę pronunciaverit.

359. An autem Chriſtus in conſecratione Calicis pronunciaverit omnia verba quæ ſunt in forma noſtra, incertum eſt; & in contrarium eſt, quod ly *æterni*, & ly *myſterium fidei* nec ab ullo Evangeliſta nec ab Apoſtolo referrantur. Cæterum hoc etiam dato nihil indè cōtra nos concluditur; quia certum eſt Chriſtum in conſecratione panis protuliſſe iſta verba; *quod pro vobis tradetur*: & tamen non ſunt de eſſentia conſecrationis.

Verùm quidem eſt quod iſta verba *novi, & æterni teſtamenti myſterium, &c.* explicent effectum Sanguinis Chriſti, adeoque convenienter addantur: non ſunt tame neceſſaria ad ſignificandam transſubſtantiationem vini in Sanguinem; ac proindè vi priorum verborum habeatur hæc transſubſtantiatio.

Neque ex eo quod confectio Eucha-

360. Ex eo autem quod confectio Euchariſtiæ habeat rationem ſacrificij, ſacrificium autem juxta Apoſtolum ad Hebr. 9. compleatur in Sanguinis effuſione,

fione; non rectè concluditur ista verba *qui pro vobis effundetur* esse necessaria ad Eucharistiæ confectionem: quia tantum est Sacrificium incruentum; & sufficiẽter in ratione hujus sacrificii significatur per hoc quod Sanguis Christi vi verborum ponatur quodam modo separatim à corpore, in quantum vi illorum directè ponitur solus Sanguis. Deindè Eucharistia non est minus sacrificium sub specie panis, quam sub specie vini; & tamen nihil est in forma qua panis consecratur, quod exprimat rationem sacrificii.

ristię habeat rationem sacrificii.

361. Verba consecrationis proferuntur à Sacerdote non tantum recitativè hoc est recitando tantum illa ut à Christo dicta absque intentione asserendi id quod significant, qualiter v.g. vir pius refert blasphemias alterius; sed etiam assertivè; ita ut verè Sacerdos intendat id asserere quod verba significant; & quod Christus per illa asseruit. Ita communius DD. cum S. Th. q. 78. a. 5.

Hæc verba qui pro vobis effundetur, sunt de essentia.

Quod recitativè pronuncientur patet ex verbis immediatè formam præcedentibus, *fregit deditque discipulis dicens*, *&c.* ubi particula *dicens* manifestè significat Christum ista verba pronunciasse, & referri tanquam à Christo priùs pronunciata.

Verba consecratoria pronunciantur recitativè simul & assertivè.

Quod etiam assertivè Prob. 1. quia Sacerdos verè intendit per illa consecrare, & id efficere quod Christus per illa effecit; & si id non intenderet, saltem virtualiter, nihil efficeret: ergo non tantum recitativè sed etiam assertivè illa pronunciat. 2. Quia si forma tantum recitativè pronunciaretur, ad sui veritatem non exigeret conversionem præsentis materię in corpus Christi, sed tantum ejus quam Christus convertit in ultima cœna, seu ad sui verificationem tantum necessarium esset ut verè Christus eam tunc convertisset in corpus suum. 3. Quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur assertivè: ergo etiam hæc.

Assertivè pronunciari probatur ex eo quòd Sacerdos verè intendat per illa consecrare.

362. Dices 1. verba ista *qui pridiè quam pateretur* & sequentia usq; ad formam cõsecrationis proferuntur à Sacerdote tantum recitativè: ergo etiam verba formæ; quia ly *dicens* non minùs hæc ad Christum refert, quam illa. R. utraque referri quidem ad Christum per ly dicens; adeoque utraquę recitativè pro-

Verba illa qui pridiè quam patetur, & reliqua usq; ad verba formæ

nunciari, ſed verba formæ inſuper etiam aſſertivè propter rationes allatas.

pronunciantur tantum recitativè.

163. Dices 2. ſi Sacerdos proferret aſſertivè hæc verba; *Hoc eſt corpus meum*, ſignificaret panem convertendum in corpus ſuum non Chriſti. R. negando aſſumptum, quia non profert illa ut gerens perſonam propriam, ſed perſonam Chriſti.

Sacerdos pronunciat formam, ut gerens perſonam Chriſti.

364. Dices 3. videtur repugnare ut pronomen *hoc* recitativè ſimul & aſſertivè pronuncietur; quia pronunciatum aſſertivè demonſtraret materiam præſentem & pro ea ſupponeret. Pronunciatum autem recitativè demonſtraret materiam quam Chriſtus conſecravit & pro ea ſupponeret; atqui non poteſt pro diverſa materia ſupponere: ergo &c. R. ly *hoc* non demonſtrare materiam conſecrandam ſeu panem; ſed confusè id quod continetur ſub ſpeciebus panis, quod facta conſecratione eſt Corpus Chriſti, ac proindè pro eo ſupponere; ut jam magis explicabitur.

Pronomen hoc non demonſtrat panem.

Nec ſpeciem panis ſed quod ſub illa cõtinetur.

365. Pronomen *hoc* contentum in forma qua panis conſecratur non demonſtrat panem. Nec pronomen *hic* contentum in forma calicis demonſtrat vinum: alioqui enim formæ conſecratoriæ eſſent falſæ: quia falſum eſt, quod panis ſit Corpus Chriſti, & vinum Sanguis. Vel certè accipiendæ eſſent in ſenſu improprio, ut idem ſignificarent ac hic panis convertitur in Corpus meum: & hoc vinum in Sanguinem. Non eſt autem veriſimile Chriſtum illas uſurpaſſe in ſenſu improprio, ſumendo ly *eſt* pro convertitur.

366. Neque pronomina iſta demonſtrant ſpecies panis & vini: alioqui enim nec formæ conſecratoriæ verificarentur in ſenſu proprio; quia falſum eſt quod ſpecies ſint Corpus & Sanguis Chriſti: ſed tantum in ſenſu improprio, ſumendo ly eſt pro continet, ita ut ſenſus ſit hæ ſpecies continet Corpus & Sanguinem Chriſti. Senſus autem improprius omnino reiiciendus eſt, ne detur occaſio Calviniſtis ſimiliter accipiendi ly Corpus in ſenſu improprio, ut idem ſit ac figura Corporis.

367. Prædicta pronomina demonſtrant Corpus & San-

Sanguinem Christi; non quidem sub explicita & distincta ratione corporis & Sanguinis Christi: alioqui enim propositiones consecratoriæ essent identicæ; & dicere *Hoc est Corpus meum* idem foret ac dicere hoc Corpus meum est Corpus meum. sed sub confusa ratione contenti sub speciebus panis & vini in fine prolationis verborum formæ consecratoriæ. Ita communius Theologi cum S. Thoma.

Pronomina consecratoria non demonstrant id quod est initio consecrationis sed in fine.

Prob. 1. quod tantum demonstrent Corpus & Sanguinem Christi sub dicta ratione confusa. Quia pronomina demonstrativa solitariè posita in subjecto propositionis absque substantivo eis adjecto significant tantum confusè seu generatim rem aliquam; ita ut debeant exponi per ly *hæc res*: v.gr. si dicatur hoc est stannum, hoc est argentum &c. idem est ac si dicerem, hæc res est stannum, hæc res est argentum: Atqui pronomina *hoc & hic* in formis consecratoriis ponuntur solitariè ut earum subjecta absque substantivo eis addito: ergo significant generatim rem contentam sub speciebus panis & vini: ita ut dicere. *Hoc est Corpus meum* idem sit ac dicere hæc res est corpus meum.

368. Prob. 2. quod tantum demonstrent contentum sub speciebus in fine prolationis formæ consecratoriæ; quia forma consecratoria est practica seu operativa ejus quod sub speciebus existit, dum absolvitur: ergo pronomen in ea contentum non demonstrat id quod initio prolationis formæ adhuc existit, & ea prolata definit existere; sed id quod tunc vi ejus accipit existere; videlicet Corpus Christi: quia nemo intendit demonstrare id quod definit esse; sed id quod existit. Ita si Christus convertens aquam in vinum dixisset, *hoc est vinum* non demonstrasset aquam quę desiisset existere; sed vinum quod fuisset factum; & sensus fuisset hæc res est vinum. ergo & sensus hujus propositionis, *Hoc est Corpus meum*, est hic, hæc res est Corpus meum.

Quia cū forma sit practica demonstrāt id quod fit vi formæ.

369. Dices. 1. pronomen *hoc* demonstrat id quod est præsens dum pronunciatur: sed id quod præsens est dum pronunciatur à consecrante, non est Corpus Christi: sed panis: ergo &c. R. neg. ma. universaliter,

Pronomen non semper demonstrat id quod est

præsens dum pronūciatur, nec nūquam id præstatur propositione practica.

ter, cujus falsitas patet in multis exemplis: qui enim v.g. dicit, hæc est forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris*, *&c.* priùs pronunciat pronomen demonstrativum, quam proferat formam, quam demonstrat. Ita qui ducens circulum initio dicit, *hic est circulus*, necdum existit circulus, dum profert ly *hic* demonstrativum. Imò major necessariò falsa est in demonstrationibus practicis vi quarum fit illud quod demonstratur.

370. Dices 2. quando Christus pronunciavit ista verba, *manducate ex hoc omnes*, ostendebat panem ; ergo &c. R. ostendisse panem non permansurum panem, sed convertendum in corpus suum vi consecrationis: illosque invitasse ad manducandum, non id quod tunc adhuc erat panis ; sed id in quod panis mox erat convertendus.

Pronomen tantum demonstrat id quod in actu signato significat.

371. Dices 3 forma significat conversionem panis in Corpus Christi: ergo ly *est* in forma idem significat, ac ly convertitur: ergo ly hoc demonstrat panem convertendum in Corpus Christi ut vult Bonaventura. R. formam significare quidem istam conversionem in actu exercito, in quantum illam operatur: sed in actu signato tantum significare rem contentam sub speciebus panis esse Corpus Christi. Iam verò solum demonstrat id quod in actu signato significat.

Pronomina in formis cōsecratoriis sumuntur substantivè.

372. Petes utrum pronomina *hoc & hic* contenta in formis consecratoriis sumantur adjectivè, an substantivè R. sumi substantivè: ita communiter Theologi cum S.Thoma. Ratio est quod ponantur ante copulam solitariè absque substantivo sibi adjuncto; & reipsa habeant rationem subjecti, quod non convenit adjectivis.

Nec refert quod pronomen in forma calicis non exprimatur neutraliter ; sed conveniat in genere & numero cum prædicato ; ac proindè videatur sumi adjectivè, sicut sumitur in his propositionibus, *Hic est frater meus*, *hæc est soror mea*: quia non est necesse ut exprimatur neutraliter, dum sumitur substantivè; imò ejus cōvenientiam in genere cum prædicato magis exigit locutio Latina. In dictis autem exemplis

plis ideò pronomen sumitur adjectivè, quia ex parte subjecti subintelligitur aliquod substantivum, videlicet in 1. *homo*; in 2. *fœmina*; ut sensus sit hic homo est frater meus, hæc fœmina est soror mea.

§. III.

De reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi.

373. IN hoc Sacramento verè & realiter continetur Corpus & Sanguis Christi. Est de fide contra varios diversorum temporum hæreticos, Berengarium sæculo 11. qui tamen revocato postea errore creditur catholicè mortuus. Petrum Brusium & Albigenses sæculo 12. VVicleffum sæculo 14. & præsertim Calvinum sæculo 16.

Est de fide Christi Corpus & Sanguinem realiter in Eucharistia contineri.

Prob. 1. ex verbis à Christo usurpatis in institutione Eucharistiæ. Matt. 26 Mar. 14. Luc. 22. *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, &c.* quæ sumpta in proprio sensu realem Corporis & Sanguini Christi præsentiam apertè significant.

Et verba Christi in proprio sensu accepta id manifestè significant.

Quod autem in proprio sensu intelligi debeant patet 1. ex regula Augustini receptissima l. 3. de Doct. Christi c. 10. quòd nempè verba Scripturæ semper intelligenda sint in sensu proprio, nisi obstet Scriptura contraria, aut evidens absurdum ex eo sequatur: quorum neutrum hic invenitur; cum potiùs ex sensu proprio sequatur Divinæ bonitatis, sapientiæ, ac potentiæ maxima commendatio: & in eum conspirent Euangelistæ, & Paulus 1. Cor 10. & 11. verba Christi eodem modo simpliciter referentes, absque ullo sensus figurati indicio. 2. Quia Christus hæc verba protulit in institutione novi ritus per modum testamenti; ergo debet censeri locutus in sensu proprio & obvio & non in figurato & obscuro; ne alioqui daret occasionem errandi in re gravissimi momenti: præsertim cum nullo signo exteriori sensum figuratum & latentem prodiderit; cum tamen alias soleret discipulis suis parabolas, aut obscuriora mysteria clarè explicare. 3. Quia verba adjuncta præsertim formæ Calicis clarè indicant Christum ibi locutum

Esse autem accipienda in proprio sensu patet ex eo quod indè nihil sequatur absurdi.

Item ex eo quod contineant institutionem novi ritus.

præsens dum prōnūciatur, nec nūquam id præstat ut propositione practica.

ter, cujus falsitas patet in multis exēmplis: qui enim v.g. dicit, hæc est forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* prius pronunciat pronomen demonstrativum, quam proferat formam, quam demonstrat. Ita qui ducens circulum initio dicit, *hic est circulus*, necdum existit circulus, dum profert ly *hic* demonstrativum. Imò major necessariò falsa est in demonstrationibus practicis vi quarum fit illud quod demonstratur.

370 Dices 2. quando Christus pronunciavit ista verba, *manducate ex hoc omnes*, ostendebat panem; ergo &c. R. ostendisse panem non permansurum panem, sed convertendum in corpus suum vi consecrationis: illosque invitasse ad manducandum, non id quod tunc adhuc erat panis; sed id in quod panis mox erat convertendus.

Pronomen tantum demonstrat id quod in actu signato significat.

371. Dices 3 forma significat conversionem panis in Corpus Christi: ergo ly *est* in forma idem significat, ac ly convertitur: ergo ly hoc demonstrat panem convertendum in Corpus Christi ut vult Bonaventura. R. formam significare quidem istam conversionem in actu exercito, in quantum illam operatur: sed in actu signato tantum significare rem contentam sub speciebus panis esse Corpus Christi. Iam verò solum demonstrat id quod in actu signato significat.

Pronomina in formis cōsecratoriis sumuntur substantivè.

372. Petes utrum pronomina *hoc & hic* contenta in formis consecratoriis sumantur adiectivè, an substantivè R. sumi substantivè: ita communiter Theologi cum S.Thoma. Ratio est quod ponantur ante copulam solitariè absque substantivo sibi adjuncto; & reipsa habeant rationem subjecti, quod non convenit adjectivis.

Nec refert quod pronomen in forma calicis non exprimatur neutraliter; sed conveniat in genere & numero cum prædicato; ac proindè videatur sumi adjectivè, sicut sumitur in his propositionibus, *Hic est frater meus, hæc est soror mea*: quia non est necesse ut exprimatur neutraliter, dum sumitur substantivè; imò ejus cōvenientiam in genere cum prædicato magis exigit locutio Latina. In dictis autem exem-

plis

plis ideò pronomen sumitur adjectivè, quia ex parte subjecti subintelligitur aliquod substantivum, videlicet in 1. *homo*; in 2. *fœmina*, ut sensus sit hic homo est frater meus, hæc fœmina est soror mea.

§. III.

De reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi.

373. IN hoc Sacramento verè & realiter continetur Corpus & Sanguis Christi. Est de fide contra varios diversorum temporum hæreticos, Berengarium sæculo 11. qui tamen revocato postea errore creditur catholicè mortuus. Petrum Brusium & Albigenses sæculo 12. VVicleffum sæculo 14. & præsertim Calvinum sæculo 16.

Est de fide Christi Corpus & Sanguinem realiter in Eucharistia contineri.

Prob. 1. ex verbis à Christo usurpatis in institutione Eucharistiæ. Matt. 26 Mar. 14. Luc. 22. *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, &c.* quæ sumpta in proprio sensu realem Corporis & Sanguini Christi præsentiam apertè significant.

Et verba Christi in proprio sensu accepta id manifestè significant.

Quod autem in proprio sensu intelligi debeant patet 1. ex regula Augustini receptissima l. 3. de Doct. Christi c. 10. quòd nempè verba Scripturæ semper intelligenda sint in sensu proprio, nisi obstet Scriptura contraria, aut evidens absurdum ex eo sequatur: quorum neutrum hic invenitur; cum potiùs ex sensu proprio sequatur Divinæ bonitatis, sapientiæ, ac potentiæ maxima commendatio: & in eum conspirent Euangelistæ, & Paulus 1. Cor 10. & 11. verba Christi eodem modo simpliciter referentes, absque ullo sensus figurati indicio. 2. Quia Christus hæc verba protulit in institutione novi ritus per modum testamenti; ergo debet censeri locutus in sensu proprio & obvio & non in figurato & obscuro; ne alioqui daret occasionem errandi in re gravissimi momenti: præsertim cum nullo signo exteriori sensum figuratum & latentem prodiderit; cum tamen alias soleret discipulis suis parabolas, aut obscuriora mysteria clarè explicare. 3. Quia verba adjuncta præsertim formæ Calicis clarè indicant Christum ibi locutum

Esse autem accipienda in proprio sensu patet ex eo quod indè nihil sequatur absurdi.

Item ex eo quod contineant institutionem novi ritus.

fuiſſe in ſenſu proprio de vera ac reali corporis & ſanguinis ſui præſentia : ſic enim ſequitur Luc.22. *Hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine: qui pro vobis effundetur* (nempè in remiſſionem peccatorum, ut exprimit Matth.) ubi licet relativum *qui*, immediatè ſequatur ly, *in ſanguine*, non tamen immediatè refert Sanguinem (ut volunt Sacramentarii) ſed calicem, ſeu liquorem in eo contentum, ut conſtat ex Græco, in quo habetur : Τȣ̃το τὸ ποτήριομ ἡ κανμή-ριχ τήκη ἐν τῷ αἱματίμȣ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκ χυνόμιλυον, id eſt, hic Calix novum teſtamentum in meo ſanguine pro vobis effuſus, ſeu effundendus. Vndè iſtis verbis ſignificavit Chriſtus, quod Calix ſeu liquor in eo contentus eſſet effundendus in remiſſionem peccatorum.

Idque ſpecialiter evincitur ex forma calicis relata à S. Luca c.22.

Quæ habentur Ioan. 6. poſt v. 51. certò intelligēda ſunt de reali manducatione Chriſti.

Prob.2. Ex Ioan.6. ubi Chriſtus promittit ſe daturum ſuam carnem in cibum & ſanguinem in potum verè ac realiter ſumendum. Licet enim quæ in eo cap. habentur uſque ad v.51. probabiliter exponi poſſint de ſola manducatione ſpirituali per fidem ; ſequentia tamen certum eſt eſſe intelligenda de reali manducatione Corporis & bibitione Sanguinis in Euchariſtia. Ita enim intellexerunt concilia Epheſ. Senon. Trid & PP. communiſſimè : quamvis eorum aliqui cum Aug. illa etiam extendant ad ſpiritualem manducationem per fidem, quia ſine hac ſpirituali non poteſt prodeſſe Sacramentalis, quam primariò agnoſcunt, ut de Auguſtino conſtat ex lib.1. de peccatorum merit. c.20. ubi ita loquitur : *Audiamus Dominum de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ ita loquentem : niſi manducaveritis*, &c.

Sēſus de reali manducatione corporis Chriſti colligitur ex Iudæorum murmuratione.

374. Eundem ſenſum ; manifeſtè indicat murmuratio audientium Iudæorum ; *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*: Ioan.6. & quorundam diſcipulorum ; *Durus eſt hic Sermo* : qui Chriſti verba de vera ſuæ carnis manducatione in ſenſu proprio intellexerunt ; quorum ſcandalum advertens Chriſtus mentem ſuam de ſenſu figurato non ſolùm non explicuit (quod feciſſet haud dubiè, ſi talem intellexiſſet,) ſed è contra ſenſum proprium confirmavit iiſdem fere verbis, quibus apud alios Evangeliſtas

gelistas usus fuerat in hujus Sacramenti institutione.

Prob.3. Ex variis Conciliis in quibus hæc veritas definita est, videlicet Vercell. sub Leone IX. Turon. sub Victore II. duobus Romanis sub Nicol. II. & Gregor. VII. Lateran. sub Innoc. III. Viennensi sub Clem V. Constant. sub Mart. V. Florent. sub Eugen. IV. & explicatissimè in Trident. sess. 13. cap. 4. & Can. 1.

375. Prob. 4. Ex PP. qui à primis Apostolorum temporibus per singulas ætates digesti apud Bell. l. 2. c. 1. & seqq. hanc veritatem apertè tradunt, ut Iustin. Apol. 2. Cyprianus serm de Cœna Domini, Cyrill. Ierosl. Catech. 4. Ambros l. 4. de Sacrament. c. 4. Hilar. Chrysost. Epiphan. & alii, qui fideles operosè confirmare student in fide hujus Misterii, tanquam valdè difficilis & sensibus repugnantis, quod proinde habent pro ingenti divinæ potentiæ miraculo simili mysterio Incarnationis, ex quo etiam illius probabilitatem probant, quæ omnia satis ostendunt eos agnovisse sub speciebus Eucharisticis Christum verè & realiter, non solum figurate contineri. Selecta quorundam verba referam. Cyrillus Ierosol. sic loquitur Catech. 4. *cum Christus ipse sic affirmet & dicat hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? aquam aliquando mutavit in vinum sola voluntate; & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutavit*, Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. sic habet: *panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio de Pane fit caro Christi.*

Prob. 4. veritas Catholica ex unanimi PP. consensu.

Vt autem explicet quomodo id possit fieri recurrit ad divinam omnipotentiam; quod ridiculum esset si panis fieret tantum figurativè corpus Christi. Hieron. in epist. ad Hedib. sic scribit: *Nos audivimus, panem quem fregit Dominus deditque discipulis esse corpus Domini Salvatoris.* Et infra: *Dominus Iesus ipse conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur*; ut accidit in ultima cœna. Chrysost. hom. 83. in Matth. *quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum, nulla dubitatione teneamur: sed credamus*; & infra: *nos secum in*

Referuntur clarissima aliqua PP. loca ac nominatim Augustini.

unam, ut ita dicam, massam reducit: neque id fide solum; sed reipsa nos corpus suum efficit. Vbi verba illa ponderanda sunt, *neque id fide solum.*

Aug. lib. 12. contra Faustum docet fideles in hoc Sacramento percipere Sanguinem quo redempti sunt; & c. 20. nunc bibi quod de latere Christi manavit: quod falsum esset si tantum acciperent figuram sanguinis, & lib. 2. contra adversarium legis & Proph. cap. 19. sic loquitur: *Mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus.* Quibus verbis manifestè significat utroque modo Christum sumi, & misticè per fidem ore cordis seu mentis: & realiter ore corporis, utrumque illum modum clarissimè expressit S. Leo serm. 6. de jejunio septimi mensis his verbis: *sic sanctæ mensæ communicare debetis; ut nihil prorsus de veritate Corporis Christi & Sanguinis ambigatis. hoc enim ore sumitur, quod fide creditur*, idem expressit S Greg. hom. 13. in Evang. explicans verba illa Exodi, *fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem*: Subjungit enim *sanguis Christi super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis; sed etiam ore cordis hauritur.* Sed nihil adversus hæreticos hujus temporis expressius est quam quod scripsit Damasc lib. 4 de fide cap. 14. ubi fusè de hoc mysterio disserens ait: *Nec verò panis & vinum Christi Corporis figura sunt; absint enim hoc: verum ipsummet Domini Corpus Deificatum; quippe cum Dominus ipse dixerit: hoc est, non Corporis signum sed Corpus.*

Varii Patres significant Christum utroque modò sumi ore cordis, & corporis.

376. Atque hinc refellas impudens Calvini mendacium asserere non verentis, omnes Doctores, qui primis quinque sæculis floruerunt, suæ Doctrinæ suffragari. Hujus mendacii vanitatem demonstrat perpetua traditio & consensus Ecclesiæ tam Latinæ, quàm Græcæ etiam post ejus schisma: cujus traditionis initium post tempora Apostolorum assignare non possunt sectarii: cùm aliundè constet eorum errorem præcipuè à Berengario cœpisse.

Scriptura solùm significat Christũ in Ecclesia non remansurum visibiliter.

377. Neque vim ullam habent, quæ contra opponunt

ponunt

ponunt 1. Cùm enim Scriptura significat Christum non remansurum in Ecclesia, sed abiturum ad Patrem, ut Matt. 26. 11. Marci ultimo. Ioan. 14. & alibi, solùm vult Christum non remansurum sub specie usitata, & visibili juxta modum humanæ conversationis.

Item cum dicit Matt. 24. *Si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus*, &c. *nolite credere*; tantum monet fugiendos impostores, qui se Christum aut prophetas esse mentientur,

Explicatur quo sẽsu dicantur Israelitæ manducasse eundẽ quam nos escam spiritualem.

Cum 1. ad Cor. 10. dicuntur Israelitæ in deserto eandem escam spiritualem manducasse, non est sensus, quod manducaverint eandem escam, quam nos in Eucharistia manducamus, sed quod manducaverint eandẽ inter se, nempe manna, quod dicitur esca spiritualis, quia erat figura Eucharistiç. Quod si cum Augustino intelligas eandem nobiscum, dicendum est manducasse illos eandem solùm analogice, quatenus illi typum, nos antytipum manducamus.

Trãduntur duæ regulæ ad colligendũ quando nã locutiones scripturæ intelligenda sunt in sensu figurato.

378. Quamvis variæ Scripturarum locutiones videantur esse similes supra allatas ad veritatis Catholicæ probationem, quæ tamen non nisi in sensu figurato intelligi possunt; quales sunt eæ, quibus Christus dicitur Vitis, Leo Petra, Semen, Verbum Dei, ager mundus, septem boves pulchræ, septem anni ubertatis, &c. reipsa tamen multùm differũt à nostris, tum forma loquendi, quia nempe in illis plerumque tribuitur prædicatum in sensu proprio repugnans subjecto, ut Vitis Christo; tum ratione adjunctorum; quia proferuntur ijs circumstantijs, v. g. in explicatione parabolarum figurarum somniorum, &c. ex quibus apparet eas intelligendas esse in sensu figurato.

In Calice continetur Sanguis effusus in remission, peccatorũ, adeoque verus.

In nostris autem contrarium accidit: 1. enim non dicitur *panis est corpus meum*; sed *hoc*, id est, substra tum his accidentibus *est corpus meum*, in quo propriè accepto nulla est repugnantia: 2. non adhibentur ea verba ad explicationem parabolæ, aut somnij, &c.

Adde sensui figurato repugnare verba Lucæ num. 371. citata quibus effusio in remissionem peccatorũ

soli

soli verò Christi Sanguini conveniens tribuitur liquori contento in calice: Quod fieri non posset, si solùm esset signum, & non verus Christi Sanguis; sicuti actiones Cæsaris non possunt tribui ejus imagini, dicendo v. g. imago Cæsaris vicit Pompeium.

Eadem locutio potest esse partim tropica partim propria.

379. Nec refert, quod in verbis Lucæ, & Pauli, *Hic est Calix novum testamentum in meo sanguine*, admitti debeat tropus etiam a Catholicis in ly *Calix*, quod metonymicè ponitur pro contento: non enim inde sequitur totam orationem posse aut debere sumi in sensu tropico, proprium, & maxime obvium evertente: alioqui in hac locutione, *Et verbum caro factum est*, in qua ly *caro* Synecdochice sumitur pro homine, sequeretur totam illa propositionem posse aut debere sumi in sensu improprio, adeoque significare verbum non esse proprie hominem sed solùm improprie: Deinde probabile est Christum non usurpasse verba illa quoad rem, sed solùm quoad sensum: cùm à Matt. & Marco referatur dixisse. *Hic est sanguis meus*, in quo nullus est tropus.

Caro Christi habet vim sanctificandi a Divinitate sibi unita, non ex se.

380. Falsum est quod fingunt Sectarij Christum per verba illa Ioan. 6. 64. (*Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam, verba, quæ locutus sub vobis, Spiritus, & vita sunt*,) significare voluisse, quod ea, quæ de carnis suæ comestione dixerat, figurate essent intelligenda de sola manducatione spirituali per fidem. Horum enim verborum sensus est hic: Caro mea à seipsa non habet vim spiritualiter vivificandi, sed à Spiritu, id est, à Divinitate sibi unita: quo etiam sensu intelligi possunt sequentia, *verba, quæ ego, &c.* id est, per hæbraismū, res, & mysteria, quæ vobis proposui, sic, caro, & sanguis meus, *Spiritus, & vita sunt*, id est, habent ratione Divinitatis sibi unitæ virtutem spiritualiter vivificandi: quomodo ea intellexerunt Cyrill. Athan. Aug. apud Tolet. & Cornel. Vel significant verba Christi non esse carnaliter intelligenda, id est, de comestione facta modo carnali, & usitato, per carnis divisionem, masticationem, & conversionem in substantiam aliti, ut fit cum comeduntur carnes animalium; sed spiritualiter, id est, non quidem per solam fidem al

Quo sensu dicatur Corpus Christi manducari tantum spiritualiter.

mentem

mentem hæreticorum: sed de comestione Sacramentali, & velut spirituali per sumptionem specierum, sub quibus caro invisibiliter, & velut spiritualiter continetur.

381. Neque aliud vult Aug. lib. 3. de Doct. Christiana, cap. 16. ubi declarans quænam Scripturę intelligendæ sint in sensu figurato, ait: *Si præceptiva locutio est, aut flagitium vetans aut beneficentiam jubens non est figurata. si autem flagitium videtur jubere, aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis inquit; carnem Filij hominis, & Sanguinem biberitis: figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recolendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit.* His enim, & similibus solùm significat hæc verba non esse intelligenda de comestione carnali modo jam explicato, de qua Iudæos, & discipulos murmurantes Christum intellexisse testatur tract. 27. in Ioannem.

Quo sensu Aug. dicat carnē Christi manducandam figuratè, & spiritualiter

Cùm verò idem in cap. 6. Ioan. explicans hęc verba Christi, *Nisi manducaveritis, &c.* dicit: *Quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducasti;* loquitur ad sensum Christi in prima parte istius capitis; in quibus probabiliter egit de sola manducatione spirituali per fidem: licet postmodum sermone, ut fit, ex alio in aliud devoluto, egerit de comestione Sacramentali carnis suæ sub speciebus Eucharisticis.

Dum Augustinus dicit, crede, & mā. ducasti, agit de manducatione spirituali per fidem.

382. Hoc autem etiam Augustinum fide indubitata fuisse professum evidens est 1. ex lib. 9. confess. c. 13. ubi de sua matre defuncta dixit: *Tantummodò memoriam sui ad altare tum fieri desideravit,* &c. *unde sciret dispensari victimam sanctam qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* 2. Ex l. 2. contra adversarium Legis, & Prophet. c. 9. *Mediatorem Dei, & hominum Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum Sanguinem potare, quàm fundere.* Vbi manifestum est Aug. loqui de carne, &

Realē Christi præsentiam in Eucharistia videtur professus est multis locis.

San-

Sanguinè vero, & proprio, non de figurato; cùm non sit, nec videri possit horribilius figuratã Christi carnem manducare, quam veram perimere &c. 3. Ex con. 1. in Psal. 33. *Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendas ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum; ferebat enim illud in manibus suis*, ubi certo loquitur de Corpore Christi verò, non figurato; cum dicat hæc verba, *ferebatur in manibus suis*, non posse verificari de Davide, nec de ullo alio homine quàm de Christo: quod ut patet falsum esset, si ageretur de figura Corporis: potest enim quilibet corporis sui figuram ferre in manibus suis.

Quomodo Patres in speciem cõtrarii intelligendi sint.

383. Denique alia Aug. Dionys. Tertull. aliorumve PP. testimonia in speciem nobis contraria facilè solventur, si advertas 1. PP. subinde minus strictè, & propriè locutus in hac materia quia sciebãt se bono sensu intelligi à fidelibus ante exortas Sacramentariorum hæreses, de hujus mysterij veritate nihil dubitantibus. 2. Eosdem Christi carnem spectasse dupliciter, nempe secũdum statum passibilem, quem habuit ante mortem sub specie propria, & secundũ statum impassibilem, quem habet in Sacramento sub specie aliena: atque ita interdum negasse eandem esse Christi Carnem in Sacramento, quæ fuit cruci affixa; quia licet substantialiter sit eadem, est tamen diversa quoad statum. 3. Dum manducationem internam, & spiritualem ita commendant, ut non videantur aliam agnoscere, solùm velle externam, & realem sine spirituali nihil prodesse. Hoc sensu dicunt malos Christi Corpus non manducare, nempe utiliter, & fructuosè 4. Varios PP. negantes panem benedictum esse Corpus Christi intelligendos esse de pane ante consecrationem, vel de Eulogijs, id est pane fermentato ab Episcopis benedicto, & fidelibus distribui solito in signum unionis, qui ab Innoc. I. Aug. & alijs subinde appellatur Sacramentum. 5. Eucharistiam nunquam dici a PP. merum signum, aut nudam figuram corporis Christi, licet à quibusdam subinde dicatur ejus signum, & figura; 1. ratione specierum, quæ sunt Sacramentum tantùm, & significant corpus Christi nõ absens, sed sub ipsis ita latens,

Subinde negantes carnem Christi esse in Euch, vel locuti sunt impropriè, vel de carne sub specie propria.

Eucharistia nũquam dicitur à PP. merum signũ licet ab Aug. & alijs subinde dicatur signum ratione specierum.

latens, ut ipsemet veniant nomine corporis Christi, ut cum dicimus corpus Christi ab hæreticis pugione perfossum, combustum, &c. 2. Quia totum hoc Sacramentum est Symbolum corporis, & Sanguinis prout in Cruce immolatorum. 3. Quia corpus Christi sub speciebus velatum est figura sui-ipsius, ut in cœlis revelati, & beatos satiantis. Nec refert, quòd corpus Christi in Eucharistia, & in Cœlo sit idem; quia, potest idem sub diversa consideratione esse figura sui-ipsius.

384. Atque ex his facilè explicabis Aug. lib. contra adimantium, cap. 12. ubi ait: *Non dubitavit Dominus dicere hoc est Corpus meum, cùm signum daret corporis sui*, & in Psal 3. *Christus adhibuit Iudam ad convivium, in quo corporis sui figuram commendavit, & tradidit*, & Epist. 23. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta non haberent, omnino Sacramenta non essent: ex ac autem similitudinem, plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt: sicut ergo secundum quemdam modum, Sacramentum corporis Christi Corpus Christi est; Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est; Ita Sacramentum fidei* (Baptismus) *fides est* sc. significativè.

Est etiam signum sacrificii incruenti. Iuxta aliquem ex dictis sensibus explicandus est Augustinus locis à Calvino obiectis.

385. Non remanet in hoc Sacramento substantia panis, & vini una cum corpore, & sanguine Christi. Est de fide, contra Lutheranos, aliosque Impanatores. 1. Ex varijs CC Romano sub Nicolao II. & altero Romano sub Greg. VII. Later. sub Innoc. III. capitulo *Firmiter*: Constantiens. sess. 8. ac denique Trid. sess. 13. can. 2. Anathema, dicente ei, *qui dixerit in Sacrosancto Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini nostri, &c.* 2. Ex PP. tum Græcis, tum Latinis, iisque antiquiss. Iustino, Ireneo, Tertull. Chrysost. Cyrillo, Hieron. Ambros. Aug. & aliis apud Bellar. l. 3. ca. 30. non solum utentibus nomine mutationis, transmutationis, & cōversionis panis in corpus Christi, & c. sed etiam expresse negātibus panem remanere post consecrationem: ut Cyrill. Abbr. & nominatim Ansel. dum dicit: *panis substantiam*

In Eucharistia non remanet substantia panis, & vini.

tiam post Domini corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana.

Ex quo apparet mentiri hæreticos, dum asserunt transubstantiationem esse inventum D. Thomæ, aut Innoc. III. & à Græcis nunquam fuisse agnitam: quod postremum falsissimum esse patet ex Ieremia Constantinopol. Patriarcha schismatico ca. 10 censuræ contra Lutheranos. Item ex Arcudio l. 3. cap. 2.

Eucharistia sæpe dicitur panis, quia panis speciem, & proprietates retinet.

386. Nec refert quod Eucharistia à PP. & Scriptura sæpius appelletur panis ut 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus*, &c. ita enim vocatur, vel quia fit ex pane ut materia transeunte: quomodo explicandum est quod habetur capitulo *Ego Berengarius*, de consecrat. dist. 2. in quo idem hæreticus reuocans errorem suum dicit panem, & vinum post consecratione esse verum corpus, & sanguinem Christi, nam ly *esse*, ibi ponitur pro ly *transire*. Vel quia retinet species, proprietates, & operationes panis, quod solùm vult Theodoretus Dialog. 1. sub initium dum ait, *Symbola, & signa, quæ videntur nomine Corporis, & Sanguinis honorauit, non mutans naturam sed naturæ gratiam adjiciens*, & dialog. 2. *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedent à sua natura, manent enim in priori substantia, & figura, & potentia.* Ibi enim per symbola, & signa intelligit species; per naturam verò, naturales earum proprietates, ut videri, tangi, operari, &c. vel earum essentiam, quæ etiam venit nomine substantiæ: sæpe enim substantia apud Latinos sumitur pro essentia in genere abstrahendo ab essentia entis per se, vel in alio, ut cum Aug. conc. 1. in Psal. 68. ait: *Quod nulla substantia est, nihil omnino est*. Addit Merat. ex Bellar. in his verbis loci posterioris, *manet in priore substantia*, versionem esse vitiosam, & potiùs verti debuisse: *manent in prioris substantia, & figura, & forma* juxta quam versionem nulla est difficultas.

Ad id quod adfertur ex lib. 2. Gelasij Papæ contra Eutich. & ex ep. Chrysost. ad Cæsarium quo utroque loco asseritur remanere substantiam panis, facilis est responsio nempe lib. illum non esse Gelasij ut probat Baronius ad annum Christi 446. & Bellarm.

lib.

lib. de script. Eccles. neque Epistolam illam esse Chrysostomi, ut ostendit Turianus lib. 1. Euchar. cap. 18.

387. Tota igitur substantia panis per consecrationem cõvertitur in substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in substantiam Sanguinis: ut expressè habet Trid. sess. 13. c. 4. addens hanc conversionem convenienter, & propriè appellari ab Ecclesia transsubstantiationem.

Tota substãtia panis, & vini convertitur in substantiã Corporis, & sãguinis Christi.

388. Probabilius videtur in ea conversione intervenire reproductionem corporis Christi. 1. Quia hoc evincere videntur locutiones PP. Cyprian. serm. de Cœna Domini ubi de Christo ita loquitur: *Qui usque hodie verissimum ac sanctissimum Corpus suum creat, ac piè sumentibus dividit*. Ambros. l. 3. de Sacram. cap. 4. *De pane*, inquit, *fit Corpus Christi*. August. capitulo *utrum sub figura*, de consecratione dist. 2. ait per Spiritum Sanctum creari, & ex substantia panis effici Corpus Christi. Damasc. l. 4. de fide, c. 14. *panem, & vinum Corpus, & Sanguinem suum fecit*; quæ non possunt in proprio sensu verificari, nisi Corpus Christi secundùm se terminet veram reproductionem.

In hac conversione intervenit reproductio Corporis Christi.

389. 2. Quia ad veram conversionem ex communi sensu requiritur, ut id, in quod aliud convertitur, simpliciter accipiat esse, adeoque substantialiter producatur per conversionem: sicut per eandem, id quod convertitur, debet simpliciter desinere esse. Atqui substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi, ergo, &c.

Confir. quia conversio, de qua hic, est transsubstantiatio: hæc autem non est qualiscumq; commutatio substantialis (alioqui translocatio, seu successio unius substantiæ in locum alterius esset transsubstantiatio) sed est substantialis cõversio; ut docet S. Th. qu. 75. 2. 4. ad 1. & insinuatur in posteriori retractatione Berengarii, in qua dicitur *panis in Christi carnem substantialiter converti*, & in Trid. sess. 13. c. 4. vbi dicitur: *fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi*.

390. Neque dicas in nutritione hominis dari formalem

malem ac substantialem conversionem, per quam tamen anima nullum acquirat novum esse substantiale per novam sui productionem: sufficit enim quod acquiratur nova unio substantialis animæ ad materiam alimentis, adeoq; novum esse substantiale, quod sit terminus veræ productionis in tali conversione inclusæ; & consequenter novum esse substantiale ipsius formæ, quatenus ex materia alimenti, & anima exsurgit novum esse paritati compositi, cujus anima est causa malis.

In nutritione hominis datur vera conversio substantialis per novam unionem.

Quod si opponas etiam in Eucharistia sine reproductione inveniri aliquem terminum substantialem: sc. substantiam corporis Christi, quæ est terminus formalis hujus conversionis non productus, sed introductus. Respondebitur hoc non sufficere; alioqui enim translocutio (ut paulo ante monuimus) esset transubstantiatio, seu conversio substantialis: quia licet pro termino formali producto solum habeat præsentiam localem accidentalem, habet tamen novam substantiam pro termino formali introducto, & acquisito ipsi loco.

Alioqui enim translocutio, & trāsaccidentatio esset trāssubstantiatio.

391. Neque item sufficit, quòd in conversione Eucharistica una substanti succedat alteri in proprio munere substantiæ; quod est substare accidentibus; alioqui enim trāsmigratio accidentium de subjecto in subjectum diuinitus possibilis dici posset conversio aut mutatio substantialis; quia per eam una substantia succederet alteri in munere substādi proprio substantiæ: Quamvis enim tali casu mutatio solùm terminaretur ad accidens tanquam de novo adveniens substantiæ jam preexistenti, & solùm exercenti munus subjecti mutationis secundum diversa accidentia; tamen terminus totalis, & ultimatus hujus mutationis, non minùs quam ejus quæ se lusa reproductione haberetur in Eucharistia, esset compositum ex accidente, & substantia de novo exercente munus substantiæ; & consequenter vel utraque harum mutationum esset substantialis, vel neutra.

392. Vi verborum solum Christi corpus immediate, & directè ponitur sub specie panis: & solus sanguis sub specie vini. Vi enim illorū tantum ponitur imme-

Vi verborū solū Christi.

immediatè, & directè id quod verba significant & requirunt ad sui verificationem: atqui verba quibus consecratur panis tantum significant corpus Christi & illo posito verificantur. Et similiter verba quibus consecratur vinum, tantum significant sanguinem Christi; & ejus positio sufficit ad eorum verificationem, ergo &c.

corpus immediatè & directè ponitur sub specie panis & solus sanguis sub specie vini.

393. Hanc doctrinam apertè tradit Trident. sess. 13. cap. 3. simul explicans quænam per concomitantiam ponantur; hæc sunt ejus verba: *Semper hac fides in Ecclesia Dei fuit statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere. Sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum. Ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ qua partes Christi Domini qui jam ex mortuis resurrexit, & ampliùs non moritur inter se copulantur. Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.*

Anima Christi & divinitas ponuntur per concomitantiam.

Certum est Tridentium sub nomine Divinitatis comprehendere etiam personalitatem verbi, cùm unio hypostatica, ratione cujus dicit divinitatem poni concomitanter, terminetur immediatè ad personalitatem verbi.

Personalitas Patris & Spiritus Sancti ponuntur etiam concomitanter.

394. Dicendum etiam cum communi, personalitatem Patris & Spiritus Sancti poni concomitanter, ratione identificationis cùm Divinitate; cum non videatur posse poni unum identificatorum, nisi etiam concomitanter ponatur alterum.

395. Nec refert quod Pater, & Spiritus Sanctus non possint dici Incarnati propter identificationem cum Divinitate mediatè incarnata. Disparitas enim est, quod existentia afficiat rem materialiter secundùm omnem entitatem ipsi identificatam; ac proindè non possit competere uni identificatorum, quin etiam competat alteri; & consequenter existente Divinitate in Eucharistia, debeat etiam dici illic existere, quidquid cum ea identificatur. Terminatio

autem Verbi ad naturam humanam respiciat Verbum formaliter ut verbũ est, & divinitatem ut Verbo identificatam: unde fit ut Incarnatio possit competere uni identificatorum: quin competat alteri.

Nomine sanguinis intelligenda est massa sãguinea constans quatuor humoribus.

396. Petes 1. an nomine sanguinis, qui ponitur vi verborum, intelligatur massa illa sanguinea, quæ ex quatuor humoribus conflatur? an verò magis strictè pro ut est humor sanguineus ab aliis tribus distinctus? R. Videri intelligendum sanguinem primo modo sumptum: quia ex usu communi nomine sanguinis intelligitur liquor ille ruber contentus in venis, qui re vera constat ex quatuor humoribus: & verba illa formæ calicis, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, verificantur de sanguine sic sumpto: qui enim fluxit è Christi venis componebatur ex illis quatuor humoribus.

Vi verborũ ponitur totus sanguis, quem habet Christus in cœlo.

397. Petes 2. an vi verborum ponatur solus sanguis, qui pro salute nostra effusus est? ratio dubitandi est quod in forma calicis contineantur dicta verba, *qui pro vobis & pro multis effundetur*. R. cum communi vi verborum poni totum sanguinem quem Christus nunc habet in cœlo, sive totus pro nobis fuerit effusus, sive non: quia verba ista, *hic est calix sanguinis mei*, in quibus consistit essentia formæ, ut supra dictum est, significant poni sanguinem Christi absque ulla restrictione.

Nec obstant verba sequentia, *qui pro vobis & multis effundetur*, quia non adduntur ad limitandam quantitatem sanguinis ponendi sub specie vini; sed ad declarandam ejus efficaciam & effusionis finem, commendandumque Christi in nos amorem præbentis nobis in potum illum ipsum sanguinem, quem fudit pro salute nostra.

Christus existit sub specie panis & vini modo spirituali & indivisibili.

398. Christus existit sub specie panis & vini modo spirituali & indivisibili; ita ut totus existat sub tota specie, & totus sub qualibet ejus parte. In quo involvuntur insignia duo miracula. Primum est quod partes omnes corporis, & sanguinis Christi existant simul penetrativè, & in punctum redigantur. Alterum est, quod singulæ licet in punctum indivisibiliter redactæ, per totam tamen specierum

quan-

quantitatem diffundantur ad eum modum quo anima rationalis in se indivisibilis toti corpori extenditur. Ita DD communiter; videturque saltem implicitè tradi à Trid. sess. 13 cap. 3.

Ex eo quod spiritus non possit existere corporaliter & divisibiliter, non rectè infertur nec corpus posse existere spiritualiter & indivisibiliter. Disparitas enim est quod spiritus nihil habeat in se, quod possit extra poni per modum partis. Corpus autem habeat entitatem, quæ spoliari potest extensione locali per partium penetrationem.

Potest corpus existere spiritualiter licet spiritus non possit existere corporaliter

399. Dum Augustin. epist. 57. ait: *spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt*: tantum vult non posse spatia locorum tolli à corporibus, nisi naturaliter desinant esse: cùm quo stat quod possint permanere supernaturaliter.

Ex modo existendi indivisibiliter non oritur confusio partium.

400. Ex eo autem quod Christus existat modo spirituali & indivisibili totus sub tota specie, & totus sub qualibet ejus parte, non sequitur partes ejus esse inter se confusas: quamvis enim non retineant figuram & orationem naturalem; retinent tamen certò sensu figuram organicam & orationem substantialem in eo consistentem, quod habeant eandem unionem sui continuativam quam habent in cœlo; ita ut sub qualibet parte specierum caput non continuetur immediatè cùm pedibus, sed cum collo; & collum cum pectore &c.

401. Corpus Christi prout existit in Eucharistia non potest naturaliter pati ab agentibus extrinsecis. Ita communiter Theologi cum S. Thoma. Prob. 1. quia agentia extrinseca, cùm sint corporea, non possunt habere alium influxum, quam quantitativum, seu extensum localiter: atqui Christus provt existit in Eucharistia modo indivisibili absque ulla extensione locali est incapax talis influxus; cum hic influxus non possit recipi nisi in subjecto quantitativo, seu extenso localiter ergo &c.

Corpus Christi provt est in Eucharistia non potest pati ab agentibus extrinsecis.

402. Dices, qui movet species sacramentales movet Christum: sed Christus videat potest moveri nisi recipiat in se novas ubicationes: ergo nisi patiatur à

Nihil patitur ab eo qui movit species Sacramentales.

movente species. R.1. à multis negari minorem; eo quod Christus illic non moveatur per se, sed tantum per accidens propter motum specierum; ac proindè sufficere si in illis recipiantur novæ ubicationes. R.2. admissa etiam minore nullam esse consequentiam: quia istæ ubicationes essent supernaturales, quandoquidem vi illarum Christus esset totus in toto spatio, quod species dum moventur, occuparent; & totus in singulis istius spatii partibus; & consequenter improducibiles ab ullo agente naturali. Producerentur igitur à Deo successivè in corpore Christi juxta successivum specierum motum.

Neque Corpus Christi prout existit in Eucharistia potest agere in corpora circumstantia.

403. Neq; Christi Corpus prout existit in Euchatistia potest naturaliter agere in corpora circũstantia. Ita communius Theologi cum S.Th. Prob. quia non potest Christi corpus agere in corpora circumstãtia nisi mediantè aliquo influxu quantitativo: sed Corpus Christi existens indivisibiliter in Eucharistia nõ potest habere talem influxum: ergo &c. Confir. quia alias naturalis calor Corporis Christi deberet calefacere species, & opus esset miraculo ad id impediẽdũ.

Potest anima Christi prout existentis in Eucharistia mediantè lumine gloriæ elicere actum visionis Dei: & mediantibus speciebus intelligibilibus producere cæteros actus potentiæ intellectivæ, & actus voluntatis illis proportionatos. Conclusio certa est: quia tales actus sunt independentes ab organis corporeis, adeòque & à modo existendi corporis.

Non potest Christus illic elicere actus sensuũ externorum aut etiam internorum.

404. Non potest tamen Christus prout illic existit elicere actus sensuum externorum; tum quia non potest in illis recipere species objectorum; cum non possit pati, ut supra dictum est. Tum quia actus isti sunt materiales, ac proindè requirentes subjectum existens modo materiali & quantitativo. Eadem est ratio de actibus sensuum internorum, cum actus isti pendeant ab actibus sensuum externorum; sintque etiam materiales.

Remanent in hoc Sacramento omnia accidentia panis & vini.

405. Remanent in hoc Sacramento omnia accidentia panis & vini; videlicet, quantitas, sapor, color &c. patet id experientia; nec ratio est cur unum potiùs remaneat quam alterum

406. Qua-

406. Qualitates omnes recipiuntur in quantitate ut subjecto. Ita cum S.Thoma communiter Theologi contra Nominales, qui negantes quantitatem distingui à materia; consequenter negant quantitatem remanere in hoc Sacramento.

Accidentia remanentia recipiuntur in quantitate.

Prob. quia si accidentia non essent in quantitate ut subjecto, non posset 1. explicari quomodo species possunt ab agente naturali alterari, v.g. calefieri, frigefieri, &c. deberet enim agens naturale creare calorem, frigus, &c. nam producere istas qualitates absque subjecto, est illas creare. 2. Neque quomodo species remanerent impenetrabiles; quia impenetrabilitas oritur ex quantitate exigente positionem partium extra partes. 3. Deberent multiplicari miracula sine necessitate, quia singula accidentia deberent per miraculum existere modo substantiali extra subjectum: cum in nostra essentia id tantum competat quantitati, quæ post consecrationem conservatur à Deo actione creativa independenter à subjecto.

§. IV.

De effectu Eucharistiæ & dispositione ad eam requisita.

407. Proprius & principalis effectus hujus Sacramenti est nutritio & confortatio animæ ac augmentatio in vita spirituali. Patet ex Florentino dicente hoc Sacramentum eundem effectum habere respectu animæ, quem cibus habet respectu corporis. Et ex Tridentino sess. 13. cap. 3. his verbis: *Sumi autem voluit* (videlicet Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo aluntur & confortentur viventes vita illius qui dixit, qui manducat me & ipse vivet propter me.*

Proprius effectus hujus Sacramenti est spiritualis refectio animæ.

Hæc autem nutritio, & confortatio spiritualis consistit partim in augmento gratiæ habitualis: partim in gratiis actualibus, ac nominatim in excitatione quadam charitatis cum actuali dulcedine, & gaudio spirituali. Ita S.Thomas q.76. a.1. ad 1. ubi sic habet: *per hoc Sacramentum quantum est ex sui virtute*

Quænam importet hæc refectio.

tute , non solum habitus gratiæ & virtutis confertur ; sed etiam excitatur in actum juxta illud 2. ad Cor. 5. charitas Christi urget nos . Et inde est quod ex virtute hujus Sacramenti anima spiritualiter reficitur ; per hoc quod anima spiritualiter delectatur , & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ . Hæc tamen excitatio charitatis & spiritualis delectatio sæpè impeditur per negligentiam & distractionem communicantis.

Hujus etiam Sacramenti effectus sunt liberare à venialibus & præservare à mortalibus.

408. Alios etiam effectus hujus Sacramenti recenset Tridentinum sess. 13. c. 2. videlicet liberationem à venialibus, & præservationem à mortalibus: dicit enim hoc sacramentum *esse antidotum quo liberamur à peccatis quotidianis , & à peccatis mortalibus præservamur* . Hanc autem liberationem à venialibus non tantum operatur mediantè fervore charitatis & contritionis, ad quem excitat ; sed etiam immediatè ex opere operato per sui receptionem, modò non inveniat in recipiente actualem ad illa aut habitualem affectum. Præservationem autem à mortalibus efficit mediantibus gratiis actualibus, quæ intuitu communionis prius factæ, dantur tempore tentationis ad eam vincendam . Et consequenter mediantè ista præservatione causat perseverantiam in gratia & per eam gloriæ adeptionem . Vnde ab eodem Trid. loco cit. dicitur *pignus futuræ gloriæ , & perpetuæ felicitatis* .

Causat quoque perseverantiam, & adeptionem gloriæ.

Agit etiam in ipsum corpus mitigãdo fomitem peccati.

409 Habet etiam aliquos effectus in ipsum corpus, tum in hac vita mitigando fomitem concupiscentiæ tum in altera influendo in gloriosam corporis resurrectionem . Mitigat autem fomitem peccati, 1. indirectè augendo charitatem : nam ut ait Aug augmentum charitatis, diminutio est cupiditatis. 2. Magis directè per specialia Dei auxilia, quibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiscentiæ . Influit autem in gloriosam resurrectionem corporum, in quantum Deus movetur ad vivificanda ista corpora, propter conjunctionem quam habuerunt cum vivificatrice Christi carne.

410. Circa dictos Eucharistiæ effectus notandum hoc est inter eos discrimen ; quod aliqui semper obtinean-

tineantur, quando adest debita dispositio: alii verò non. Semper obtinentur illi, quos Eucharistia immediatè operatur; ut sunt augmentum gratiæ sanctificantis: gratiæ actuales: liberatio à venialibus. Non semper autem habentur illi, quos tantum causat mediatè, ut sunt præservatio à mortalibus, donum perseverantiæ, & adeptio gloriæ. Ratio est quod producit istos effectus mediantibus gratiis actualibus, quibus potest homo resistere; & reipsa sæpè resistit.

Ex dictis effectibus alii semper conferuntur debitè disposito: alii non; & unde hæc disparitas?

411. Non plus gratiæ confert Eucharistia sumpta sub utraque specie quam sub unica. Ita communius Theologi contra Alens. Vasq. Præp. Merat. Lugo &c. Prob. 1. ex Trident. sess. 21. cap. 3. ubi sic habet *fatendum etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quod fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt.* Quamvis enim non dicat absolutè nulla gratia eos defraudari: sed tantum nulla gratia ad salutem necessaria: nomine tamen gratiæ ad salutem necessariæ; non videtur intelligere eam quæ est absolutè necessaria: quia ea quæ in singulis Eucharistiæ sumptionibus recipitur, est tantum necessaria secundum quid, hoc est ad salutem certiùs & faciliùs consequendam: qualis etiam esset illa pars gratiæ qua privaretur recipiens Eucharistiam sub unica specie. Prob. 2. ex Concilio Moguntino celebrato anno 1549. ubi c. 32. dicitur non esse dubitandum, quin communio sub unica specie sit æquè utilis, & efficax ad salutem, quam sub utraque? 3. Quia si plus gratiæ conferretur per sumptionem Eucharistiæ sub duplici specie, quam sub unica, nunquam Ecclesia prohibuisset laicis communionem sub utraque; quia id prohibendo fecisset illis injuriam: privasset enim illos ea parte gratiæ, quam accepissent communicantes etiam sub altera. Id etiam suadet ratio quia cùm Christus integrè contineatur sub unica specie, & integrum Eucharistiæ sacramentum sub unica sumatur, non est cur minùs operetur sub unica quam sub gemina. Sicut non magis ope-

Nō plus gratiæ confertur sub utraque specie, quam sub unica.

Alioq; enim prohibitio sub utraque specie facta laicis, non videretur satis justa.

Et ratio est quod sub unica specie contineatur totus Christus.

ratur, cum quis binas hostias recipit pro unica.

Per unicam speciem habetur integra refectio spiritualis: quia sub uni ca id totum habetur, quod continetur sub duplici.

412. Dices 1. significatio sacramentalis quæ inest speciebus panis, diversa est ab ea quæ inest speciebus vini; illa enim significat refectionem animæ per modum cibi; hæc autem per modum potus: atqui ubi est diversa significatio sacramentalis, ibi est diversa Sacramenti operatio; cum sacramenta operentur id quod significant. Ergo &c. R. Refectionem significatam per speciem panis quidem esse diversam ex parte modi significandi, ab ea quæ significat per speciem vini: non esse tamen diversam ex parte rei per quam habetur ista refectio; cum sub utraque specie sit eadem res, videlicet Christus reficiens animam. Itaque æquè integra habetur refectio animæ per sumptionem Eucharistię sub unica specie, quam sub duplici; eo quod sub unica id totum accipiatur, quod sumitur sub duplici. Ex quo apparet disparitas inter refectionem corporalem & spiritualem; quod corporalis non habeatur integrè nisi per sumptionem cibi & potus, eo quod in cibo non contineatur potus, nec in potu cibus. Spiritualis autem fiat integrè per sumptionem cibi spiritualis, qui est Christus, ob rationem contrariam.

Sacerdos sumēs calicem non accipit novam gratiam ex opere operato.

413. Dices 2. Dum sacerdos sumit Sanguinem Christi vel accipit novam gratiam, & diversam ab ea, quam acceperat in sumptione Corporis; vel non. Si primum: ergo laici privantur ista nova gratia quam accipit Sacerdos in sumptione Sanguinis. Si secundum; ergo sumptio Sanguinis non est Sacramentum, cum proprium sit Sacramenti gratiam producere. Sacerdotem in sumptione Corporis sub specie panis totam gratiam accipere quæ datur ex opere operato vi hujus Sacramenti; sic tamen ut etiam conferatur propter sumptionem Sanguinis sub specie vini mox futuram. Quod igitur non conferatur nova in sumptione calicis non oritur ex eo quod ista sumptio non sit de se collativa gratiæ, cum revera sit Sacramentum, quod de se est collativum gratiæ; sed ex eo quod jam habitus sit ejus effectus.

414. Dices 3. Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ concedens illi facultatem communican-

di

di sub utraque specie, dicit se illi id concedere ad majus gratiæ augmentum: ergo, &c. R. Vel Pontificem loqui ut privatum Doctorem sequendo opinionem nostræ oppositam. Vel certe intelligendum esse de augmento gratiæ ex opere operantis ratione scilicet majoris devotionis, quam in Rege supponebat, in sumptione Eucharistiæ sub utraque specie.

Clemens VI. vel loquitur ut privatus Doctor, vel agit de augmento gratiæ ex opere operantis.

415. Necessarius est status gratiæ ad sumptionem Eucharistiæ. Est de fide 1. ex Apost. 1. ad Cor. 11. *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne judicium sibi manducat, & bibit.* 2. Ex Trid. sess. 13. cap 7. adferente in eum finem dictum Apostoli locum. 3. Ratione quia accedens in statu peccati gravem injuriam infert huic Sacramento frustrando illud effectu suo; & ipsi Christo cui infinite displicet peccatum.

Necessarius est status gratiæ ad sumptionẽ Eucharistiæ.

416. In eo qui sibi conscius est peccati mortalis per se loquendo non sufficit contritio, sed requiritur confessio. Est etiam de fide ex Trid. loco jam citato, ubi dicit Ecclesiasticam consuetudinem declarare verba illa Apostoli *probet autem seipsum homo*, &c. ita intelligenda esse, *ut nullus sibi conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa confessione sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

Non sufficit in peccatore cõtritio sed requiritur confessio.

Dixi *per se loquendo*: quia si urgeat necessitas communicandi, & desit copia confessarij, sufficit contritio. Ita expresse Tridentinum loco citato. Si tamen Sacerdos in tali necessitate celebraverit nõ confessus, tenetur postea, quamprimum poterit, confiteri. Ita etiam Trid. loco cit. cujus sunt hæc verba: *quod si urgente necessitate Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Idque præcipi sub mortali agnoscit communis DD. sensus. Et Alexander VII. in decreto suo dato 18. Martii 1666. damnat hanc propositionem, *mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum est consilium, & non præceptum*. Non videtur tamen hæc obligatio extendenda ad laicos in tali necessitate absq; præviæ confessione com-

Excipe nisi urgeat necessitas.

communicantes; cum præceptum hoc Tridentini sit onerosum,& comprehendat solos Sacerdotes sacrificantes; sitque specialis ratio pro illis,eo quod sæpe debeant aut soleant diebus etiã sequetibus celebrare

Non est necessaria actualis devotio ut communicãs recipiat augmentum gratiæ.

417. Non est necessaria actualis devotio ut communicans recipiat augmentum gratiæ habitualis; sed sufficit status gratiæ. Ita communiter cum S. Thoma: cujus sunt hæc verba q. 79 a 8. *effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel Charitatis sed etiam quadam actualis refectio spiritualis dulcedinis quæ quidem impeditur si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis*. Idque satis colligitur ex praxi Ecclesiæ, qua olim dabatur communio infantibus, utique cum fructu; cum tamen carerent actuali devotionem. Et ratio est quod Sacramenta causent gratiam ex opere operato.

Defectus tamen actualis deuotionis efficit ut minus sit illud augmentum.

418. Licet defectus actualis devotionis non impediat absolute augmentum gratiç habitualis,efficit tamen ut minus sit illud augmentum;quia ut docuimus agentes de Sacramentis in genere; sacramenta operantur plus aut minus gratiæ juxta perfectiorem aut imperfectiorem dispositionem subjecti;quod videtur maxime habere locum in hoc Sacramento.

Vt per hoc Sacramentũ remittantur venialia sufficit si absit omnis affectus erga illa.

419. Neque videtur requiri actualis devotio, ut per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia, sed sufficit ut absit actualis,& habitualis effectus erga illa. Ratio est quod istam etiam remissionem immediate causet ex opere operato. Ita etiam DD. communiter.

Necessaria tamen est actualis devotio ad percipiendũ fructum cęlestis cujusdam dulcedinis & spiritualis gaudij. Ratio est quod hic fructus oriatur ex sanctis cogitationibus, & pijs affectibus: utrumque autem impediatur per mentis distractionem.

Requiritur in communicante jejunium.

420 Ex parte corporis requiritur duplex dispositio ad sumptionem Eucharistiæ,altera necessitatis,ut scilicet communicans sit jejunus: altera decentię, ut non fuerit eo die pollutus. Prima pars constat tum ex Ecclesiastica consuetudine; quæ ab ipsis Apostolis

stolis manavit. tum ex varijs Concilijs in quibus id præcipitur: ut Cartag. 3. can. 29. Tolet. 7. can. 2. Constant sess. 13. & Trid. sess. 14. hujus præcepti hanc rationem seu congruentiam tradit Aug. epist. 118. *placuit spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur.*

421. Neque huic præcepto obest, ut objiciunt hæretici, quod Christus Eucharistiam, porrexerit discipulis suis post esum Agni Paschalis adeoque non jejunis: id enim fecit ad specialem rationem: ut scilicet prius figuram, hoc est cœnam Paschalem impleret; quam rem figuratam, hoc est, Eucharistiam institueret, intelligerentque discipuli cœnæ Paschali jam successisse Eucharistiam; ac proinde cœnam illam non amplius usurpandam. **Fuit specialis ratio cur Christus Eucharistiam porrexit discipulis non jejunis.**

422. Jejunium ad Eucharistiam requisitum debet esse naturale hoc est tale, ut à media nocte seu hora ejus 12. nihil prorsus sumptũ sit vel cibi, vel potus. Neque in hoc jejunio datur parvitas materię: unde quantulacumq; quantitas sumpta per modum cibi aut potus impedit sub mortali communionem. Est communis, & certa. Ad hoc autem ut aliquid sumatur per modum cibi aut potus requiritur, ut ab extrinseco trajiciatur in stomachum per comestionem aut potationem. **Hoc jejuniũ debet esse naturale.**

423. Ex quo resolves non violari jejunium naturale 1. si quid accipiatur in os, & non deglutiatur. 2. Si quid sanguinis è gingiva decidentis simul cũ saliva in stomachum trajiciatur. Idem censent varij de minutis quibusdam particulis pridiani cibi inter dẽtes hærentibus si simul cum saliva deglutiantur, præsertim si id fiat per inadvertentiam: si enim sensibiliter incidant in linguam, expuendæ sũt. 3. Si tam modica sit quantitas liquidi in os injecti ut absq; saliva non possit in stomachum trajici, sed tantum simul cum illa per modum unius trajiciatur, ut v. gr. guttula aquę inter abluendum os. E contra vero violari jejunium si saccharum, si glycirthiza aut quid simile, quod sẽsim in ore liquescit, simul cum saliva paulatim in stomachum descendat; quia quod sic liquescit **Quandonam non violetur naturale jejunium.** **Quod sensim in ore liquescit, & simul cum saliva trajiciatur violat jejunium naturale.**

non

non potest censeri per modum salivæ deglutiri; sed esse id quod principalius trajicitur.

Variis casibus licitum est Eucharistiam sumere soluto jejunio.

324. Petes 1. quibus casibus liceat non jejuno sumere Eucharistiam? R. Sequentibus; 1. in articulo mortis per modum viatici, idque sive mors immineat ex morbo, aut vulnere, aut veneno, aut sentētia judicis. Expectandum tamen tempus quo æger, aut læsus sit jejunus, si mortis periculum sit adhuc satis remotum, idque fieri possit absque notabili ægri, aut læsi aut parochi incommodo. Et omnino servandum est in morti addicto, quando non urget sententia judicis 2. Si nemo sit jejunus, & Eucharistia statim consumenda sit, neg. v.g. prophanetur ab hæreticis aut infidelibus subito irruentibus. 3. Si urgeat necessitas perficiendi Sacrum, ut si celebrans post consecrationem deficiat, nec adsit Sacerdos jejunus qui sacrificium perficiat. 4. Si pro speciebus vini sumpsit aquam: tunc enim debet vinum calici infundere, illudque consecrare ac sumere. 5. Si post consecrationem recordetur se non esse jejunum. 6. Si post sumptam ablutionem reperiat in patena vel corporali aliquas hostiæ particulas, &c.

Nō licet Sacerdoti non jejuno celebrare ad dādum viaticum.

425. Petes an possit Sacerdos non jejunus celebrare ad dandum viaticum moribundo? R. Neg. Sicut enim in eum finem non licet ei consecrare fermentatum, aut celebrare absq; vestibus sacris; ita nec soluto jejunio; cum præceptum jejunij non videatur minus grave quam sit præceptum azymi, aut sacrarum vestium. Ita communius DD. ratio est quod sumptio Eucharistiæ non sit absolute necessaria ad salutem moribundi.

Æger sumpto viatico non debet postea facile communicare non jejuno.

426. Petes 3. an possit æger sæpius in eodem morbo communicare non jejunus? R. Si post 7. aut 8. dies à sūptione viatici redeat aut perseveret mortis periculum posse iterum moribundo non jejuno dari Eucharistiam per modum viatici absque tamen solemnitate. Ita communiter DD. imo varii apud Dianam tract. 4. resol. 195. censent ad id sufficere intervallum 3. aut quatuor dierum. Quin etiam Laiman, & ConincK putant crescente morbo posse sequenti die iterum sumi Eucharistiam à non jejuno.

In

In praxi tamen curandum est, ut quantum fieri potest, non aliter æger quam jejunus Eucharistiam accipiat post sumptionem viatici, maxime fit ab hac sumptione unus tantùm aut alter dies fluxerit: quia id videtur conformius praxi Ecclesiæ.

§. V.

De Præcepto Communionis.

427. IVre divino tenentur fideles baptizati utentes ratione aliquando communicare, Patet ex his Christi verbis, *nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. Ac proinde tenentur comparare sibi instructionem ad id necessariam, & eis illam dare aut procurare qui curam illorum gerunt.

Iure divino tenentur fideles aliquando cõmunicare.

Hoc præceptum obligat illos in articulo mortis. Est communis, & certa. Ratio est quod Eucharistia instituta sit in viaticum salutis: ergo tũ maxime sumenda est, quando de hac vita exeunda est. Vide canonem *de his* causa 26 q.6. per articulum mortis hic intelligitur quodcumq; mortis imminentis periculum, sive oriatur ex morbo, sive ex conflictu, sive ex periculosa navigatione.

Hoc præceptum urget in articulo mortis.

428. Obligat etiam eosdem fideles ad aliquoties in vita communicandum. Ita DD. communiter. Ratio est quod Eucharistia instituta sit per modum cibi spiritualis quo anima nutriatur, & confortetur. Quæ autem dilatio sufficiat ad mortale, attendendo præcisè ad præceptum divinum, nõ facile est definire. Communius DD. putant non posse differri ad 3. aut 4. annos absque hujus præcepti violatione.

Et obligat ad cõmunicandum aliquoties in vita.

429. Præter præceptum divinum extat etiam Ecclesiasticum, quo fideles omnes baptizati, cum ad annos discretionis pervenerint, obligantur ad communicandum semel in anno, idque in Paschate. Ita statutum est *cap. omnis utriusque sexus de Pœnit. & remiss.* & in Trid. sess. 13. can. 9.

Præcepto ecclesiastico tenentur fideles cõmunicare semel in anno idq; in Paschate.

430. Petes 1 quandonam censendi sint incipere anni discretionis in ordine ad propositum. R. censeri incipere, quando in fideli sufficiens est usus rationis ut possit discernere inter panem communem, & Eucha-

charifticum. Quia verò id ferius aut citiùs in diverfis accidit, ideoque non poteft affignari determinatus aliquis annus; à quo incipiat obligatio communicandi. In praxi ftandum eft judicio Parochi aut confeffarii.

Quos dies comprehendat tempus Pafchale in ordine ad cômunionē annuam.

431. Petes 2. quot dies comprehendat tempus Pafchale refpectu hujus præcepti? R. Comprehendere 15. dies à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclufivè. Varijs tamen locis, five ex privilegio, five ex confuetudine fatisfieri poteft huic præcepto à media quadragefima, vel etiam ab ejus initio, quod in Belgio frequenter cōceditur militibus.

432. Petes 3. ubi nam fit facienda communio Pafchalis? R. Faciendam in propria Parochia, & fumendam de manu proprij Sacerdotis; vel alterius ab illo deputati. Excipe 1. Sacerdotes, qui fatisfaciunt, ubicumque celebrent. 2. Peregrinos, & vagabundos, qui etiam fatisfaciunt communicando in quovis templo, cum nullius fint Parochiæ.

Qui intra tēpus Pafchale non implevit præceptum communionis annuæ tenetur poftea illud implere.

433. Petes 4. an qui intra tempus Pafchale non implevit præceptum communionis annuæ, maneat liber ab hac obligatione refpectu iftius anni? Refp. Neg. ità communius DD. ratio eft quod Ecclefia præcepto fuo duo præfcribat: primum eft, vt quilibet fidelis femel in anno communicet. Alterum, ut id fiat in Pafchate. Pofterior obligatio ceffat elapfo tempore Pafchali; quia tunc impletio ejus facta eft impoffibilis. Prior autem, quæ principaliter ab Ecclefia intenditur, perfeverat, cum adhuc poffit impleri. Si quis tamen ante tempus Pafchale communicaffet in fua parochia; maneret liber, quia jam impleffet præceptum quoad fubftantiam, & circumftantiam loci. Circumftantia autem temporis Pafchalis non eft amplius in ejus poteftate.

Qui tempore Pafchalis nō communicarunt in propria Parochia tenentur poftea illic cômunicare.

434. Petes 5. an qui nec antea nec tempore Pafchali communicavit in propria parochia, teneatur poftea quamprimum poteft moraliter; illic communicare? R. Affir. Ita communius DD. ratio eft quod videatur Ecclefia determinaffe Pafcha non tamen propter folemnitatem: fed etiam ne nimium differatur communio. Idque confirmatur ex eo quod foleant

leant excommunicari, qui non communicaverint in Paschate, nisi postea quamprimum communicent. Ly tamen quamprimum debet accipi cum aliqua latitudine.

435. Petes 6. an qui prævidet se tempore Paschali non habiturum opportunitatem communicandi, teneatur prævenire? R. 1. certò teneri si prævideat se etiam reliquo anni tempore cariturũ ista opportunitate. 2. Videri etiam probabilius teneri licet putet non defuturam postea occasionem, prȩsertim si hȩc remotior appareat à Paschate. Ratio est, quod Ecclesia videatur ex parte determinasse tempus Paschale ne communio nimium differatur. Dixi *præsertim*, &c. quia si videret brevi se post Pascha habiturum opportunitatem, posset expectare. Tenetur prævenire qui providet se postea impediendum.

436. Petes 7. an qui tempus Paschale prævenit teneatur denuo communicare, si postea possit communicare in Paschate? R. Cum communi affirm. quia talis non satisfecit præcepto communicandi in ipso Paschate, & jam potest illi satisfacere.

437. Petes 8. an per communionem sacrilegam, hoc est, factam in statu peccati mortalis satisfiat divino præcepto de sumenda Eucharistia? R. Neg. Ita Durand. Capreol. Adrian. Barthol. de Ang. Nagn. Sylv. Amic. Gonet. &c. contra Vasq. Suar. Con. Lug aliosque communius: quorum tamen plerique tantum generatim affirmant per communionem sacrilegam satisfieri præcepto de sumenda Eucharistia non distinguentes inter præceptum divinum, & Ecclesiasticum: & de hoc postremo videntur tantum intelligendi. Non satisfit divino communionis præcepto per communionem sacrilegam.

438. Prob. 1. Quando Legislator declarat finem, quem præcepto suo intendit, & propter quem rem prȩcipit, non satisfacit ejus præcepto, qui sic implet, ut finem prȩcepti destruat; quia tunc non sola res præcepta est, sed etiam finis. Atqui Christus præcipiendo sumptionem Eucharistiæ declaravit finem quem intendit, & propter quem illam præcepit, & per communionem sacrilegam destruitur finis ille: ergo &c. Prob. min. quia Ioan. 6. asserit carnem suam esse spiritualem animæ cibum: *Caro mea verè* Non satisfit præcepto quando finis & modus cadens sub prȩceptum non servatur.

est

est cibus: & quidem ab omnibus manducandam ad habendam, & conservandam: *Nisi* inquit, *manducaveritis carnem filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*. Quod Tridentinum sess. 13. cap. 2. explicans ait: *sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius; qui dixit, qui manducat me, & ipse vivet propter me, &c* Atqui per communionem sacrilegam evertitur hic finis, ut manifestum est: ergo, &c.

Non est censendus servasse præceptum quando quis fit reus malè ponendo rē præceptam.

439. Prob. 2. quando non tantum res præcepta est, sed etiam modus quo debet fieri, non satisfit præcepto, quando res ponitur alio prorsus modo quam sit præcepta: atqui sumptio Eucharistiæ præcepta est, ut sumenda tali modo nempè in statu gratiæ juxta illud 1. ad Cor. 11: *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* sumitur autem modo prorsus opposito; quando sumitur in statu peccati: ergo, &c.

440. Prob. 3. non est censendus implevisse præceptum, qui sic rem præceptam posuit, ut reus sit debeatque puniri ob rem sic positam: atqui communicans in statu peccati juxta Apost. loco cit. constituitur reus Corporis, & Sanguinis Christi: ergo, &c.

441. Dices 1. datur duplex præceptum divinum de Eucharistia, unum positivum de illa sumenda: alterum negativum de illa non indignè sumenda: atqui dici potest quod per communionem sacrilegam satisfiat præcepto positivo; licet non satisfiat negativo: ergo &c. R. præceptum positivum includere negativum, eo quod sit de sumenda Eucharistia tali modo, nempe in statu gratiæ: & in ordine ad talem finem, videlicet ad alendam, & conservandam vitam animæ. Hic autem modus, & finis excludit sacrilegam sumptionem: ac proinde involvit præceptum negativum de Eucharistia non sumenda indignè.

Nō est iusta comparatio inter Baptis. mum, & Eucharistiam

442. Dices 2. qui recipit Baptismum in statu peccati, satisfacit præcepto divino de Baptismi receptione; licet non obtineat finem propter quem præceptus est, nec recipiatur, eo modo; quo debet: ergo similiter qui recipit Eucharistiam in statu peccati,

R. Neg.

R. Neg. conſ. diſparitas eſt. 1. Quod Baptiſmus ſit initerabilis, ac proindè non potuerit ſic præcipi, ut modus recipiendi caderet in ſubſtantiam præcepti; alioqui enim qui ſemel indebito modo Baptiſmum recepiſſet, nunquam poſſet præceptum hoc implere: ſumptio autem Euchariſtiæ ſit iterabilis. 2. Quod receptio Baptiſmi in ſtatu peccati habeat nihilominus aliquem effectum propter quem præcepta eſt: imprimit enim characterem, & recipientem efficit membrum Eccleſiæ. At Euchariſtia indignè recepta nihil finis obtinet, propter quem præcipitur 3. Quod licet Baptiſmus in ſtatu peccati receptus non operetur tunc regenerationem animæ propter quam inſtitutus eſt; poſſit tamen poſtea reviviſcere & hunc effectum operari. At Euchariſtia indignè ſumpta, nec tunc aſſequitur finem ſuum, nec poſtea; cum nunquam reviviſcat: abſurdum enim eſſet huic ſacramento tribuere reviviſcentiam: inde enim ſequeretur quotidiè communicantem ſacrilegè, ſi ſub finem vitæ pœnitentiam ageret; recepturum augmenta gratiæ ſingulis communionibus ex opere operato reſpondentia: ac proindè talem evaſurum ſubitò valdè ſanctum propter plurima ſacrilegia priùs commiſſa; & eo ſanctiorem, quo plura admiſiſſet ſacrilegia. Quod ſanè per abſurdum & falſum eſt.

hoc ad impletionem præcepti.

Non poteſt reviviſcentia tribui Euchariſtiæ.

443. Dices 3. modus actionis præceptæ non cadit in præceptum: ſed quod communio fiat in ſtatu gratiæ aut peccati ſpectat ad modum communionis ergo, &c. R. diſt. ma. modus actionis præceptæ non cadit in præceptum, ſi præcepto non exprimatur, nec ſit neceſſarius ad finem præcepti, Conc. ſi exprimatur præcepto, vel ſit neceſſarius ad finem præcepti, prout accidit in caſu noſtro, nego.

Quandonam modus actionis præceptę cadat in pręceptum.

444. Neque per communionem ſacrilegam ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico de annua communione. Ita Authores ſup cit. dempto Amico, qui licet nobiſcum ſentiat reſpectu præcepti divini; diſſentit tamen reſpectu præcepti Eccleſiaſtici:

Neque per communionem ſacrilegam ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico.

Prob. 1. quia præceptum Eccleſiaſticum de Euchariſtia in Paſchate recipienda, eſt determinatio præcepti Divini in definito tempore ad ſumptionem Eu-

charistiæ obligantis: ergo sicut præceptum divinum est de Eucharistia fructuosè sumenda; ita & Ecclesiasticum. 2. quia etiam Ecclesia in præcepto suo expressit modum excludentem communionem sacrilegam: capitulo enim *omnis utriusque sexus* de pœnit. & remis. præcipit ut quisque; *suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*: & Tridentinum sess. 13. cap. 7. *Cavere* inquit, *debet ne absque magna reverentia & sanctitate accedat*. Atqui recipiens Eucharistiam in statu peccati, non recipit illam reverenter & cum sanctitate: ergo &c. 3. quia Ecclesia præcipiens sumptionem Eucharistiæ pro fine proximo intendit spiritualem animæ refectionem ac vitam: hùncque finem expressit Trid. sess. cit. cap. 8. atqui finis proximus, quem intendit legislator, cadit in præceptum, præsertim si illum exprimat: ergo &c. 4. quia leges præcipientes aliquem actum intelligendæ sunt de actu valido, & sortiente effectum suum, ut erudite ostendit D. du Bois in annotatione ad propositionem 14. Ab Alexandro VII. damnatam, multis in eum finem citatis juribus. Et ratio est quod leges primario spectent utilitatem; ac proindè non sint censendæ imperare actus irritos, & inutiles. Vndè sicut ab Alexandro VII. merito damnata fuerat hæc præpositio, *qui facit confessionem, voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*: ita & hæc, *præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, meritò etiam damnata est ab Innocentio XI. anno 1679. 2. Martii.

Ecclesia præcepto suo expressit modū sumendi, & finem quem intendit.

Leges non præcipiunt actiones inutiles.

445. Dices 1. Ecclesia non potest, aut saltem non solet præcipere actus internos: atqui status gratiæ est aliquid merè internum: ergo &c. R. Ecclesiam non quidem directè præcipere actus internos: in multis tamen indirectè id facere, in quantum necessarii sunt ut actio externa debito modo fiat, & in ordine ad finem quem intendit.

Potest Ecclesia indirectè præcipere actus internos.

Dices 2. alia præcepta Ecclesiastica possunt impleri per actum peccaminosum; ut si quis v.gr. audiat sacrum, jejunet ex prava intentione: ergo &c. R. dist. ant. alia præcepta Ecclesiastica impleri possunt per actum peccaminosum, si actus peccaminosus non

destruat finem præcepti Conc. si destruat finem nego. Iam autem in exemplis allatis licet per pravam intentionem vitietur auditio sacri & jejunium; non tamen per eam impeditur finis proximus utriusque præcepti. Is enim in præcepto de Missa audienda est cultus divinus exurgens ex attenta & reverenti auditione sacri. In præcepto autem jejunii est maceratio corporis. Neuter autem finis impeditur per pravam intentionem. At in nostro casu per statum peccati impeditur finis proximus ob quem communio ab Ecclesia præcipitur.

Quando nam per actū peccaminosum impleri possunt præcepta Ecclesiastica.

447. Dices 3. qui recipit Eucharistiam in statu peccati, verè recipit Sacramentum Eucharistiæ: atqui Ecclesia nihil aliud præcipit, quam ut recipiatur Sacramentum Eucharistiæ: ergo &c. R. dist. major. verè recipit Sacramentum Eucharistiæ, & eo modo quem exigit Ecclesia ad finem intentum: nego. Sed modo prorsùs opposito & evertente finem præcepti: Conc. non potest autem satisfieri præcepto per actum eo modo positum, quo tollitur finis proximus præcepti.

Recipiēs Eucharistiam in statu peccati evertit finem præcepti.

448. Non est jure Divino laicis præcepta communio sub utraque specie: est de fide contra Hussitas aliosque hæreticos. Prob. 1. ex Ioan. 6. ubi Christus promittit vitam æternam sumentibus Eucharistiam sub sola specie panis. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*. Et iterum *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita &c.* Et videtur ipsemet discipulis euntibus in Emmaus porrexisse Eucharistiam sub sola specie panis. 2. ex variis Conciliis. Const. sess. 13. Basil. sess. 3. & Trid. sess. 21. cap. 1. & can. 1. 3. ex Traditione in sensu Ecclesiæ, quæ tale præceptum nunquam agnovit; sed oppositum sæpiùs in praxi primis etiam sæculis usurpavit. Nam pro ægris asservabatur sub sola specie panis, ut constat ex Eusebio lib. 6. Hist. Paulino, Amphilochio & aliis apud Bellarm. & ita præscriptum fuit in Conc. Nic. can. 13. cujus praxis hæc ratio videtur, quod species vini non possint diu servare absque corruptione. Deindè primis sæculis fervente persecutione solebat post sacrificium Christianis tradi Eucharistia sub sola spe-

Communio sub utraque specie non est jure divino laicis præcepta.

Primis Ecclesiæ seculis sæpè etiam communio fiebat sub sola specie panis.

cie panis domum deferenda, ut illam sumerent opportuno tempore, ac maximè cum fidei professio facienda erat coram Tyrannis, ut se ad constantiam animarent; ut testantur Tertullianus, Cyprianus, Clemens, Alexander, Basilius, Hieronymus, & alii apud eundem Bellarm. denique antiquissimus est ritus ille quo in die parasceves Sacerdos accipit Eucharistiam sub sola specie panis pridiè consecrati: hujus enim ritus meminit Innocentius I. qui vixit Augustini tempore.

Verba ista Christi, *bibite ex hoc omnes* diriguntur ad solos Apostolos.

449. Dices 1. videtur Christus Matt.26. etiam præcepisse sumptionem Eucharistiæ sub specie vini his verbis: *Bibite ex hoc omnes*. Et Ioan.6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & Apost.1. ad Cor.11. ait *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. R. prima Christi verba dirigi ad solos Apostolos quos tunc alloquebatur, ut manifestum est ex ipso textu. Secundis autem non præcipi sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie; sed sumptionem carnis & Sanguinis Christi: verè autem sub sola specie panis utrumque sumitur, cum Sanguis etiam contineatur sub specie panis. Verbis autem Apostoli non præcipitur sumptio calicis sed tantum declaratur cum qua dispositione sumi debeat ab iis qui illum bibunt.

Explicatur quomodo intelligendus sit Gelasius Papa relatus can. comperimus de cō. secr. dist. 2.

450. Dices 2. Gelasius Papa relatus can. *comperimus* de consecr. dist. 2. reprehenso quorundam more qui sumpto corpore Christi à calice abstinebant; ait *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*, ergo &c. Respondet S. Th. q. 80. a. 1. cum glossa antiqua in dictum canonem, Pontificem intelligendum esse de sumptione Eucharistiæ respectu sacerdotum; *qui*, inquit, *sicut totum consecrant sacramentum; ita etiam toti communicare debent*. Quia tamen videtur Pontifex etiam laicos comprehendere. R. cum Bellarm. fuisse tunc ab Ecclesia præceptam communionem sub utraque specie; idque in odium hæresis & superstitionis Manichæorum qui à calice abstinebant, quod originem vini,

vini, ut rei perniciosæ, dæmoni tribuerent. Abstinere autem à sumptione calicis propter hanc rationem, & contra præceptum Ecclesiæ, revera grande erat piaculum. Neque tamen censenda est Ecclesia præcepisse tunc sumptionem calicis, tanquam aliquid necessarium ad integritatem Sacramenti; cum certum sit sub specie panis contineri etiam Sanguinem: sed tanquam convenientem tum contra dictam hæresim; tùm etiam ad distinctius repræsentandam passionem, & mortem Christi, cujus memoriale est Sacramentum Eucharistiæ; nihilominus sub unica specie id adhuc sufficienter præstat, cum vi verborum sub ea ponatur solum Christi Corpus, ac proindè modo velut mortuo.

Fuit tunc ratio specialis præcipiendi communionē sub utraque specie.

451. Dices 3. Eucharistia instituta est per modum convivii spiritualis; sed ad rationem convivii pertinet non tantum cibus sed etiam potus: ergo &c. R. Eucharistiam sub unica specie habere rationem cibi & potus; cum sub unica contineatur corpus & sanguis Christi.

Eucharistia sub sola specie panis habet rationem cibi & potus.

452. Iustas ob causas Ecclesia prohibuit laicis usum calicis: videlicet 1. Ob periculum effusionis, si in magno concursu communicantium calix omnibus præberetur pueris, rusticis &c. 2. Ob periculum corruptionis, si vini species asservarentur pro communione laicorum. 3 Vt haberetur uniformitas communionis respectu omnium, quæ vix haberi poterat cum usu calicis, cum variis in locis, in quibus vinum ratum est, ægrè haberi possit pro omnibus: & præterea non pauci sint, qui vinum non ferunt. 4. Vt aboleretur hæresis asserentium sumptionem utriusque speciei esse juris Divini. 5. Denique ut per hoc magis declaretur totum Christum sub utraque specie continere.

Ecclesia justas habuit causas prohibendi laicis communionem sub utraque specie.

453. Dices 1. si istæ rationes essent validæ debuisset etiam Ecclesia primis sæculis id prohibuisse. R. varias rationes ex allatis non habuisse tunc locum; tum quia non erat tanta multitudo fidelium; nec adhuc exorta fuerat prædicta hæresis. Tum quia successu temporis varia acciderunt, quæ ma-

nifestarunt non expedire, ut laici calicem sumant.

Pro hac prohibitionem nulla fit injuria fidelibus.

454. Dices 2. Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, & sub utraque illud reliquit fidelibus: ergo injustè privantur laici altera specie. R. Christum reliquisse fidelibus Corpus & Sanguinem suum, seque totum sumendum, vel sub utraque specie, vel sub unica juxta Ecclesiæ determinationem; Ecclesiam autem nullam fecisse injuriam fidelibus subtrahendo laicis speciem vini, eo quod sub specie panis contineatur totus Christus, nec plus gratiæ conferatur per sumptionem utriusque speciei quam unius tantum.

Usus calicis permittitur Græcis.

Petes 1. an usus calicis prohibitus sit omnibus omnino fidelibus. R. neg. nam græci possunt nunc etiam uti calice, & de facto utuntur Romæ in Ecclesia proprii ritus. Potestque dari casus in quo id etiam licitè fiat apud Latinos; ut si post consecrationem calicis irruentibus hæreticis aut infidelibus Sacerdos aufugiat, aut deficiat: potest enim minister, aut alius quivis laicus existens in gratia sumere calicem ad vitandum prophanationis periculum.

Non licet ægro dare viaticum sub specie vini.

Petes 2 utrum in articulo mortis possit viaticum dari sub specie vini, si æger non possit illud sumere sub specie panis? R. neg. ita communiter DD. nec alia hujus rei ratio quærenda est quam contraria praxis Ecclesiæ.

§. VI.

Missa Sacrificium.

Missa est verum legis novæ sacrificium.

455. IN *Missa offertur Deo verum, & proprium Sacrificium.* Est de fide ex Trid. sess. 22 can. 1. verbis jam allatis definiente hanc veritatem contra modernos hæreticos, nullum legis Evangelicæ Sacrificium agnoscentes, præter illud cruentum à Christo in ara crucis oblatum.

Prob. 1. ex variis Scripturis.

456. Prob. 1. ex Scrip. Malach. 1. ubi reprehensis antiquis sacerdotibus, quod Sacrificia polluta offerrent, promittitur offerenda. *In gentibus & in omni loco oblatio munda*, quæ ut loquitur Trid. sess. 22. can. 1.

Nulla

Nulla offerentium indignitate aut malitia inquinari potest, id est ut apud Bellarm. interpretantur Tertull. Iren. Aug. Damasc. & Trid. loco jam cit. Eucharistiæ Sacrificium. Daniel. 8. & 12. v. 11. ubi prædicitur Antichristus ablaturus *juge Sacrificium* nempè Christianorum, quod proindè supponitur tunc futurum. Psal. 109. & ad Hebr. 5. & 7. ubi juxta Ambr. Hier. & alios PP. apud Bellar. Christus dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech ob convenientiam sui sacrificii cum hujus Sacrificio in pane & vino. Et 1. ad Cor. 10. v. 21. ubi *mensa Domini*, de qua fideles participant, opponitur *mensæ Dæmoniorum*: id est, altari in quo falsis Diis sacrificatur.

457. Prob. 2. ex variis Conciliis Laod. Tol. Later. Constant apud Bellar. & nominatim ex Trid. sess. 22. can. 6. ubi dicitur anathema ei qui negaverit in missa offerri Deo verum & proprium sacrificium. Item ex unanimi PP. consensu & antiquissimis lyturgiis Iac. Marp. & aliorum apud eumdem Bellar.

Prob. 2. ex variis concilijs & unanimi PP. consensu.

458. Prob. 3. Ratione: quia sacrificium strictè & propriè est oblatio externa substantiæ sensibilis per ejus realem immutationem facta Deo, ad agnitionem supremi ejus Dominii, in hoc præcipuè, quòd sit author vitæ & necis. Atqui hæc omnia conveniunt Missæ, in ea enim offertur Deo, corpus & sanguis Christi, quæ sunt sufficienter sensibilia per species consecratas. Et vi verborum ponitur solum corpus sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini, ac proinde modo quodam mortuo, & vitæ Christi velut destructivo: hæcque oblatio fit in agnitionem supremi ejus dominii: ergò &c.

Prob. 3. ratione quia missæ conveniunt omnes conditiones ad sacrificiũ requisitæ.

Confir. quia Sacrificium est actus religionis nobilissimus, quo non decuit Christi Ecclesiam carere.

459. Cum Ioan. 4. significatur Christianos adoraturos Deum in Spiritu & veritate, non excluditur adoratio per Sacrificium Missæ, sed prænunciatur & dicitur futurum spirituale & æternum respectu veterum carnalium & Eucharistiæ figurativorum.

460. Per id quod habetur ad Heb. 7. solum significatur, quod Christus sit unicus legis novæ Sacerdos, sc. principalis nullum habens successorem cum

eadem authoritate, & c.9. quod sit unicum Sacrificium cruentum semel tantum in cruce oblatum infiniti valoris, adeòque numquam iterandum. Item quod sit unica hostia & oblatio ex parte rei oblatæ. Cum quibus stat esse plures Sacerdotes vicarios, plures oblationes ex parte actionis offerendi, plura Sacrificia incruenta, absque ulla cruenti injuria, cum non offerantur ut suppletiva ejus insufficientiæ: sed ut illius rememorativa, & ex Dei ordinatione valoris ejus infiniti applicativa. Ex quibus patet quo sensu ibidem c. 10. dicatur: *una enim oblatione consummavit in sempiternum Sanctificatos.*

Sacrificium Evāgelicum dicitur verū & spirituale respectu veterum carnalium, & figurativorum.

461. Non obstat quo minus Eucharistia sit sacrificium, ex eo quod sit testamentum & sacramentum: hæc enim omnia possunt ei convenire sub diversa consideratione. Est itaque sacramentum; quatenus est signum visibile gratiæ invisibilis. Testamentum verò; quatenus est instrumentum authenticum Divinæ voluntatis, & promissionis vitæ æternæ. Et deniq; sacrificium; quatenus Deo offertur modo supra explicato in agnitionem supremi ejus dominii.

Explicantur quædā Scripturæ loca ab hæreticis objecta.

462. Ex eo quod Eucharistia sit repræsentatio sacrificii crucis non rectè infertur, quod non sit sacrificium: utrumque enim potest simul ei convenire, ut sacrificiis, quæ simul erant repræsentationes & figuræ futuri Sacrificii Crucis, & vera Sacrificia.

Eucharistia simul est sacrificium, sacramentum & testamentum.

In sacrificio cruento debet quidem hostia occidi; sed non in sacrificio incruento, quale tantum est Missæ sacrificium.

Est simul repræsentatio sacrificii & sacrificium.

463. Difficilius est ostendere quomodo in hoc sacrificio interveniat sufficiens hostiæ immutatio requisita ad rationem sacrificii per quam hostia Deo immolanda aliquo modo destrui debet in ejus honorem. Dicendum tamen hanc immutationem sufficienter etiam hic intervenire: 1. quia intervenit realis mutatio saltem circa rem ex qua sit res oblata, videlicet circa panem & vinum, quæ convertuntur in corpus & sanguinem Christi. 2. Ipsam etiam rem oblatam videlicet ipsum Christum aliquo modo realiter immutari & velut annihilari, in quantum accipit novum existendi modum, qui talis est, ut videtur

Est tātum sacrificium incruentum intervenit in hoc sacrificio sufficiens hostiæ immutatio.

detur tendere ad Christi annihilationem; cum vi illius redigatur ad punctum. Adde Corpus Christi poni sub specie panis modo quodam mortuo; cum vi verborum non ponatur illic sanguis: ut adhuc infra magis explicabitur.

464. Quod principaliter & per se in hoc sacrificio offertur est Corpus & Sanguis Christi; non quidem sub propria specie, cùm sic non attingantur per actionem consecrandi; sed prout existunt sub speciebus panis & vini. Prob. quia directè & per se ponuntur vi verborum sub speciebus panis & vini, sub quibus habent rationem hostiæ Deo oblatæ, ut patet ex Trid. sess. 22. c. 1. & præsertim 2. ubi habetur: *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. — Principale oblatum est Christi Corpus & Sanguis.

Non tantum offertur in sacrificium corpus & sanguis Christi sed etiam totus ipse Christus: id enim docet Trident. sup. his verbis: *Idem Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit*. — Imò & totus Christus.

465. Quod attinet ad species videtur probabilius illas non pertinere ad hoc sacrificium, tanquam partem rei, quæ offertur; sed solùm tanquam id sub quo hostia offertur, & per quod sacrificium sensibile redditur. Item substantiam panis & vini non pertinere ad hoc sacrificium, tanquam materiam, quæ sit res oblata, sed solum tanquam materiam ex qua transeunte & destructa fit res oblata, & sine qua non fieret consecratio & conversio. Prob. ex Trid. sup. docente eandem hostiam in hoc sacrificio offerri, quam olim Christus in ara Crucis obtulit. Quod non esset verum saltem adæquatè si species essent pars sacrificii incruenti. — Species non sunt pars rei oblatæ in sacrificium.

466. Itaque licet species pertineant intrinsecè ad rationem Sacramenti Euchar. eo quòd sint pars signi sensibilis, tanquam per se significantes: non tamen pertinent intrinsecè ad rationem rei oblatæ, quia non sunt pars substantiæ sensibilis oblatæ, tanquam aliquid per se oblatum, & ipsa oblatione immutatum. — Quare potiùs pertineant ad rationem sacramenti quam sacrificii.

467. Cum

467. Cum igitur PP. significant sacrificium Euchar. convenire cum sacrificio Melchisedech in materia, sc. pane & vino; vel agunt de materia transeunte ex qua fit res oblata: vel Christi corpus & Sanguinem vocant panem & vinum ratione specierum panis & vini sub quibus existit, & quæ solæ apparent. Atque ex his satis constat quid sit Eucharistiæ sacrificium sumptum objectivè pro re oblata.

In quo consistat sacrificium sumptum formaliter pro actione offerendi.

468. Si autem accipiatur formaliter pro ipsa actione offerendi & sacrificandi: videtur primo dicendum non consistere in oblatione vocali sive præcedente, sive consequente consecrationem; quia hæc oblatio non est à Christo, sed ab Ecclesia, & in qua non semper fuit. Neque in elevatione & positione super altare, ob eandem rationem. Neque in mixtione aut fractione; quia mixtionem Christus non adhibuit; fractionem verò non fecit, nisi ad usum distributionis, & veriùs ante consecrationem: neque in distributione, quia Trid. sess. 22. can. 8. definit Missas privatas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, esse licitas; quod esse non posset, si distributio esset de essentia Sacrificii. Non denique in communione Sacerdotis; quia debet consistere in actione, quam Sacerdos facit in persona Christi per potestatem directè acceptam vi ordinationis, & per quam Sacerdos non aliquid accipit, sed Deo offert, qualis, ut patet, non est communio Sacerdotis.

Dicendum consistere in consecratione.

469. Quare dicendum est consistere essentialiter adæquatè in ipsa consecratione, & quidem in ea præcisè spectata ut est positio Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini vi verborum. 1. Pars est D. Th. q. 42. a. 4. ad 1i. & aliorum communiter.

Adferantur variæ rationes propter quas consistit in consecratione.

Probatur 1 ex PP Iren. Cyrill. Ambr. & aliis apud Vasq. & Lug. non solùm apertè docentibus immolationem, seu sacrificationem consistere in consecratione; sed etiam significantibus rationem Sacrificii perfectam esse ante manducationem, ut expressè Greg. Niss. orat. 1. de resurrect. Christi. 2. Quia sola consecratio est aptissima ad significandum ipso factu Deum esse authorem vitæ & mortis, seu existentiæ & non

non existentiæ rerum omnium, quatenus per illam fit illa cõversio adeo mirabilis, qua Christus accipit esse sacramentale, quod ante non habebat; idque per realem immutationem aliquo modo destructivam, ut supra explicatum est. 3. Quia sola consecratio est maximè expressa significatio Sacrificii Crucis, quatenus per eam ex vi verborum seorsim ponitur sub specie Corpus Christi velut occisum, & sub specie vini sanguis velut effusus: unde hæc separatio, quantum est ex vi verborum, à PP. & DD. passim dicitur mystica Christi mactatio, & immolatio.

470. Prob. etiam 2. pars quia in ea sic sumpta reperitur vera hac realis immutatio hostię, nec productiva tantùm, sed (quod ex communiori conceptu est de essentia Sacrificii) etiam aliquo modo destructiva, quatenus per eam Christus non solum immolatur mysticè per separationem sanguinis à corpore vi verborum: sed etiam physice ac realiter ponitur sub speciebus modo quodam mortuo, inepto ad suas functiones naturales, & ordinato ad destructionem; cum ibi ponatur per modum cibi, & potiùs ordinati ad consumptionem, eoq; fine, & consumptis ac corruptis speciebus ibi esse desinat: quæ destructio licet non sit perfecta, & physica, sed solùm imperfecta, & moralis, sufficit tamen ad rationem sacrificii, ut patet ex libamine, quo vinum olim libari, & consecrari solebat, non per destructionem physicam, sed per moralem, id est, per effusionem in terram, qua vinum morali judicio censebatur destructum; quia factum inutile ad humanos usus 2. Quia consecratio vi institutionis suæ hanc mutationem facit ad Dei cultum, & potestatem supremi ejus dominij in omne esse, & non esse rerum creatarum, idque in rememorationem cruenti crucis sacrificij, quatenus eã facit vi verborum de se separativorũ Sanguis à Corpore.

In ea sic sũpta invenitur vera, & realis immutatio hostiæ.

Hæc immutatio fit in agnitionem supremi Dei dominii.

471. Nec consecrationi obstat quod sacrificium involvat essentialiter oblationem, consecratio autem non videatur esse oblatio, quamvis enim non sit oblatio explicita, & in actu signato, est tam implicita, & in actu exercito, quod sufficit. Vti enim in lege veteri ovis jugulatio, ut combustio facta ad

Consecratio est oblatio virtualis, & in actu exercito.

cultum

cultum Dei, erat oblatio realis, & exercita sufficiens ad rationem Sacrificij; ita facta consecratio ex institutione Christi cum intentione saltem confusa sacrificandi, contenta in voluntate faciendi quod instituit Christus, est oblatio realis, & exercita sufficiens ad sacrificium.

Est sufficiẽter sensibilis ratione verborum.

472. Est etiam sufficienter mutatio externa, & sensibilis ratione verborum quibus constat, & vi quorum ponitur corpus, & Sanguis Christi: sicut ipsum corpus, & Sanguis Christi fiunt sensibilia ratione specierum, sub quibus latent.

Potest offerri id quod fit in ipsa oblatione.

473. Neque rationem sacrificij à consecratione removet, quod consecratio non supponat, sed ponat hostiam, videlicet Christum sub speciebus: ut patet in sacrificio Thymiamatis, in quo offerebatur suffitus seu vapor suavè olens ipsa sacrificatione productus.

Communio Sacerdotis est complementum extrinsecũ hujus sacrificij

474. Ex eo quod curet Ecclesia ut nullo casu omittatur communio Sacerdotis, non rectè infertur eam esse de essentia sacrificij: id enim facit non quod ista communio sit de intrinseca ratione sacrificij; sed quod sit extrinsecum ejus complementum ex Christi præcepto necessarium: eandem ob causam dicitur sacrificij consummatio.

Ex his patet in Parasceve non fieri propriè sacrificium, sed consumptionem hostiæ præcedentis diei sacrificio immolatę: quę dicitur sacrificium objectivè, & impropriè ratione ceremoniarum cum ceremonijs sacrificij aliquo modo convenientium.

Petes an de essentia hujus sacrificij sit consecratio sub utraque specie? R. Affir. ita communiter DD. 1. quia Christus hoc sacrificium instituit sub utraque specie, vt patet ex ejus facto. 2. Quia hoc sacrificium voluit esse memoriale sacrificij cruenti, quod in cruce obtulit: sicut ergo in cruce sanguis separatus est à corpore: ita ad id repræsentandum debet sanguis in hoc sacrificio, quantum est ex vi verborum poni separatim à corpore.

Sacrificium Missæ simul

475. Sacrificium Missæ simul est latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium. Est latreuticum, in quantum offertur Deo in

agnitionem supremi ejus in omnes dominij. Est Eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs. Est propitiatorium prout offertur in remissionem peccatorum, & satisfactionem pœnæ eis debitę: Est denique impetratorium, quatenus tendit ad beneficium aliquod impetrandum. Ac proindè æquivalet omnibus antiquæ legis sacrificijs, quorum alia erant latreutica, alia Eucharistica, alia propitiatoria, alia impetratoria. est latreuticum, eucharisticū, propitiatorium, & impetratorium.

476. Effectus sacrificij prout est propitiatorium. Est remissio peccatorum tam mortalium, quàm venialium. Hæc conclusio manifestè traditur a Trid. sess. 22. cap. 2. his verbis: *declarat S. Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, &c. hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentia concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*. Item remissio pęnæ temporalis adhuc debitę pro peccatis condonatis. Hæc etiam conclusio traditur à Trid. sess. cit. can. 3. ubi dicit anathema ei *qui dixerit Missa sacrificium soli prodesse sumenti; neque pro vivis ac defunctis, peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere*. Clarum enim est id esse intelligendum, de pœnis, & satisfactionibus temporalibus; quæ debentur pro peccatis jam condonatis; cum pœna æterna semper remittatur cum ipso peccato: nec supersit defunctis alia pœna in Purgatorio quam temporalis. Quinam sint effectus ejus ut est propitiatorium.

477. Vtrumque hunc effectum producit ex opere operato, adeoque independenter á fide, probitate, & merito Sacerdotis illud offerentis. Ratio est quod Christus in hoc sacrificio non sit tantum victima, sed etiam offerens principalis. cum ergo hoc sacrificium non sit tam opus Sacerdotis, quam Christi habet vim movendi Deum ad utrumque hunc effectum independenter à fide, & probitate Sacerdotis, adeoque ex opere operato. Idque implicitè docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. dum ait: *Hac est oblatio munda, qua nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*. Remissionē peccati, & pęnæ causat ex opere operato.

Non tamen eodem modo utrumq; istum effectum opera-

Remissione tamen peccati mortalis tantum causat mediate.

operatur; nam remissionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, si nihil obstet ex parte subjecti causat immediatè, & infallibiliter; non quidem totaliter, sed plus aut minus remittendo juxta majorem aut minorem devotionem subjecti, ut infra magis explicabitur. Remissionem autem peccatorum causat tantum mediatè, mediantibus scilicet gratiis actualibus; quæ ejus intuitu conferuntur, & quibus peccator, pro quo sacrificium oblatum est, perducitur ad pœnitentiam, qua mediâte obtinet peccatorum suorum remissionem. Quia verò istæ gratiæ non sunt semper efficaces, ideo non semper vi sacrificij hanc remissionem consequitur. Effectus igitur immediatus proveniens propriè ex opere operato idq; infallibiliter; sunt istæ gratiæ quibus peccator excitatur ad pœnitentiam. Ipsa autem peccatorum remissio habetur immediatè ex opere operantis, videlicet ex ejus pœnitentia & mediatè tantum ex opere operato mediantibus scilicet gratijs actualibus, quæ dantur intuitu sacrificij.

Gratias vero ad pœnitentiam excitantes immediatè.

Vti etiam probabiliter remissione venialium.

478. Quantum tamen attinet ad remissionem venialium; probabile est Missæ sacrificium hunc etiam effectum immediatè operari in eo, pro quo oblatum est, si is nullum affectum actualem aut habitualem erga illa retineat. Idq; videtur satis conforme Tridentino sess. 22. cap. 1. asserenti per hoc sacrificium salutarem virtutem passionis Christi, *in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie remittuntur, peccatorum applicari*: nulla facta mentione pœnitentiæ; ut facit, dum cap. 2. tribuit eidem sacrificio virtutem remittendi mortalia. Potestque id confirmari ex eo quod hic effectus communiter tribuatur sumptioni Eucharistiæ, quidni ergo, & ipsi Missæ sacrificio.

Potest quodlibet beneficium per illud impetrari virtus impetrandi in actu 1. sive quoad sufficientiam est infinita.

479. Sacrificium hoc consideratum ut est impetratorium, habet vim impetrâdi quidquid per illud Sacerdos rectè à Deo petit, sive pro se, sive pro aliis: quia scilicet hoc sacrificium continet Christi merita, quibus inest ista vis. Hæc virtus ejus ad impetrandum, est infinita in actu primo, sive quoad sufficientiam; quandoquidem nullum sit tantum beneficium

ficium, quod non possit per illud impetrari, nec tot quin plura; nec pro tot quin pro pluribus. Nullum enim est fundamentum limitandi istam virtutem ad determinatam aliquam beneficij magnitudinem, aut beneficiorum, & personarum multitudinem; cum res in eo oblata, videlicet Christus, sit infiniti valoris.

480. Non est tamen infinita in actu 2. sic ut sacrificium infinitè moveat Deum ad cōcedendum id quod petitur; alioqui enim semper obtineretur id quod peteretur, quòd certò falsum est. Bono tamen sensu dici potest velut syncategorematicè infinita quoad motionis intensionem, hoc scil. sensu, quod eo magis moveat Deum, quo major est fervor ac devotio per illud supplicantis, ita ut vis illa movendi possit in infinitum crescere, sicut potest ipse fervor supplicantis, Nec tamen unquam proptera infallibilis est impetratio; quia non semper à Deo acceptatur ad dandum illud propter quod impetrādum offertur.

Non est tamen infinita in actu 2.

Vis autem movendi extensiva; sive vis movendi in ordine ad impetranda plura beneficia, aut pluribus personis; cæteris paribus videtur tanto minor, quanto plura sunt beneficia quæ postulantur, & plures personę quibus postulantur. Vt satis colligitur ex praxi fidelium, qui ut beneficium aliquod certiùs per Missæ sacrificium impetrent, curant ut primario offeratur ad illud sibi impetrandam: teneaturque Sacerdos stipendium accipiens Missam primario offerre ad illud obtinendum, quod intendit, qui stipendium dedit: quod non foret necesse, si non esset minor vis sacrificij respectu plurium beneficiorum, aut personarum, quam unius. Id autem refundendum est non in defectum virtutis, quandoquidem de se fit infinita, sed in liberam Christi voluntatem, merita sua in hoc sacrificio contenta limitatè ad id applicantis.

Vis ejus augetur aut minuitur prout major aut minor est devotio per illud supplicantis.

Eo minor est quo ad plures se extendit.

481. Eodem ferè modo ratiocinandum est de virtute hujus Sacrificij ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus quæ pro peccatis remissis adhuc supersunt solvendæ; nempe hanc virtutem non esse infinitam

Eodem modo ratiocinandum est de virtute satisfactiva.

finitam in actu 2. sic ut effectum suum habeat absque limitatione: alioqui enim vel unico sacro satisfieret pro omnibus fidelibus tam vivis, quam defunctis, si pro omnibus offerretur; quod certo falsum est. Posse tamen dici velut syncategorematicè infinitam quoad intensionem satisfactionis, in quantum scilicet potest semper majorem ac majorem pœnam delere, ac reipsa delet, quo major ac major est devotio subjecti pro quo sacrificium offertur. Vt expressè docet S. Thomas q. 79. ar. 5. & cum illo communiter Theologi.

Eo minor est satisfactio quo plures sunt pro quibus offertur.

482. Si vero hæc virtus spectetur quoad extensionem satisfactionis, sive in ordine ad satisfaciendum pro pluribus; dicendum videtur, eo semper minorem esse satisfactionem; sive eo semper minus pœnæ, cæteris paribus, in singulis deleri, quo major est multitudo personarum pro quibus sacrificium offertur; ita ut effectus satisfactionis, quem totum unus obtinuisset, dividatur inter plures: ita ex antiquis Scotus, Bonav. Richar. Dur. Palud. & è recentioribus Suar. Henric. Valent. Tol. Con. Sylv. Amic. alijque communius contra Thomistas. Quia alioqui sacerdos stipendium accipiens ad sacrificium v.g. offerendum pro anima alicujus defuncti, non teneretur primario illud offerre pro requie illius animæ: imo imprudenter faceret restringendo primariam suam intentionem ad animam illam; quia absque illius emolumento privaret alias satisfactione, quam perciperent ex sacrificio æquè primario pro illis oblato. 2. Quia alias non apparet cur sacerdos accepto à pluribus justo stipendio, non satisfaceret offerendo unicum sacrificium pro omnibus; quod tamen falsum est, & prohibitum.

Hæc limitatio provenit ex voluntate Christi.

483. Nec refert quod vis satisfactiva sacrificij de se sit infinita; ac proinde non videatur effectus ejus minuendus ex eo quod pluribus applicetur; quia id quidem verum esset, si ista virtus exereret se in effectum suum adæquatè, & absque limitatione: non autem posito quod tantum agat limitate juxta voluntatem Christi, qui merita sua in hoc sacrificio inclusa obtulit tantum ad limitatam satisfactionem;

quia

quia sic magis expediebat ad multiplicanda sacrificia, & fidelium devotionem in iis procurandis magis excitandam.

484. Quod dictum est de fructu hujus sacrificii majore aut minore, prout major aut minor est devotio subjecti, pro quo offertur: idem dicendum est de fructu qui ipsi etiam offerenti provenit, quatenus offerens est, videlicet eum tanto majorem fructum ex oblato sacrificio percipere, quanto major est ejus devotio, perfectiorque dispositio. Non tamen eodem modo ratiocinandum videtur de multitudine offerentium, ac de multitudine eorum pro quibus offertur: qui enim adsunt sacrificio & simul cum sacerdote illud offerunt; non tanto minorem fructum ex ista oblatione percipiunt, quanto plures sunt, quia multiplicatis offerentibus multiplicantur oblationes: & ideò singuli ex sua oblatione eum fructum percipiunt, quem percepissent, si soli adfuissent. Vnica autem est sacerdotis oblatio, quando pro multis sacrificium offert: ex quo apparet disparitas.

Offerens majorem etiam aut minorem fructum percipit, prout major aut minor est ejus devotio.

485. Vt quis fructum sacrificii percipiat, requiritur in sacerdote intentio, qua ante consecrationem, vel saltem in ipsa consecratione sacrificium pro eo offerat. Est communius & certa. Non est tamen necesse, ut hæc intentio actu habeatur tempore Missæ; sed sufficit quod paulo antè fuerit habita, & non fuerit retractata. Neque requiritur, ut sit explicita; sed sufficit implicita, qua v.g. velit sacrificium pro iis offerre pro quibus vel ex præscripto superiorum, vel aliundè obligatus est. In praxi tamen curandum est intentio sit explicata.

Vt quis fructum sacrificii percipiat requiritur in sacerdote intentio illud pro eo offerendi.

486. Fructus sacrificii proveniens ex opere operato non pendet ex probitate Ministri illud offerentis. Et hoc sensu verum est quod Missa mali sacerdotis tantùm valeat, quantùm valet Missa boni. Absolutè tamen loquendo Missa boni utilior est & præferenda, tum ratione fructus provenientis ex opere operantis, quem potest applicare ei pro quo celebrat. Tum quia celebrantis sanctitas multum potest conferre ad impetrandum, quod petitur.

Non tamen probitas.

Non requiritur status gratiæ ad gratias actuales ex sacrificio obtinendas.

487. Vt is, pro quo offertur sacrificium, vi illius accipiat gratias actuales, aliave beneficia spiritualia, aut temporalia, non requiritur ut sit in statu gratiæ; sed sufficit si non habeat voluntatem contrariam istorum beneficiorum receptioni: est communis & certa. Et patet ex eo quod gratiæ actuales sæpè dentur ad recuperandum statum gratiæ; nec raro Deus varia beneficia largiatur peccatoribus ob aliorum preces multo ergo magis id faciet ob Missæ sacrificium.

Requiritur tamen iste status ad remissionem pœnæ temporalis.

488. Ad remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccatis antea remissis, requiritur status gratiæ. Ita communiter DD. quia non est æquum ut Deus aliquam pœnam remittat inimico suo. Vt autem remittatur pœna peccatis venialibus necdum remissis debita, non sufficit status gratiæ, sed insuper requiritur ut ista peccata prius remittantur; quia priùs est remitti culpam, quam pœnam.

Quinam possint offerre, & de facto offerant sacrificium.

489. Solus Sacerdos per se immediatè, & per modum ministri ad hoc deputati offerre potest Missæ sacrificium: mediante autem illo tanquam ministro suo illud etiam offert Ecclesia, & generatim fideles, ut Ecclesiæ membra. Specialiter autem una cum Sacerdote illud offerunt ei assistentes & illi qui stipendio aut aliter procurant sacrificium. Hique omnes, quatenus offerentes, participant fructum sacrificii; primario quidem Sacerdos, tum alii plus aut minus, prout proximius aut remotius sunt offerentes, magisque aut minus, sunt ad illud dispositi; juxta dicta de dispositione subjecti.

Et pro quibus possit offerri sive vivis sive defunctis.

490. Generatim loquendo potest hoc sacrificium offerri pro vivis & defunctis. Est de fide ex Trident. sess. 22. can. 2. speciatim autem agendo de vivis, potest offerri. 1. pro baptizatis etiam peccatoribus saltem non communicatis: quod addo, quia pro excommunicatis non toleratis non potest licitè offerri, saltem publicè; quia id prohibet Ecclesia. 2. pro Catechumenis. 3. pro infidelibus, quia non sunt incapaces fructus hujus sacrificii per modum impetrationis. 4. pro energumenis: neque enim id prohibitum est in Conc. Eliber. can. 33. ut volunt aliqui, tantum

enim

enim illic prohibetur ne ministrent huic sacrificio, aut nomina eorum recitentur inter Missarum solemnia.

Quod verò ad defunctos attinet; potest offerri 1. Pro animabus in Purgatorio detentis, ut à pœnis liberentur. 2. Pro ipsis beatis, non ut propitiatorium est aut impetratorium; sed ut Eucharisticum in gratiarum actionem. Pro damnatis autem non potest offerri, utpotè incapacibus omnis fructus hujus sacrificii.

Potest etiam offerri pro beatis in gratiarum actionem.

491. Potest Sacerdos accipere stipendium pro sacrificio, non per modum pretii, quod esset simoniacum: sed per modum sustentationis; ut qui ministrat altari de altari vivat, juxta Apost. 1. ad Cor. 9.

Potest pro sacrificio accipi stipendium lege aut consuetudine taxatum.

Non licèt in eum finem plus exigere, quam sit lege aut consuetudine taxatum: aut si alicubi nulla sit taxatio, supra id quod prudenti judicio sufficit ad bonam partem honestæ sustentationis unius diei, vel etiam juxta varios ad integram. Potest tamen Sacerdos esse contentus minore stipendio, si velit, modo nulla obstet specialis prohibitio.

492. Qui à pluribus diversa stipenda accipit, non satisfacit offerendo unicum pro omnibus sacrificium. Ita DD. communiter contra varios Thomistas. 1. quia probabilius videtur fructum sacrificii pro pluribus æquè primario oblati, eo minorem esse cæteris paribus, quo plures sunt, ut supra dictum est num. 48. 1. 2. quia etiamsi oppositum sit probabile, est tamen incertum; ideòque dantes stipendium rationabiliter intendunt ut fructus eis primario applicetur. 3. quia hoc expresse prohibitum est à S. Cong. interp. Trid. decreto ea de re edito 1. Iun. 1621. idque sub interminatione divini judicii & obligatione restitutionis. Et recentiùs in decreto Inquisitionis generalis confirmato ab Alexandro VII. anno 1665. 25. Sept. damnata est hæc propositio: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unicum offerre: neque est contra fidelitatem &c.* ubi etiam damnatur altera propositio docens licitum esse pro eadem Missa duplicatum stipendium accipere, applicando danti partem specialissimam

Contra justitiam est pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & unicum offerre.

fructus obvenientem ipsi celebranti.

Tenetur ad plura sacrificia, qui plura stipendia accipit, licet singula sint justo minora.

493. Non licet etiam plura exigua stipendia pro pluribus sacrificiis accepta ad unum justum stipendium reducere, & pro omnibus unicum sacrificium offerre. Id enim etiam prohibitum est à S. Congr. Interp. Trid. & merito; quia Sacerdos acceptans stipendium, licet justo minus, contrahit obligationem sacrificandi pro eo qui in eum finem istud stipendium obtulit. Hoc tamen non obstante possunt Episcopi reformare aliquas fundationes in quibus stipendium olim justum, successu temporis, redditum est longè inferius justo.

Non est licitum partem stipendii sibi retinere sacro per alterum celebrato.

494. Non est etiam licitum plura stipendia pro Missis accipere & postea aliis distribuere retenta sibi aliqua parte; licet justum adhuc stipendium aliis tribuatur. Quia illud etiam prohibitum est ab ead. S. Cong. Interp. Trid. anno 1625. & merito quia lucrum illud videtur injustum, cum nec illi fiat donatio istius partis à vero domino: nec sibi illud acquirat ob susceptum onus sacrificandi, quandoquidem onus hoc in alterum reiiciat, cui proindè debetur totum stipendium.

Nec licet accepto stipendio fructum principalem alteri applicare.

495. Peccat quoque graviter qui accepto stipendio ad sacrificium offerendum, fructum tamen principalem alteri applicat, aut primariam intentionem ad alterum dirigit; quia facit injuriam stipendium danti. Idem dic de eo qui aliundè obligatus est pro fundatoribus aut aliis Missam offerre.

Peccat pariter qui sacrificium diu differt ad quod ex justitia obligatur.

496. Peccat pariter qui ad sacrum pro altero celebrandum ex justitia obligatus, illud diu differt; quia magno fructu alterum privat: multoque magis si planè omittat. Teneturque hoc casu ad stipendii restitutionem. Non est igitur licitum Sacerdoti tot stipendia accipere, ut non possit pro omnibus satisfacere, nisi post tempus diuturnum: teneturque isto casu curare, ut ex parte satisfiat per alios, stipendio, quod in eum finem acceptum est, illis dato. Ratio est, quod ista longa dilatio sit injuriosa danti stipendium, nisi ultro in eum ipse consentiat.

Non licet etiam offerre anticipatè Missæ sacrificium

cium pro his qui posteà offerent stipendia; eaque retinere, applicando illis Missas jam dictas illa intentione: non enim videtur esse in potestate Sacerdotis sacrificii fructum veluti suspendere ex iis, quibus voluerint posteà applicare: hæcque praxis, quæ in Hispania vigebat, meritò prohibita est à sacra congregatione Concilii sub Paulo V. tanquam pluribus nominibus periculosa: fidelium scandalis & offensionibus obnoxia: atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrens.

CAPUT V.

Pœnitentia virtus, ejusque necessitas, efficacia, & obligatio.

§. I.

Pœnitentia virtus, ejusque necessitas.

497. POenitentia dupliciter sumi potest, vel prout est virtus, vel prout est Sacramentum: sumpta priori modo includit tres actus, 1. odium seu detestationem peccati. 2. dolorem de peccato commisso, & propositum emendationis. 3. voluntatem satisfaciendi, seu actionem tendentem ad abolendam Dei offensam: sic tamen ut principaliter & formaliter consistat in dolore, radicaliter in odio seu detestatione, completivè in voluntate satisfaciendi. *Pœnitentia, ut est virtus, tres actus includit.*

498. Pœnitentia est vera virtus. Est communis & certa contra hæreticos hujus temporis. Prob. 1. è Scripturis quæ pœnitentiam fidei, & aliis virtutibus annumerant, ut Actor. 20. 21. ubi Apostolus ait: *Testificans Iudæis atque gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum Iesum Christum*. Item ex iis, quæ pœnitentiæ usum suadent, vel præcipiunt: ut Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam &c. vita vivet*. Lucæ 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter* *Est vera virtus.* *Prob. ex Scriptura Patribus & ratione.*

peribitis &c. Ex PP. Chrysost. hom. 23. in Matt. ubi ait: *Non est aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* Greg. Mag. apud Valent. dicentis: *Magna est contra peccatum virtus pœnitentia.* 3. Ratione quia virtus juxta Philosophum 2. Ethic. c. 2. & 6. *Est habitus electivus secundum rectam rationem*: atqui recta ratio dictat, ut quis detestetur, quod detestandum est, & doleat de eo, de quo dolendum est, eo modo & fine quo oportet: quod præstat pœnitentia: ergo &c. item juxta aliam Philosophi definitionem ibidem, *virtus est habitus qui bonum facit habentem*: atqui pœnitentia bonum facit habentem se; ergo &c.

Potest dari virtus præsupponens peccatum.

499. Neque obstat quod non videatur ulla virtus posse essentialiter præsupponere peccatum in suo subjecto: videatur autem id esse essentiale pœnitentiæ. 1. Quia negari potest quod assumitur generaliter de virtute, pro ut de facto negatur à Soto, Vasq. & aliis: si enim potest dari virtus essentialiter præsupponens peccatum in subjecto alieno, v.g. justitia vindicativa, quidni etiam supponens illud in subjecto proprio? 2. Quia licet actus pœnitentiæ supponat fuisse peccatum in suo subjecto: non tamen id supponit pœnitentia ut est habitus à Deo infusus, sed tantum peccatum in suo subjecto esse possibile. Vndè S. Thom. 1. p. q. 95. a. 3. dixit in Adamo ante peccatum fuisse pœnitentiam secundum habitum, quia sic erat animo dispositus, ut si peccatum fuisset admissum, de illo doluisset. Quod autem actus ipse pœnitendi præsupponat peccatum in subjecto suo, nihil obest rationi virtutis; quia non compatitur illud, sed expellit. Laudabile autem est peccatum expellere.

Virtus pœnitentiæ potest esse in eo qui nunquam peccavit.

Dixi ut est habitus à Deo infusus: si enim sumatur pro habitu acquisito per frequentes actus Pœnitentiæ, sicut ipsi actus Pœnitentiæ præsupponunt peccatum pœnitentis; ita & habitus per illos acquisitus. Sed id etiam non impedit quominus iste habitus acquisitus sit virtus, cum incliner ad actus laudabiles & bonum faciat habentem se.

500. Hæc altera Philosophi definitio, qua virtus dicitur

dicitur dispositio perfecti ad optimum, debet intelligi de dispositione perfecti ad optimum non absolutè, sed in eo genere in quo est virtus: quod etiam convenit Pœnitentiæ; perficit enim suum subjectum & illud disponit ad optimum in suo genere.

Convenit ei quod sit dispositio perfecti ad optimum.

501. Si virtus penitentiæ sumatur præcisè pro habitu inclinante ad dolendum de peccatis abstrahendo à motivo doloris dici potest virtus generalis hoc sensu quod spectare possit ad quamlibet virtutem: quia dolor de peccatis concipi potest ex proprio motivo cujuslibet virtutis. Sicut enim quælibet virtus subjectum suum benè disponit ad prosequendum bonum aliquod speciale sub certò motivo sibi proprio: ita illud benè disponit ad detestandum malum illi speciali bono oppositum, & dolendum de eo admisso sub motivo sibi proprio. Vt sicut virtus temperantiæ benè subjectum suum disponit ad sobriè & temperatè vivendum ob specialem honestatem quæ elucet in sobria & temperata vita: ita illud benè disponit ad detestandum quemlibet actum intemperantiæ, & dolendum de eo admisso ob specialem turpitudinem talis actus. Et ita de aliis virtutibus.

Certo aliquo sensu Pœnitentia dici potest virtus generalis.

Si igitur Pœnitentia consideretur sub determinato aliquo motivo propter quod peccator detestatur peccatum suum & dolet de eo admisso; dicenda est ad eam specialem virtutem spectare, ad quam spectat motivum propter quod elicit istum actum detestationis & doloris: ita ut si motivum pertineat ad virtutem obedientiæ, sit actus istius virtutis. Si ad Temperantiam; si ad Religionem; si ad Charitatem &c. sit actus istarum virtutum. Ratio est quod actus specificentur à motivo seu objecto formali propter quod eliciuntur; adeòque ad eam virtutem pertineant, ad quam spectat eorum motivum.

Ad eam virtutem spectat ad quam pertinet motivum doloris de peccato admisso.

502. Si virtus Pœnitentiæ accipiatur pro habitu inclinante ad dolorem peccatorum sufficientem ad eorum remissionem extra Sacramentum Pœnitentiæ, non distinguitur ab habitu Charitatis. Quia dolor ad id sufficiens extra Sacramentum, debet esse perfecta contritio; sed perfecta contritio quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum procedit

Spectat ad charitatem, quando vi illius remittuntur peccata.

cedit ab habitu Charitatis ; vel certè ab auxilio aliquo supernaturali vices ejus supplente, si eliciens actum contritionis, non sit antea justificatus.

Est virtus specialis quando pro motivo habet Deo satisfacere pro ejus offensa.

503. Si autem motivum pœnitentiæ sit placare Deum eique satisfacere pro peccatis, quatenus peccata sunt offensa Dei, & quædam injuria ipsi illata: tunc Pœnitentia dici potest virtus specialis: quia nulla alia virtus influit sub tali motivo in detestationem & dolorem peccatorum, non tantum internum, sed etiam externum per afflictationes corporis voluntariè assumptas: Si quæ enim esset alia virtus, quæ id præstaret, esset virtus justitiæ, ad quam spectat satisfacere pro offensis & injuriis illatis: atqui inter Deum offensum & hominem offendentem non potest intervenire justitia strictè dicta: tum quia inter Deum & hominem non reperitur sufficiens alteritas moralis quoad jura & bona hominis, cum sint essentialiter subjecta Deo; tum quia non potest homo adæquatè satisfacere pro ulla Dei offensa, cum tamen justitia strictè dicta spectet æqualitatem inter satisfactionem, & offensam aut injuriam. Quia tamen proprium est justitiæ pro injuriis satisfacere ideò pœnitentia sic accepta rectè à S.Th. q. 8. a.2. & aliis communius reducitur ad virtutem justitiæ; diciturque quædam ejus species, non subjectiva & perfecta ob rationes jam allatas; sed tantum potestativa & imperfecta; qualis inter patrem & filium dominum & servum reperitur.

Reducitur tamen communiter sub ea consideratione ad virtutem justitiæ.

Ostenditur authorum inter se conciliatio.

504. Atque ex his facilè est authores conciliare admodum diversa circa hanc materiam sentientes. Qui enim volunt pœnitentiam non esse virtutem specialem, nihil aliud volunt quam actus ejus posse elici à qualibet virtute, ut explicatum est num. 501. Qui autem docent eam spectare ad habitum Charitatis, intelligendi sunt de pœnitentia sufficienti ad remissionem peccatorum extra Sacramentum. Qui verò affirmant eam pertinere ad Religionem, peccatum considerant ut quemdam Dei contemptum & pœnitentiam ut reparationem istius contemptus. Qui autem eam justitiæ annumerant peccatum accipiunt ut injuriam Dei, & actus pœnitentiæ ut satisfa-

tisfa-

tisfactionem istius injuriæ. Qui denique eam etiam à justitia distinguunt, voluntque esse specialem virtutem, sumunt justitiam strictè, qualis ut diximus non est pœnitentia etiam assumpta ad satisfaciendum Deo pro peccatis.

505. De lege Dei ordinaria non potest peccatum actuale remitti absque pœnitentia saltem virtuali: Est de fide ex Scriptura sæpiùs significante pœnitentiam esse necessariam ad remissionem peccatorum: ut Eccl. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*. Luc. 13. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. 2. ex Trid. sess. 14. cap. 1. *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se aliquo peccato mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria*. 3. ex PP. apud Suar. & ratio est, quod æquum sit, ut qui per voluntariam conversionem ad bonum creatum, & aversionem à Deo, divinam amicitiam perdidit, ad eam non recipiatur absq; voluntaria ad Deum conversione per pœnitentiam.

De lege Dei ordinaria nullum peccatum actuale remittitur sine Pœnitentia saltem virtuali.

506. Cùm ergo Script. subindè justificationem tribuit fidei, aut eleemosynæ, non vult eas esse proximas dispositiones ad justificationẽ; sed solùm remotè ad eam concurrere, fidem sc. tanquam radicem; eleemosynam verò tanquam impetratoriam actualis gratiæ efficacis ad pœnitentiam requisitæ, & satisfactoriam pro pœna temporali peccatis debita. Chrysostomus verò cum indicat peccatori compunctionem non habenti, ad salutem sufficere ut prohibeat linguam suam à malo, nen excludit actum pœnitentiæ, sed solùm dolorem sensibilem, quem intelligit nomine compunctionis.

Explicatur qua ratione Scriptura tribuat iustificationẽ fidei, & eleemosynæ.

507. Dixi *sine pœnitentia saltem virtuali* possunt enim peccata actualia remitti sine formali pœnitentia per solam virtualem inclusam in dilectione Dei super omnia: sive ad remittenda actualia sufficit actus charitatis, quo quis Deum super omnia diligit propter se. Ita DD. communiter. Dicitur autem charitas pœnitentia virtualis, in quantum continet votum pœnitentiæ, & illam de facto imperat peccatis memoriæ occurrentibus: non potest enim peccator

Non est tamen necessaria pœnitentia formalis, sed sufficit virtualis inclusa in actu charitatis.

cator memor peccatorum suorum amare Deum super omnia, & vi istius amoris nō dolere super omnia quod Deum offenderit.

Scripturæ Pontifices, & patres apertè actus charitatis tribuūt vim justificandi.

Prob. 1. conclusio, ex Scrip. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, 1. Io 4. *Qui diligit ex Deo natus est*. 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*.

Prob 2. ex Bullis Pij 5 & Greg. 13. damnantibus hanc Baii propositionem: *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*. Item hanc: *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*. Et etiam hanc: *homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem*.

Prob. 3. ex PP. Aug. tract. 5. in Epist. Ioan. *Intendite, hoc mandatum Christi dilectio vocatur: per hanc dilectionem peccata solvuntur*. Et infrà: *dilectio sola discernit inter Filios Dei, & filios diaboli*. Et Paulo post: *hæc est Margarita pretiosa, charitas, quam si solam habens, sufficit tibi*. Et tract. 9. in eand. Epist. post med. *Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur*. Bern. Epist. 107. *Nemo se amari diffidat, qui jam amat*. Similia habent Chrys. Hier. & alii apud Vasq.

Id etiam ratio probat efficaciter.

Prob. 4. ratione tripliti 1. quia tota vis contritionis ad peccata delēda oritur maximè ex eo quod includat actum charitatis 2. Quia actus ille est perfecta conversio hominis ad Deum; adeoque, & Dei ad hominem, juxta illud Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* 3. Quia amor Dei super omnia, est virtualiter odium peccati, & dolor super omnia de eo admisso.

Loca Scripturæ requirentia pęnitentiam formalem, intelligenda sunt de ejus necessitate vel in re vel in voto.

508. Dices 1. loca Scripturæ, quibus num. 505. probavimus necessitatem pœnitentiæ, agunt de pœnitentia formali. Et de eadem agit Tridentinum loco ibid. citato: ergo, &c. R. in illis quidem agi de pęnitentia formali; sed exponenda esse de necessitate istius pęnitentiæ in re vel voto, propter alia loca citata,

tata num. 107. in quibus vis justificãdi absolutè tribuitur actui charitatis. Ita loca in quibus importatur necessitas Baptismi propter similem rationem, explicanda sunt de necessitate in re vel voto.

509. Dices 2. requiritur formalis pœnitentia ut peccata per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur: ergo similiter requiritur pœnitentia formalis, ut remittantur extra illud Sacramentum. R. neg. conf. disparitas est quod formalis pœnitentia seu dolor peccatorum sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; ac proinde non possit haberi hoc Sacramentum sine tali dolore. Quæ ratio non habet locum in actu charitatis.

510. Dices 3. ad justificationem adulti requiritur fides explicita, & formalis: ergo etiam pœnitentia formalis. R. neg. conf. disparitas est quod fides sit prima radix justificationis, nullusque detur actus supernaturalis prior fide, in quo ipsa virtualiter contineatur. Detur autem actus supernaturalis, videlicet actus charitatis prior contritione, in quo ipsa virtualiter continetur.

Explicatur curpotius ad justificationẽ requiratur fides explicita, & formalis, quam pœnitentia.

511. Dices 4. ex conclusione sequitur hæreticum permanentem in sua hæresi posse justificari, si nimirum nullo modo cogitans de sua hæresi, ac proindè nec illam retractans, eliciat actum charitatis. R. non posse hæreticum elicere actum veræ charitatis, nisi per eum virtualiter retractet suam hæresim, & ita sit dispositus, ut vi istius actus verè eam desereret, si sciret se esse in hæresi.

Hæreticus manens hæreticus non potest elicere actũ charitatis.

512. Dices 5. qui proximum offendit potest postea illum diligere affectu amicitiæ, & simul sibi complacere in injuria ipsi prius illata: ergo dilectio etiam amicitiæ non est virtualis displicentia de offensa amici: ergo neque actus charitatis est virtualis displicentia de offensa Dei. R. dissimulato antecedente, quod videtur falsum: nego conseq. disparitas est quod amor proximi non sit amici appretiativus super omnia; sicut actus charitatis est appretiativus Dei super omnia; ac proinde vi illius necessario debeat displicere quidquid aliquando contra Deum commissum est.

Petes,

Petes an peccator actualiter memor peccatorum suorum possit justificari absque pœnitentia formali? R. neg. quia indignus est venia qui memor peccatorum suorum de ijs non dolet.

Potest tamē de potentia absoluta peccatū remitti absque pœnitentia.

513. Potest tamen de potentia absoluta remitti peccatum absque ulla prævia pœnitentia, per hoc quòd Deus cedat jure quod habet ad justam aversionem propter peccatum præteritum: quia in eo nulla apparet implicantia. Si enim homo homini, quamvis non pœnitenti, potest offensam remittere; imò & ex pietate Christiana debet; cur etiam non possit Deus? præsertim cùm contritio non sit forma sanctificans, saltem unica; neque dispositio ad id essentialiter prærequisita, ut patet in parvulis, qui per Baptismum absque ullo proprio actu justificantur.

Dum S. Th. videtur significare cōtrarium, loquitur de lege ordinaria

514. Quod ergo dicit S. Th. quæst. 86. art. 2. esse impossibile ut alicui remittatur peccatum sine virtute pęnitentiæ, intelligi debet de lege ordinaria, prout intelligunt Cajet. Ledesma Suar. &c. Nec refert, quod addat posse remitti sine Sacramento Pœnitentiæ, sed non sine pœnitentia: ex quo infert Sotus illum non loqui de lege ordinaria, cum juxta illam non possit etiam remitti sine Sacramento Pœnitentiæ vel in re vel in voto: loquitur enim S. Doctor generaliter de quovis tempore etiam ante institutionem Sacramenti: pro quo de lege ordinaria remittebatur peccatum sine Sacramento in re vel in voto, non tamen sine virtute pœnitentiæ.

De eadem lege intelligendum est Tridentinū.

515. Similiter cum Trid. sess. 6. cap. 7. dicit, *justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, loquitur de modo, quo reipsa fit, & de lege ordinaria fieri debet justificatio.

Peccatū per nō retractationem perseverat aliquo modo in ratione voluntarij, non tame in ratione maculæ habitualis.

516. Etiamsi peccatum habituale, quamdiu non retractatur à peccatore, censeatur per ipsam non retractationem aliquo modo moraliter perseverare in ratione voluntarij voluntate præsenti conditionata rationabiliter præsumpta, id est, in ordine ad hoc, ut homines judicent prudenter, licet non infallibiliter, quod peccator esset habiturus eandem voluntatem peccandi, quam ante habuit, si objectum proponere-

tur.

tur: per hanc tamen retractationis negationem non remanet in ratione habitualis maculę, seu in ordine ad præbendum Deo jus aversionis rationabilis à peccatore: hæc enim moralis perseverantia peccati, in qua sola sita est ratio peccati habitualis, non habetur per non retractationem, sed per non condonationem, ut patet ex dictis p.2.n.50.& 51.

517. Porrò duas illas perseverantias morales esse valdè diversas & ab invicē separabiles; fusè declarat Lugo exemplo voti v. gr. ingrediendæ religionis quod in ratione voluntarij voluntate præsenti conditionata rationabiliter præsumpta, moraliter perseverat per negationem retractationis, at in ratione vinculi obligantis ad ingressum Religionis, per negationem dispensationis Pontificię, idque independenter à retractatione, vel non retractatione voventis. Hinc peccatum præteritum ideo est peccatum Deo tribuens jus rationabile aversionis, quia fuit voluntarium voluntate præterita absoluta, nō quia est voluntarium voluntate præsenti conditionata modo paulò ante explicato.

Ostenditur quomodo diversæ sint istę duę perseverantiæ.

518. Et quamvis peccatum habituale includat conversionem quamdam habitualem ad bonū creatum, in quantum scilicet conversio prior actualis non fuit retractata: in ista tamen conversione habituali non consistit habituale peccatum, seu habitualis perseverantia peccati; sed in eo quod non fuerit condonatum, ut manifestè patet in eo qui peccatum suum per attritionem retractavit extra Sacramentum: in eo enim adhuc remanet habituale peccatum; cum attritio extra Sacramentum non habeat vim remittendi peccatum, ut suppono: & tamen non amplius manet prędicta habitualis cōversio ad creaturam; quandoquidem intervenerit retractatio. Ideo ergo adhuc tunc remanet peccatum habituale quia peccatum prius admissum non fuit condonatum.

Habituale peccatum in eo consistit, quod peccatum admissum nō fuerit condonatum.

519. Ad istam quidem condonationem necesse est ut desierit prior conversio inordinata ad creaturā, sed non requiritur positiva aliqua aversio ab ea; sed sufficit negativa, seu desitio conversionis per res-

Ad istā condonationem sufficit quod desierit conversio ad creaturam.

pectum

pectum ad potentiam Dei absolutam. Neque isto respectu necessaria est actualis conversio ad Deum; sed sufficit habitualis inclusa in gratia sãctificãte; si quidem per eam fiat condonatio. Sicut enim voluntas parvulorum absque ullo actu proprio habitualiter rectificatur, & ad Deum convertitur per gratiam sanctificantem in Baptismo acceptam exigentem auxilia ad conversionem actualem suo tempore conferenda: ita, & in casu nostro per infusionem gratiæ sanctificantis.

Vi gratiæ sanctificãtis habetur cõversio quædam habitualis ad Deum.

520. Quod si absque ista infusione fiat condonatio, ut fieri potest, tunc nequidem habebitur ista habitualis conversio ad Deum; adeoque non est absolutè necessaria ad remissionem peccati, per respectum ad legem Dei extraordinariam.

Neque indè sequitur peccatum posse remitti etiam eo instanti, quo committitur: quia, cum peccatum eo instanti quo remittitur, desinat esse; deberet pro eodem instanti esse; quia committeretur: & non esse, quia remitteretur.

§. II.

Pœnitentia efficacia ad peccatorum remissionem:

Posse quælibet mortalia remitti per pœnitẽtiam asserũt Scripturæ, Concilia, & Patres.

521 POssunt quælibet mortalia remitti per pœnitentiam; est de fide contra Novatianos & alios hæreticos apud Bellar. item contra Tertull. qui docuit homini, post veniam semel obtenta non posse denuò peccata remitti.

Prob. 1. ex Scripturis generaliter promittentibus veniam quorumvis peccatorum seriò pœnitentibus: Isa. 55. *derelinquat impius viam suam; & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus*. Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Ioan. 20. sine ulla exceptione dicitur, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. 2. ex Conc. Later. cap. firmiter ubi sub finem dicitur: *si post susceptionem Baptismi*

quisquam

quisquam prolapsus fuerit in peccatum potest semper per veram pœnitentiam reparari : 2. ex PP Hilar. Ambr. Hier. Aug. & aliis apud Bellar. 4. ratione S. Thomæ : quia contrarium derogat virtuti, & efficaciæ divinæ gratiæ, per quam cor cujusque pœnitentis moveri potest ad pœnitendum sicut oportet ad remisionem cujusque peccati: derogat etiam divinæ misericordiæ, & virtuti passionis Christi.

522. Quod ergo dicit Christus Matt. 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus , spiritus autem blasphemia non remittetur* . Et infra : *qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo , neque in futuro*. Explicandum est cum Atha. Amb. Hier. & alijs , ut ly *non remittetur* ; idem sit ac difficillimè remittetur ; eo quod hujusmodi homines , qui blasphemant in Spiritum S. (id est juxta eosdem Patres , qui manifestam veritatem fidei , & miracula in ejus confirmationem facta impugnant, ut faciebant Pharisæi , contra quos ibi agit Christus) ob superbiam, & pertinaciam non facilè adducantur ad pœnitentiam.

Explicatur quo sensu Christus dixerit blasphemiam in Spiritum S. non remittendam.

523. Eodem sensu explicandum est, quod habetur ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati , &c. & prolapsi sunt , rursum renovari ad pœnitentiam* , si per pœnitentiam, ibi intelligatur resipiscentia à peccatis tūc enim ly *impossibile* idem erit ac perdifficilè : agit enim illic Apostolus de apostasia quorundam Iudæorum ad judaismum revertentium, quos ait perdifficile esse, spreta semel vocationis gratiam, iterum converti. Si autem per renovationē ad Pœnitentiam intelligatur cum Chrysost. Amb. & aliis PP. iterata Baptismi susceptio ; potest accipi ly *impossibile* in suo rigore ; quia revera non potest Batpismus iterari.

Exponitur quo sensu dicat Apostolus non posse aliquos renovari ad pœnitentiam.

524. Cum autem idem Apostolus ad Hebr. 10. dicit : *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccato hostia* ; solum vult apostatis Christi fidem deserentibus nullam superesse hostiam, quā expiari possint ; non Christum , quia illum deseruerunt: non

Quare Iudæis apostatis nō relinquatur hostia ad Deū placandum.

Chri-

ſacrificia legis Moſaicæ : quia jam abolita ſunt.

Explicatur locus ille Ioannis : eſt peccatum ad mortem non pro illo dico ut roget quis.

525. Cum verò Ioan. 1. cap. 5. ait *eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis*, vel per peccatum ad mortem intelligit impœnitentiam finalem, & pro tali peccato clarum eſt quod non ſit orãdum, cum non poſſit remitti : vel intelligit peccatum aliquod valde enorme, quod dicatur ad mortem, ut morbi graviſſimi dicuntur lethales, & quamvis adhuc poſſit Deus orari ad impetrandũ ejus remiſſionem; dicit tamen Ioannes in neminem obligari ut pro tali peccatore oret; quia ſcilicet indignum ſe reddidit aliorum orationibus.

526. Minus difficultatis habet quod opponi ſolet ex Epiſt. ad Hebr. 12. ubi de Eſau dicitur: *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*: nam ibi non agitur de pœnitentia Eſau ſed patris ejus Iſaac, qui filij lacrymis adduci non potuit, ut facti pœnitens retractaret benedictionem fratri minori datam.

Antiochus non habuit veram pœnitentiam.

527. Ad illud autem quod lib 2. Machab. cap. 9. de Antiocho ſcriptum eſt: *Orabat hic ſceleſtus Dominum à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Dicendum eſt Antiochum non habuiſſe veram pœnitentiam; eo quod non doleret de peccatis propter Deum offenſum; ſed ex deſiderio ſanitatis recuperandæ, ut ſatis patet ex textu. Nam tantum veniam peccatorum ſuorum a Deo deprecatus eſt, cum jam videret ſe auctis doloribus in vitæ deſperationem adductum: & ea quæ promittebat ſe facturum ad Deum placandum, videtur tantum promiſiſſe ſub conditione ſanitatis recuperandæ.

Non ſufficit attritio ut vi pœnitentiæ remittãtur peccata extra Sacramentum.

528. Vt vi pœnitentiæ remittantur mortalia extra Sacramentum non ſufficit attritio, ſive dolor de peccato admiſſo propter metum gehennæ, aut jacturam æternæ beatitudinis, aut turpitudinem iſtius peccati. Eſt de fide ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi expreſsè dicit attritionem ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter conceptam non poſſe perducere ad juſtificationem ſine Sacramento pœnitentiæ.

529. Ne-

529. Neque ad id extra Sacramentum sufficit dolor conceptus ex motivo aut Religionis, aut obedientiæ, aut pœnitentiæ ut est virtus specialis &c. sed necessariò requiritur ut sit ex motivo charitatis, sive ut sit perfecta contritio. Ita ut attritio quocumque alio ex motivo concepta, nunquam ad id sufficiat. Ita DD. communiter.

Prob. 1. ex Trid. loco jam citato: quamvis enim illic vim justificandi extra Sacramentum explicitè tantum deneget attritioni conceptæ ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ: implicitè tamen vim istam etiam denegat omni attritioni, sive omni dolori ex alio quam charitatis motivo prodeunti: ibi enim attritionem opponit contritioni conceptæ ex motivo charitatis extra Sacramentum justificanti: ac proindè intelligi debet de qualibet attritione; sive de quolibet dolore, qui non est ex charitatis motivo. *Manifestè id colligitur ex Tridentino.*

Prob. 2. duplici ratione 1. quia conveniens est, ut qui avertit se à Deo ex amore alicujus creaturæ, amicitiam ejus, secluso Sacramenti privilegio, non recuperet, nisi per amorem ad Deum se convertat; qualis conversio non habetur per attritionem. 2. quia ex natura rei nulla videtur sufficiens dispositio ad habitum gratiæ, quæ non sit sufficiens ad habitum charitatis; sed nullus peccati dolor ex alio, quam charitatis, motivo elicitus, ex natura rei, seu secluso Sacramenti privilegio, est sufficiens dispositio ad habitum charitatis: ergo &c. *Ut remittantur peccata extra Sacramentum requiritur perfecta contritio.*

530. Quamvis ergo dolor de peccatis vel ex motivo Religionis, vel obedientiæ, vel Pœnitentiæ, ut est virtus specialis, &c. sit vera Pœnitentia & conversio ad Deum; non est tamen sufficiens extra Sacramentum ad remissionem peccatorum, quia ista conversio non est satis perfecta; eo quod non sit ex motivo charitatis. Ac proindè dicendum non omni veræ pœnitentiæ, neque omni conversioni ad Deum promissam esse extra Sacramentum peccatorum veniam, sed tantum illi, quæ est ex motivo charitatis. *Vi contritionis perfectæ remittuntur infallibiliter peccata.*

531. Omnis perfecta contritio sive dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum habet infalli-

sacrificia legis Mosaicæ: quia jam abolita sunt.

Explicatur locus ille Ioannis: est peccatum ad mortem non pro illo dico ut roget quis.

525. Cum verò Ioan. 1. cap. 5. ait *est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis*, vel per peccatum ad mortem intelligit impœnitentiam finalem, & pro tali peccato clarum est quod non sit orādum, cum non possit remitti: vel intelligit peccatum aliquod valde enorme, quod dicatur ad mortem, ut morbi gravissimi dicuntur lethales, & quamvis adhuc possit Deus orari ad impetrandū ejus remissionem; dicit tamen Ioannes in neminem obligari ut pro tali peccatore oret; quia scilicet indignum se reddidit aliorum orationibus.

526. Minus difficultatis habet quod opponi solet ex Epist. ad Hebr. 12. ubi de Esau dicitur: *non invenit pœnitentia locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*: nam ibi non agitur de pœnitentia Esau sed patris ejus Isaac, qui filij lacrymis adduci non potuit, ut facti pœnitens retractaret benedictionem fratri minori datam.

Antiochus non habuit veram pœnitentiam.

527. Ad illud autem quod lib 2. Machab. cap. 9. de Antiocho scriptum est: *Orabat hic scelestus Dominum à quo non erat misericordiam consecuturus.* Dicendum est Antiochum non habuisse veram pœnitentiam; eo quod non doleret de peccatis propter Deum offensum; sed ex desiderio sanitatis recuperandæ, ut satis patet ex textu. Nam tantum veniam peccatorum suorum a Deo deprecatus est, cum jam videret se auctis doloribus in vitæ desperationem adductum: & ea quæ promittebat se facturum ad Deum placandum, videtur tantum promisisse sub conditione sanitatis recuperandæ.

Non sufficit attritio ut vi pœnitentiæ remittātur peccata extra Sacramentum.

528. Vt vi pœnitentiæ remittantur mortalia extra Sacramentum non sufficit attritio, sive dolor de peccato admisso propter metum gehennæ, aut jacturam æternæ beatitudinis, aut turpitudinem istius peccati. Est de fide ex Trid sess. 14. cap. 4. ubi expresse dicit attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter conceptam non posse perducere ad justificationem sine Sacramento pœnitentiæ.

529. Neque ad id extra Sacramentum sufficit dolor conceptus ex motivo aut Religionis, aut obedientiæ, aut pœnitentiæ ut est virtus specialis &c. sed necessariò requiritur ut sit ex motivo charitatis, sive ut sit perfecta contritio. Ita ut attritio quocumque alio ex motivo concepta, nunquam ad id sufficiat. Ita DD. communiter.

Prob. 1. ex Trid. loco jam citato: quamvis enim illic vim justificandi extra Sacramentum explicitè tantum deneget attritioni conceptæ ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ: implicitè tamen vim istam etiam denegat omni attritioni, sive omni dolori ex alio quam charitatis motivo prodeunti: ibi enim attritionem opponit contritioni conceptæ ex motivo charitatis extra Sacramentum justificanti: ac proindè intelligi debet de qualibet attritione; sive de quolibet dolore, qui non est ex charitatis motivo. *Manifestè id colligitur ex Tridentino.*

Prob. 2. duplici ratione 1. quia conveniens est, ut qui avertit se à Deo ex amore alicujus creaturæ, amicitiam ejus, seclusò Sacramenti privilegio, non recuperet, nisi per amorem ad Deum se convertat; qualis conversio non habetur per attritionem. 2. quia ex natura rei nulla videtur sufficiens dispositio ad habitum gratiæ, quæ non sit sufficiens ad habitum charitatis; sed nullus peccati dolor ex alio, quam charitatis, motivo elicitus, ex natura rei, seu seclusò Sacramenti privilegio, est sufficiens dispositio ad habitum charitatis: ergo &c. *Vt remittantur peccata extra Sacramentum requiritur perfecta contritio.*

530. Quamvis ergo dolor de peccatis vel ex motivo Religionis, vel obedientiæ, vel Pœnitentiæ, ut est virtus specialis, &c. sit vera Pœnitentia & conversio ad Deum; non est tamen sufficiens extra Sacramentum ad remissionem peccatorum, quia ista conversio non est satis perfecta; eò quod non sit ex motivo charitatis. Ac proindè dicendum non omni veræ pœnitentiæ, neque omni conversioni ad Deum promissam esse extra Sacramentum peccatorum veniam, sed tantum illi, quæ est ex motivo charitatis. *Vi contritionis perfectæ remittuntur infallibiliter peccata.*

531. Omnis perfecta contritio sive dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum habet in-

fallibilem vim remittendi peccata etiam extra Sacramentum. Ita DD. communiter contra Bajum, Jansenium, Molanum, Estium, & paucos alios volentes id tantum ei competere in certis casibus ex speciali misericordia Dei, videlicet in casu necessitatis, v.g. articulo mortis, in defectu confessarii &c. aut quando est extraordinariè intensa, illis adhæsit Sylvius quæst. 5. Suppl. a. 1. in editione facta anno 1618. & 1622. verum anno 1645. re melius considerata secutus est sententiam communem, quam Suar. 2. dicit esse indubitatam, Bellarminus universam Ecclesiam ita sentire, oppositam autem Victoria vocat falsissimam, Sotus inauditam, Curiel parum tutam in fide, ConincK erroneam, alii temerariam & scandalosam; sed quidquid sit de his censuris, quas non fero, sed tantum refero.

Prob. hęc veritas ex Scripturis.

Prob. conclusio 1. ex Scriptura Isa. 30. juxta versionem 70 *cum ingemueris, tunc salvus eris*. Vbi notanda est particula *tunc*. Ezech. 33. *justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit. Et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Vbi per comparationem inter justum & injustum manifestè ostenditur perfectam pœnitentiam, qualis est perfecta contritio, infallibiliter statim peccatorem justificare; sicut peccatum mortale infallibiliter statim justum privat gratia justificante. Item ex locis supra allatis num. 507. quibus probatum est dilectionem Dei super omnia justificare: perfecta enim contritio hanc dilectionem includit cum sit ex motivo charitatis.

Item ex Cōcilio Tridentino conjungente remissionem peccatorum cum perfecta cōtritione absque ulla limitatione.

532. Prob. 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4. Vbi sic habet: *Docet præterea etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Vbi hæc duo, contritionem esse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare, inter se conjungit tanquam duo inseparabilia.

Nec obstat ly *aliquando*: non enim additur ad significandum quod contritio perfecta aliquando justi-

justificet, aliquando non: sed additur quia initio capitis accepta erat contritio generaliter prout abstrahit à perfecta & imperfecta, significaturque eam aliquando esse charitate perfectam, & tunc justificare ante Sacramentum. Et aliquando esse imperfectam, eo quod ex alio motivo, quam charitatis concipiatur: & tunc ante Sacramentum non justificare.

533. Prob. 3. ex Pio V. & Greg. XIII. damnantibus hanc Baii propositionem inter damnatas 31. *Charitas perfecta & syncera quæ est corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Item hanc inter damnatas 32. *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Et hanc inter damnatas 66. *homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem.* Et denique hanc inter damnatas 68. *per contritionem etiam cum charitate perfecta, & voto suscipiendi Sacramentum conjuncta non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.*

Itē ex damnatis Baii propositionibus à Pio V. & Gregorio XIII.

534. Respondent Bajani tres primas propositiones tantum damnari intellectas de charitate habituali: quartam autem eatenus damnari, quatenus per illam significatur contritionem nunquam justificare absque sacramento, extra casum necessitatis aut martyrii. Se autem id non asserere, cum expressè doceant aliquando etiam peccatorem extra casus illos per contritionem justificari, videlicet cum valdè intensa est.

Manifestum est in propositionibus agi de charitate actuali.

At contra est, quod propositiones illæ damnatæ sint in sensu à Bajo intento, hoc est in sensu quem Bajus in scriptis suis expressit: in iis autem manifestè agit de charitate actuali: & huic & non habituali manifestè conveniunt verba ista 31. propositionis damnatæ, *charitas quæ ex corde puro est*, charitas enim habitualis non est ex corde, sed in corde: actualis autem procedit ex corde.

535. Prob. 4. ex PP. Chrysost. Epist. 5. ad Theodorum: *Dei pietas quantulamcumque & quamlibet brevi*

Prob. 4. ex patribus manifestè hanc vim tribuentibus contritioni perfectæ.

tempore gestam non respuit pœnitentiam. Et homil. 7. in 2. ad Tim. *plenitudo legis est charitas : cuncta quippè scelera, quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit solvuntur*. Aug. tract. 5. in Epist. Ioan. *Si quis in corde suo invenerit charitatem securus sit ; quia transiit de morte ad vitam*. Fulg. lib. 1. de remiss. peccat. cap. 12. *quia ingemuit David ex toto corde conversus, continuo salvus factus est. Atque completum est in eo illud Prophetæ : si conversus fueris & ingemueris salvus eris*. Leone Epist. 91. ad Theod. *Misericordiæ Dei neque mensuram possumus ponere ; nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conversio*. Qualis utique habetur per contritionem perfectam plures alios vide apud Bellarm. Suar. Vasq. & alios.

536. Prob. denique 5. quia perfecta contritio in lege veteri infallibiliter justificabat : ergo etiam in nova : cum non sit credibile Deum per institutionem Sacramenti pœnitentiæ efficaciam contritionis imminuisse.

Vis perfectæ contritionis ad remittenda peccata stat cum potestate clavium ad ea retinenda.

537. Dices 1 Sacerdotes habent potestatem remittendi & retinendi peccata juxta illud Christi Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta sunt* : atqui hoc postremum non stat cum dicta contritionis efficacia : ergo &c. R. neg. min. quia licet per contritionem perfectam remittantur peccata ; id tamen non fit independenter à voto Sacramenti quod includitur in contritione, ut docet Trid. sess. 14. cap. 4. undè in contritione remanet obligatio sistendi se Sacerdoti, & peccata confitendi ad absolutionem obtinendam ; & si id negligat facere, fit adhuc reus.

Propter hanc obligationem verificatur, quod dicit Augustinus Epist. 180. ministerium Sacerdotum esse ad salutem necessarium : & perire eos qui de hoc sæculo exeunt vel non regenerati, vel ligati. Non enim debet illud absolutè ita intelligi, quasi absolutè necesse sit eum perire qui de hoc sæculo exit absque Baptismo aut absolutione sacramentali ; sed tantum si id fiat ex ejus negligentia, aut careat perfecta contritione. Neque potestas retinendi peccata debet sic accipi ; quasi Sacerdos possit semper

ea

ea retinere deuegando absolutionem; si enim eam injustè deneget, nec alius adsit, qui illam concedat, non desinet propterea contritus esse liber à peccatorum vinculis.

538. Dices 2. juxta S.Greg. aliosque PP. sententia Petri præcedit sententiam cœli: ergo peccator manet reus coram Deo donec absolvatur à Petro seu Petri successoribus: R. sensum hujus pronunciati non esse quod peccator nunquam obtineat à Deo remissionem peccatorum, antequam fuerit absolutus à Sacerdote; sed quod in ipso Sacramento, si antea non obtinuerit remissionem peccatorum, prius sit ipsum absolvi à Sacerdote, quam à Deo: non enim Sacerdos illum absolvit, quia Deus absolvit; sed contra. Nec etiam unquam antea obtinet vi contritionis remissionem peccatorum, nisi quatenus contritio continet votum absolutionis in Sacramento obtinendæ.

Explicatur dictum illud S. Gregorii, sententia Petri præcedit sententiam cœli.

539. Adde hæc omnia solvenda esse ab adversariis in casu quo peccator valdè contritus, aut in casu necessitatis obtinet remissionem peccatorum, ut admittunt, ante susceptum pœnitentiæ Sacramentum. Quomodo ergo tunc potest verificari illud Christi dictum: *quorum retinueritis peccata, retenta sunt*. Quomodo tunc postea non frustra petitur absolutio ab istis peccatis jam dimissis? Quomodo verum est quod sententia Petri præcedat sententiam cœli? si quod aliud, quam nos, responsum habeant, illud proferant; & pro nobis etiam faciet.

Solvenda etiam sunt ab adversariis quæ nobis obiiciuntur.

540. Dices 3. prius Magdalena dilexerat & contrita fuerat, quam audivit a Christo *remittuntur tibi peccata*: ad eum enim se contulerat impetu amoris acta, jamque pedes ejus lacrymis suis rigaverat. Atqui non prius obtinuit remissionem peccatorum quam audivit, *remittuntur tibi peccata*; alioqui enim falsa fuissent hæc verba: ergo &c. R. negat. min. neque propterea falsa fuissent hæc verba, *remittuntur tibi peccata*; quia quod paulò ante factum fuerat, potest exprimi in præsenti utpotè moraliter præsens. Dici etiam potest istis verbis contineri iteratam cōdonationem, seu confirmationem prioris condona-

Maria Magdalena prius fuit justificata quam audivit à Christo remittuntur tibi peccata.

tionis: aut per ea palam declarari peccatorum condonationem: prius occultè factam.

Nec contrarium docet Aug. dicens: accessit immunda, ut rediret munda.

Nec contrarium docet Augustinus dum hom. 23. de Magdalena ait: *accessit immunda, ut rediret munda.* Quibus verbis videtur supponere non fuisse mundatam ante prædicta Christi verba, *remittuntur tibi peccata.* Quia dici potest vel Magdalenam non habuisse perfectam contritionem antequam Christi pedibus advolveretur: vel Augustinum sumere lý accessit prout etiam complectitur primam voluntatem accedendi: & eam tunc necdum fuisse perfectè contritam. Vel certè ideò dicit eam accessisse immundam; quia paulò ante erat talis, & palam habebatur adhuc ut peccatrix.

Stat necessitas confessionis ante cómunionem, cum. virtute contritionis ad justificandum.

541. Dices 4. Trident. sess. 13. cap. 3. decernit ut nemo sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur ad Eucharistiam accedat absque prævia confessione: atqui id decernit ob periculum indignæ communionis, quod tamen non esset si contritio infallibiliter justificaret: ergo &c. R. Tridentinum id decernere, non quod dubia sit efficacia contritionis; sed quod dubium sit an habeatur perfecta contritio.

Perfecta cótritio justificat etiã ante Baptismum.

542. Dices 5. perfecta contritio non justificat ante Baptismum: ergo nec ante Sacramentum Pœnitentiæ. Prob. ant 1. exemplo S. Pauli, quem non est dubium fuisse perfectè contritum ante Baptismum, & tamen act. 2. dicitur illi *baptizare*, *& ablue peccata tua.* 2. ex Trid. sess. 6. cap. 5 ubi pro dispositione ad Baptismum recenset amorem, quo baptizandus *Deum tanquam omnis justitia fontem diligere incipiat*, ergo supponit amorem Dei adeòque nec contritionem justificare infallibiliter: alioqui enim Baptismus semper præsupponeret effectum suum. 3. ex Aug. tract. 13. in Ioan. *Quantumcumque Cathecumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum.* Et Amb. lib. de iis qui initiantur cap. 4. *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. remissionem non potest accipere peccatorum.*

Resp. neg. ant. ad primam ejus probationem, dico id

id dictum Paulo, quia vi contritionis suæ non obtinuerat peccatorum remissionem nisi sub onere Baptismi, cujus votum includebat contritio. Ad 2. R verba ista Concilii, *quo Deum diligere incipiant &c.* satis denotare non illic agi de perfecto amore benevolentię, cui soli competit vis justificandi. Ad 3. dico Aug. Amb. aliosque similia habentes intelligendos esse vel de Cathecumenis negligentibus Baptismi receptionem: vel de absoluta peccatorum remissione, qualis non est ante Baptismum, cum tunc tantum dimittantur sub onere Baptismi postea suscipiendi.

Explicantur quædam Scripturæ & PP. loca in contrarium.

Adde hæc etiam solvenda esse ab adversariis volentibus saltem contritionem justificare, quando valdè intensa est, qualis fuit in Paulo ante Baptismum: & potest esse in omni Cathecumeno.

543. Dices 6. hinc sequeretur pœnitentem non justificari ministerio Sacerdotis: quod à Pio V. & Greg. XIII. damnatum est. R. neg. seq. quia ad hoc Sacramentum non requiritur contritio perfecta; ut infra probabimus: quando autem intervenit, justificat quidem ante Sacerdotalem absolutionem, sed non independenter ab ejus voto, quod in ea continetur.

Solvenda etiam sunt ab adversariis loca nobis objecta.

Vt contritio sit perfecta & sufficiens ad remissionem peccatorum debet esse appretiativè summa, id est talis ut contritus verè peccatum suum detestetur super omnia alia mala, & de eo admisso similiter super omnia doleat, ita ut vi istius doloris ita sit affectus, ut mallet quodvis aliud malum pati potius, quam peccare: est communis & certa.

Vt contritio habeat vim justificandi debet esse appretiativè summa.

Prob. 1. ex Scriptura ad justificationem peccatoris requirente conversionem ad Deum ex toto corde ex tota anima ut Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et 3. Reg. cap. 5. *Si reversi fuerint ad te in universo corde suo & in tota anima sua &c. exaudies ill s &c.* Ioel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro &c.*

Prob. 2. ratione: quia contritio perfecta est dolor de peccatis propter Deum summè quo ad appretiationem dilectum, ita ut verè Deus quibuslibet crea-

turis præferatur: atqui Deus non esset summè hoc sensu dilectus, si contritio non esset summa appretiativè sensu explicato, ut consideranti patebit: ergo &c.

Explicatur quomodo peccatum detestandum sit super ipsam dānationem.

544. Dices 1. contritio non potest esse detestatio peccati super malum Deo intrinsecum, quale v. gr. esset destructio alicujus perfectionis divinæ: ergo non debet esse super omnia mala. R. malum Deo intrinsecum esse malum chymericum, cum sit impossibile. Contritio autem tantum debet esse detestatio peccati super omnia mala vera & possibilia.

545. Dices 2. peccatum non est malum majus malo æternæ damnationis: ergo non est detestandum super illud malum. R. si damnatio sumatur pro solo supplicio æterno, peccatum esse majus malum malo damnationis; secus si sumatur pro æterno supplicio ut conjuncto perenni Dei odio, & innumeris in Deum blasphemiis aliisque damnatorum peccatis. Quamvis autem damnatio æterna sumpta præcisè pro supplicio æterno, sit absolutè minus malum quam peccatum; ac proindè postponendum peccato, Abstinendum tamen est à comparatione peccati cum hujusmodi supplicio, aliisque gravissimis malis; quia cum magis feriant imaginationem, quam peccatum; periculum est ne præferantur peccato, maximè ab iis qui rudes sunt & minus spirituales.

Inferes: ergo posset quis licitè eligere potiùs peccare, quam damnari sumendo damnationem pro ut annexa habet plurima peccata. R. neg. illat. quia neutrum est licitè eligibile: ita licet adulterium sit majus peccatum, quam simplex fornicatio; non potest tamen hæc licitè eligi ad vitandum adulterium; quia utrumque vitandum est.

Mortale gravius magis detestandum est quam minus grave intensivè nō appretiativè

546. Dices 3. si quodlibet mortale esset appretiativè super omnia mala detestandum, mortale levius æquè esset detestandum ac gravius: atqui hoc videtur falsum, cum gravius sit majus malum minus gravi: ergo &c. R. gravius esse majus detestandum intensivè, non appretiativè, cum in appretiatione peccati super omnia alia mala non possit dari majus aut minus in ratione appretiationis.

547. Non

547. Non tamen debet contritio esse intensivè summa ut sufficiat ad remissionem mortalium, extra Sacramentum. Ita DD. communiter contra Adrianum. Prob. quia vel agitur de intensione summa absolutè: vel de summa respectivè, quæ scilicet hic, & nunc haberi potest cum præsenti Dei auxilio, qualem videtur requirere Adrianus. Non primum; quia intensio absolutè summa est impossibilis. Non etiam secundum: quia sic peccator cum auxilio ut duo eliciens contritionem intensam ut duo justificaretur; & eliciens intensam ut quatuor cum auxilio intenso ut quinque non justificaretur, quod est absurdum.

Vt contritio habeat vim justificandi nō debet esse summa intensive.

548. Neq; requiritur ut sit intensivè tanta ut excedat intensionē omnis alterius doloris. Ita etiam DD. communiter contra Bonav. Dur. Rich. Palud. Petr. Soto, & paucos alios apud Suar. & Amicum. Qui tamen hoc loquendi modo nihil aliud videntur velle, quam dolorem de peccatis debere esse majorem appretiativè quolibet dolore de alijs malis, quæ non sunt peccata. Sed quidquid sit de hac re.

Neque debet excedere intensionem omnis alterius doloris.

Prob. conclusio intellecta de excessu secundum intensionem. Quia si contritio deberet esse intensior cæteris doloribus de aliis malis quæ non sunt peccata: vel deberet esse talis respectivè ad presentem intensionem aliorum dolorum, vel possibilem. Non primum; quia alioqui, quod absurdum est, quandoque accideret, ut contritio intensivè major nō justificaret; & minor justificaret: quia posset fieri ut minor jam excederet præsentem intensionem aliorum dolorum, eo quod jam essent remissi: & major postea non excederet, eo quod essent multum intensi. Non etiam secūdum; quia cum alii dolores possint in infinitum crescere secundum intensionem, nunquam posset contritio illos omnes excedere.

549. Dices peccator debet magis dolere de peccato, quam de quolibet malo temporali; quia peccatum est majus malum quolibet malo temporali: ergo, &c. R. dist. ant. debet plus dolere appretiativè conc. nec plus probat ratio allata. Intensivè neg.

Peccator debet magis appretiativè dolere de peccato, quā de quolibet alio malo; sed nō magi intensive.

540 Neque etiam requiritur in contritione certus gradus intensionis ad hoc ut justificet extra Sa-

cramen-

cramentum; sed ad hoc sufficit, quod sit appretiativè summa juxta dicta num. 530. ita etiam communiter Theologi, contra Estium, Lupum, Farvaquium, Havermannum, & paucos alios recentiores, ad quos recenter accessit Eximius D. de la Verdure in Tractatu suo triplici de Probabilitate, Contritione, & Recidiuis; citans etiam cum Farvaquio pro hac sententia eos qui attritionem à contritione distinguunt penes remissum, & intensum. Contra quos.

Non requiritur ut contritio sit in gradu intēso ad hoc ut justificet.

551. Prob. 1. conclusio 1. ex Scriptura simpliciter veniam promittenti omni peccatori veram pœnitentiam agenti nulla facta mentione certæ intensionis pœnitentiæ. ut Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... vita vivet* Et cap. 33. *impietas impij non nocebit ei, quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Item ex iis locis, in quibus diligenti Deum, absq; ulla restrictione ad certam intensionem istius dilectionis simpliciter etiam promittitur reciproca Dei dilectio, & peccatorum remissione. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioan 14. *Qui diligit me; diligetur à Patre meo.* 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit ex Deo natus est*, Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Prob. ex Scripturis veniam promittentibus verè pœnitētibus, & Deum diligentibus.

552. Prob. 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4. simpliciter quoq; asserenti contritionem Deo reconciliare priusquam Sacramentum actu suscipiatur: quando *charitate perfecta est*, non dicit quando intensa charitate perfecta est; sed simpliciter *charitate*, hoc est quando est ex motivo charitatis: clarum enim est Concilium ibi distinguere contritionem perfectam ab imperfecta, non penes majorem aut minorem intensionem doloris; sed penes motivorum diversitatem; & eam perfectam elicere, quæ nititur motivo charitatis: eam autem imperfectā, quæ pro motivo habet aut turpitudinem peccati, aut metū gehennæ.

Prob. 2. ex Tridentino tribuente justificationē contritioni quando est ex motivo charitatis.

553. Prob. 3. ex damnatis Baii propositionibus supra relatis nu. 538 manifestum enim est in istis propositionibus per charitatem perfectam non intelligi intensam, sed eam quæ verè est dilectio Dei super omnia, ut patet 1. ex eo quod Baius in propositione 31. damnata explicans quænam sit charitas per-

Prob. 3. ex damnatis Baii propositionibus à cujus doctrina non satis se adversarii discernūt

perfecta, & sincera, dicat eam esse quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, nulla facta mentione intensionis. 2. quia damnatur propositio 66. quæ sic habet *homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem*: & tamen in ea non dicitur habere *intensam* charitatem, sed tantum veram: liquet autem charitatem veram, non esse idem ac charitatem intensam: & eam omnem veram esse quæ verè est dilectio Dei super omnia. 3. quia Baius non negabat charitatem intensam justificare quandoque extra casum necessitatis absque Sacramento: & consequenter dum in 68. ait *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & voto suscipiendi Sacramentum conjuncta non remittitur crimen extra casum necessitatis*, per charitatē perfectā nō illic intelligit charitatē intensam; sed charitatē qua verè Deus diligitur super omnia. Damnatur autem propositio in sensu ab authore intento: unde non satis video quomodo eximant se ab ista doctrina damnata, qui fatentes illic agi de charitate actuali, ut revera agitur; nihilominus negant veram contritionem, & consequenter veram charitatem justificare extra Sacramentum, & casum necessitatis, quando non est in gradu intenso.

Baius per charitatem perfectā nō intelligit intensam, sed veram, & sinceram.

554. Prob. 4. multiplici ratione, 1. quia charitas habitualis, licet remissa, non stat cum peccato: ergo nec actualis remissa; cum hæc sit dispositio ad illam: sicut charitas actualis intensa est dispositio ad habitualem intensam. 2. quia certis casibus datur præceptum de justificatione per contritionem procuranda, ut quando deest copia confessarii: atqui non datur de re ignota, qualis est contritio cum tot determinatè gradibus intensionis, cum gradus isti non sint nobis noti: ergo, &c. 3. quia intensio major aut minor est accidentalis contritioni, ut certum est; atqui vis contritionis non potest pendere ab eo quod sibi accidentale est; sed debet pendere ab eo quod sibi essentiale est: ergo &c.

Prob. 4. multiplici ratione.

Dolor remissus quoad intensionem potest esse super omnia quoad appretiationem.

555. Dices 1. non est dignus venia qui remissè dolet de peccatis suis: ergo ad hoc requiritur ut dolor sit in gradu intenso. R. dignū esse venia, qui de pec-

catis

catis suis dolet super omnia ex motivo charitatis, ita ut verè quoad affectum paratus sit quodlibet potius pati quam peccare; dolor autem remissus quoad intensionem potest esse talis quoad appretiationem. Quod si per remissum dolorem intelligatur dolor de peccatis, qui non sit super omnia alia mala fateor talem dolorem non sufficere.

Appretiatio objecti, & intesio actus ex diversis capitibus oriuntur.

556. Dices 2. non videntur ista duo posse simul stare, ut dolor sit summus seu super omnia quoad appretiationem, & sit remissus quoad intensionem; quia quod movet ad appretiationem objecti, movet etiam ad intensionem actus. R. Neg. ass. quia certum est inter actus contritionis, & charitatis posse dari, & remissos, & intensos, quamvis debeant necessario esse appretiativè summi, sivè debeant objectum suum super omnia appretiare. Et verò si id quod movet ad appretiationem objecti, ęqualiter moveret ad intensionē actus; sicut appretiatio objecti debet esse summa; talis etiam deberet esse intensio, quod certò falsum est. Potest itaque dari, & dolor, & amor appretiativè magnus, & intensivè parvus; idque patet in matre quandoque diligente filium suum adhuc parvulum amore intensivè magno, & appretiative parvo: & contra alterum factum jam adolescentem diligente amore appretiative magno, & intensive parvo; ita ut vere amore suo grandiorem parvulo prę-ferat: licet parvulum intensius amet. Ratio hujus diuersitatis, est quod ex diversis capitibus oriantur appretiatio objecti, & intensio actus: appretiatio enim oritur ex objecti æstimabilitate; intensio autem ex magna, & vehementi applicatione ac conatu potentiæ erga objectum.

Qui dolet de peccatis super omnia verè dolet ex toto corde, & ex tota anima.

557. Dices 3. peccator debet dolere de peccatis ex toto corde, & ex tota anima: ergo dolor ejus debet esse intensus. R. peccatorem dolere ex toto corde de peccatis, quando de peccato dolet super omnia: ad hoc autem non requiri certam intensionem actus, ut satis ostensum est.

Omnis actus charitatis quo Deus

Dices 4. ad judificationem obtinendam extra Sacramentum requiritur charitas, seu perfectus amor Dei super omnia: sed contritio remissa non procedit

ex

ex perfecto amore Dei: ergo &c. R. omnem amorem, quo verè Deus propter se diligitur super omnia, esse actum charitatis perfectæ quoad essentiam, cum ejus essentia in eo consistat, quod Deus propter se super omnia diligatur; hancq; essentialem perfectionem sufficere ad justificationem: intensionem autem actus charitatis esse tantum perfectionem ejus accidentalem, à quà proindè non debet pendere vis, quam habet actus charitatis ad justificandum. Contritio autem, licet remissa, verè est, ut suppono, propter Deum super omnia dilectum.

diligitur super omnia est actus charitatis perfectus quoad essentiam.

558. Neque huic doctrinæ contradicit Aug lib. de nat. & grat. cap. 70. dum ait: *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est*. Sensus enim est, quod qui incipit habere charitatem, incipiat etiã justè vivere; Et qui in charitate provehitur, seu crescit; crescat etiam in vitæ justitia seu justiùs vivat; Et qui magnã adeptus est charitatem: magnam quoq; habeat actuum suorum justitiam seu sanitatem. Et qui denique ad perfectam charitatem pervenit perfectã pariter in omnibus actibus suis exerceat iustitiam. Non igitur illic vult peccatorem necdum justificari cum incipit habere charitatem seu Deum diligere super omnia; sed tunc tantum, cum jam pervenit ad perfectam charitatem: alioqui enim nec provecta, nec magna charitas justificaret, quod certo falsum est. Sed solũ docet crescente charitate, crescere etiam vitæ justitiam. Vndè mirum est hunc locum adferri ab adversarijs ad probandum juxta Augustinum justificationem non obtineri nisi per charitatem perfectam seu intensam, presertim cum ipse variis locis simpliciter tribuat charitati vim justificandi, nulla facta mentione perfectionis seu intensionis ejus: ut tract. 5. in Epist. Ioan. *Intendite* inquit *hoc mandatum Christi dilectio vocatur: per hanc dilectionem peccata solvuntur.* Et tract. 9. in eadem epist. *anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur*.

Explicatur quo sensu dicat Augustinus charitas inchoata inchoata justitia est, &c.

Variis locis Augustinus tribuit simpliciter charitati vim justificandi.

559. Nullam etiam habet vim, quod adferunt ex Aug. Epist. 180. ad Honorat: ubi de populo Sacra-

Explicatur alius Augustini locus.

menta

menta flagitante tempore irruptionis hostilis, sic loquitur: *Si ministri desit, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati essent vel ligati.* Non enim id dicit eo quod necessaria sit contritio intensa ad justificationem obtinendam absq; Sacramento Baptismi aut poenitentiae, & difficile sit intensam habere; sed quia difficilè est praesertim in isto perturbationis articulo, efficaciter de peccatis dolere ex puro motivo charitatis; quod tamen necessarium est ad justificationem absque istis Sacramentis obtinendam.

Explicatur illud Lucae: remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.

560. Dices 5. Luc. 7. de Magdalena dicitur: *remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum*: ergo ad remissionem peccatorum requiritur dilectio R. neg. conseq. non enim ibi assignatur causa necessaria ad istam remissionem; sed narratur id quod evenit. Nec sequitur; obtinuit remissionem peccatorum, quia dilexit multum seu intense: ergo si minus intensè dilexisset, licet vere super omnia Christum dilexisset, non obtinuisset istam remissionem.

Cathechismus Romanus loquitur exaggerativè de intēsione cōtritionis.

561. Dices 6. Catechismus Romanus jussu Pij V. editus sic habet parte 2. cap. 5. num. 32. *Vt enim concedamus contritione peccata deleri quis ignorat illam adeo vehementem, acrem intensam esse oportet, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari, conferrique possit?* R. 1. praeferendam esse authoritati istius Catechismi authoritatem Scripturae, & Concilij Tridentini, ac duorum Pontificum aliter sentientium, ut ostendimus 1. 2. & 3 probatione conclusionis. R. 2. hoc dici exaggerative; vel certe intelligenda esse de peccatorum deletione non tantum quoad culpam sed etiam quoad poenam. Alioqui enim accideret ut habens minorem intensive contritionem justificaretur, & habens majorem non justificaretur: si nempe major necdum aequaret magnitudinem scelerum ob eorum enormitatem: minor autem minoribus sceleribus esset proportionata. Deinde strictè loquendo, nunquam magnitudo contritionis aequare potest scelerum magnitudinem, cum haec sit bono sensu infinita.

562. Dices 7. multi graves authores antiqui contritionem ab attritione distinguunt penes remissum & intensum, videturque ita sentire D Th qu. 28. de verit. a. 3. ad 3. his verbis: *dicendum quod contritio ab attritione præcedente non differt solum secundum intensionem doloris; sed etiam informationem gratiæ.* Ac proindè sentiunt contritionem remissam non justificare extra Sacramentum, cum eam non distinguant ab attritione, R. longè plures alios aliter sentire, & cōtritionem ab attritione distinguere per respectum ad diversa motiva; idque omnino faciendum post Trid. sess. 14. cap. 4. distinctionem contritionis ab attritione in eo ponens quod contritio nititur motivo charitatis: attritio autem communiter concipiatur ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati.

Contritio non distinguitur ab attritione per remissū, & intensum; sed per respectum ad diversa motiva.

563. Quod attinet ad S. Thomam. R. illum quidem ibi attritionem sumere in sensu à varijs tūc recepto pro contritione minus intensa: non tamen negare non sufficere ad justificationem, nisi quando adeo remissa est, ut non sit dolor de peccato super alia omnia mala: juxta id quod habet in 4. dist. 17. quæst. 1. a. 5. quæstiunc. 3. ubi id ita explicat. *Contritio habet duplicem dolorem: unum rationis, qui est displicentia peccati commissi. Et hic potest esse adeo parvus quod non sufficiet ad rationem contritionis; ut si minus ei displiceret peccatum, quam debeat displicere separatio à fine. Sicut amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis. Alium dolorem habet in sensu, & parvitas hujus non impedit rationem contritionis; quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adjungitur Ergo dicendum, quod quantumcumque sit parvus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Vbi vides Angelicum Doctorem vim remittendi peccata tantum denegare contritioni adeo remissæ, ut displicentia peccati non sit supra displicentiā separationis à fine, ac proindè nō habeat verā rationis contritionem; quia de ejus essentia est ut sit dolor de peccato super omnia mala. Expresse autem hanc vim concedere dolori quantūlibet parvo, videlicet

S. Thomas aperte tradit sententiā nostram in 4. dist. 17. q. 1. a. 5. quæstiunc. 3.

quoad

quoad intensionem, *dummodo ad contritionis rationem sufficiat*, hoc est dummodo appretiativè sit dolor de peccatis super omnia alia mala. Quæ ipsissima est doctrina nostra.

Quando ibi dicit; dolorem contritionis quantum vis parvum sufficere ad delendam culpã; certo agit de dolore non sensus sed rationis.

564. Quod autem ait Eximius D. de la Verdure in Tractatu de Contritione art. 3. quæst. 4. pag. 87. hæc verba S. Thomæ *quantumcumque sit parvus dolor* referri ad parvitatem doloris in sensu, nullo modo potest subsistere: quia certum est hæc verba *quantumcumque sit parvus dolor dummodo ad contritionis rationem sufficiat*, intelligenda esse dolore rationis, non sensus; cum hic impertinenter se habeat ad rationem contritionis, ut antea dixit. Sensus igitur est *quantumcumque sit parvus dolor*, qui in ratione est, *dummodo ad contritionis rationem sufficiat*, omnem culpam delet: *non autem hic quantumcumque sit parvus dolor* qui in sensu est, *dummodo ad contritionis rationem perveniat, omnem culpam delet*: quia dolor, qui in sensu est, nunquam potest pervenire ad rationem contritionis, cum ut ante dixit, habeat se ad eam accidentaliter.

Patres exigentes dolorem tanto majorẽ quãto graviora sunt peccata intelligendi sunt de eo quod expedit, nõ quod necesse est fieri.

565. Dices SS.PP. majorem requiruntur contritionis intensionem in eo qui gravius peccavit, quam in eo qui minus graviter, voluntq; ut dolor proportionetur gravitati criminis: ergo sentiunt non sufficere quamlibet contritionem Prob. ant. ex Cypr. Serm. de lapsis. *Quam magna deliquimus: tam granditer defleamus*. Ambr. ad virginem lapsam: *fortiùs est dolendum quia fortiùs est peccatum*: & ibid. *quanta putas, & qualis est necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat*. Similia habent alii Patres. R. Patres sic loquentes intelligendos esse de eo quod convenit fieri à peccatore, non de eo quod absolutè necessarium est ad peccatorum remissionem. Vel certe intelligendi sunt de remissione non tantũ quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam: ad quam delendam multum conducit doloris intensio, & pœnitentiæ gravitas.

566. Nullam etiam contritio exigit temporis durationem sed statim atque existit iustificat peccatorem. Ita cum S.Th. DD. communiter. Prob. 1. ex Script.

Script. Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*, ubi ly *in quacumque die* idem est ac in quacumque hora & momento, ut exponunt plerique PP. & Scripturæ interpretes. Isai. 30. *Miserans miserebitur tui, ad vocem clamoris tui statim ut audierit respondebit*, 2. ex PP. Chrysf. in priore Epist. ad Theod. *in eo momento totius vitæ peccata abstergit*. Aug. in Enchir. cap. 65. *non tam considerandaest mensura temporis, quam doloris*. Leone Epist. 91. ad Theod. *apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio*. 3. ratione, quia tota vis contritionis in eo consistit, quòd sit perfecta conversio ad Deum: sed potest hoc haberi in instanti: ergo &c

Nullam cōtritio exigit temporis rationem idq; prob. ex Script. & PP.

567. Dices instantanea pœnitentia non est proportionata magnis & diuturnis criminibus; neque censeri potest dignus fructus pœnitentiæ; qualis requiritur Luc. 3. R. instantaneam pœnitentiam non esse quidem proportionatam ad Deo plenè satisfaciendum pro magnis & diuturnis criminibus, eaque delenda tam quoad omnem pœnam, quam quoad culpam, & hoc sensu non esse dignum fructum pœnitentiæ; ac proindè in eum finem protrahendam esse pœnitentiam; esse tamen proportionatam ad recuperandam Dei gratiam; quando per eam pœnitens ex motivo charitatis verè convertitur ad Deum: sicut enim per instantaneam aversionem à Deo amittit Dei gratiam: ita æquum videtur, ut per instantaneam ad Deum conversionem per actum veræ contritionis illam recuperet.

Sicut gratia Dei amittitur per instantaneam aversionem à Deo. Ita recuperatur per instantaneam conversionem.

568. Petes quomodo actus contritionis importet actum charitatis, seu dilectionis Dei super omnia, formaliterne? an tantum præsuppositivè? R. si contritio pro motivo suo habeat quod peccata displiceant Deo, quod sint quoddam ejus malum &c. talem contritionem non importari formaliter actum charitatis: illum tamen præsupponere. Ratio est quod tunc motivum contritionis, videlicet displicere Deo esse aliquod ejus malum &c. non sit objectum aliquod amoris & prosecutionis, sed aversionis & fugæ; ut manifestum est: cum ergo tunc & objectum materiale videlicet, peccatum, & objectum formale, vi-

Quomodo actus contritionis importet actum charitatis.

delicet displicere Deo sit objectum aversionis & fugæ non potest in ista contritione includi formaliter actus charitatis, qui est actus prosecutionis.

Omnis aversio & fuga mali fundatur in amore alicujus boni.

Quia verò omnis aversio & fuga mali fundatur in alicujus boni amore & prosecutione: aversio autem & fuga peccati, quatenus est aliquod Dei malum non possit fundari in alio amore, quam in amore & prosecutione ipsius boni Dei, ut ejus bonum est; consequenter dicta contritio habens pro motivo peccata ut sunt aliquod Dei malum, necessario præsupponit amorem boni Dei, ut ejus bonum est, sive ipsius Dei propter ipsum; cum bonum Dei non distinguatur ab ipso Deo.

Quandonam contritio includat formaliter actũ charitatis.

Si verò actus contritionis pro motivo suo habeat infinitam Dei bonitatem & amabilitatem; ita ut peccator verè doleat de peccatis suis, quia per illa Deum offendit infinitè bonum & amabilem. Illa contritio includit formaliter actum charitatis. Quia talis actus tendit in bonitatem divinam, cum bonitas divina sit objectum ejus formale: atqui non tendit in eam per modum fugæ & odii ut patet: ergo per modum amoris & prosecutionis.

Nõ repugnat idem actus in objectivus materiale fugiendo, & in formale prosequendo.

569. Dices 1. idem actus non potest simul habere tendentias oppositas: atqui id fieret, si talis contritio includeret formaliter amorem Dei; quia actus iste tenderet in peccata per modum odii & fugæ, & in bonitatem Dei per modum amoris & prosecutionis: ergo &c. R. istum actum contritionis habiturum tantum oppositas illas tendentias diverso respectu; tenderet enim per modum odii & fugæ in objectum suum materiale, videlicet in peccata; & per modum amoris & prosecutionis in objectum suum formale, videlicet in bonitatem divinam: quod non repugnat. Dicitur tamen actus odii & fugæ, potius quam amoris aut prosecutionis; quia directè tendit in peccata per modum odii & fugæ, indirectè autem tantum in bonitatem divinam per modum amoris & prosecutionis; denominatio autem præcipuè desumitur à tendentia directa.

570. Dices 2. si iste actus esset simul odium peccati & amor Dei, esset prior & posterior seipso, quod implicat.

implicat. Prob. assump. quia quatenus esset odium peccati penderet à seipso quatenus esset amor Dei: ideò enim contritus haberet odio peccatum, quia amaret Deum, ergo &c. R neg. ass. ad ejus Prob. dist. ant. quatenus esset odium peccati dependeret realiter & per veram causalitatem à seipso, quatenus esset amor Dei, neg. dependeret tantum virtualiter & secundum rationem, in quantum scilicet actus iste non tenderet in peccata per modum odii, nisi tenderet in Deum per modum amoris conc. sed hinc tantum sequitur futurum priorem & posteriorem seipso secundum diversas tendentias: nec id quidem secundum rem; sed tantum secundum rationem: quod non repugnat. Imò admitti debet in omnibus actibus habentibus duplex objectum, unum materiale alterum formale: quatenus enim tendunt in objectum formale, sunt priores secundum rationem seipsis ut tendentibus in objectum materiale, eo quod tendat in materiale propter formale.

Talis actus esset secundum diversas tendentias aliquo modo prior & posterior seipso.

571. Dices tertio talis actus tantum tendit in bonitatem divinam ut objectum propter quod, non ut objectum quod: ergo tantum virtualiter includit amorem istius bonitatis, non formaliter. R. actum istum simul tendere in bonitatem divinam ut objectum propter quod odio habetur peccatum, & ut objectum quod diligitur saltem indirectè. Quod sufficit ut dicatur includere formaliter amorem Dei.

572. Dices 4. contritio communiter definitur, dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: ergo tantum præsuppositivè includit istum amorem tamquam causam doloris. R. ly *propter Deum summè dilectum* posse sumi intransitivè, ita ut sit summè dilectus per ipsum actum contritionis. Sæpè quidem amor Dei præcedit contritionem, & illam imperat: sed non videtur id necessarium; & satis est quod Deus per ipsum contritionis actum diligatur, ad hoc ut contritio dicatur dolor de peccatis propter Deum summè dilectum.

Contritio est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum per ipsam cōtritionem.

§. III.

De remissione peccatorum venialium.

De lege Dei ordinaria nec remittuntur venialia sine pœnitentia formali vel virtuali.

573. De lege Dei ordinaria non etiam remittuntur venialia, sine formali vel virtuali pœnitentia. Est communis & certa. Et colligitur ex Scriptura generatim requirente pœnitentiam ad remissionem peccatorum locis supra cit. n. 505. & nominatim ex cap. 2. Apoc. ubi Episcopo Ephes. dicitur: *Habeo adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti*, id est primum fervorem charitatis: *memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam*. Vbi vides exigi ab eo pœnitentiam ob amissum primum fervorem charitatis per peccata venialia. Cum enim laudetur ibi iste Episcopus, & dicatur non defecisse, non videntur ista verba, *habeo adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti*: intelligenda esse de amissione charitatis habitualis, qua Deo grati efficimur. Id etiam ratio suadet: quia peccatum veniale est aliqua voluntaria Dei offensa: ergo conveniens erat ut non remitteretur absque voluntaria ejus retractatione saltem virtuali; quamdiù enim hæc non habetur, censetur adhuc offensa aliquo modo interpretativè voluntaria; adeòq; qui eam admisit, indignus venia.

Sufficit ad remissionem venialium virtualis pœnitentia inclusa in actu charitatis ut excludente affectum ad illa.

Dixi *sine formali, vel virtuali pœnitentia*; quia sicut supra diximus num. 507. posse mortalia remitti per virtualem pœnitentiam inclusam in actu charitatis: multò magis dicendum est posse etiam sic venialia remitti. Ad hoc tamen non sufficit quilibet actus charitatis: quia non omnis actus charitatis excludit affectum ad venialia: non potest tamen sufficere nisi istum affectum excludat: nam sine ista exclusione non haberetur virtualis eorum retractatio, adeòque nec pœnitentia. Requiritur igitur actus charitatis excludens affectum ad venialia. Censetur autem hunc effectum generatim excludere, quando quis vi illius ita affectus est ut nullum veniale vellet deliberatè admittere, & de quolibet admisso doleret, si memoriæ occurreret. Vel tantum particulariter; si vi illius

lius ita affectus sit ut nollet hoc vel hoc veniale in particulari committere.

574. Non est necesse ad remissionem venialium, ut virtualis eorum pœnitentia contineatur in actu charitatis; sed sufficit si contineatur in aliquo altero supernaturali affectu erga Deum aut cultum ejus habente repugnantiam cum illis. Ita communius DD. cum S. Thoma hanc doctrinam tradente q. 87. a. 1. in O. his verbis: *sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur in Deum & res divinas; ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hoc commisisse*, & a. 3. in O. ait Sacramentalia remittere venialia, *in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum*.

Sufficit etiã pius motus in Deum habens repugnantiam cũ venialibus.

Id etiam probat ratio; quia venialia debent per pœnitentiam virtualem faciliùs remitti, quam mortalia: quod non fieret, si ad talem eorum remissionem requireretur actus charitatis: quia difficilius est habere actum charitatis excludentem etiam venialia, quam excludentem tantum mortalia.

575. Non sufficit tamen ad remissionem venialium quilibet actus bonus supernaturalis hominis justi. Ita DD. communiter contra Scot. Dur. Major. Gabr. Bonav. Henriq. &c. Prob. 1. quia non quilibet talis actus hominis justi habet repugnantiam cum quolibet peccato veniali: nam v g. actus bonus temperantiæ non habet repugnantiam cum peccato veniali contra justitiam, ac proindè non est virtualis ejus retractatio: atqui nullum peccatum veniale remitti potest absque pœnitentia saltem virtuali, ut prius probatum est: ergo &c. 2. quia alioqui vir pius ferè semper careret reatu suorum venialium, cum plerumque exerceat actus bonos: quod non videtur dicendum.

Non sufficit tamen omnis pius motus.

576. Ex eo quod homo justus per singulos actus bonos mereatur augmentum gratiæ & gloriæ, non sequitur mereri remissionem venialium; licet plus sit illud mereri, quam hoc. Quia scilicet plus istud & minus non sunt in eadem ratione: nec istis actibus promissa est remissio venialium, ut promissum est augmen-

Qui meretur id quod majus est, non propterea meretur id quod minus est, nisi sit ejusdem rationis.

augmentum gratiæ & gloriæ. Ita licet bona temporalia minora sint æternis, homo tamen justus actu suo bono meretur infallibiliter hæc, non illa.

Dantur motiva attritionis sufficientia ad remissionem venialium extra Sacramentum.

577. Dantur motiva attritionis sufficientia ad remissionem venialium, extra Sacramentum, qualia v.g. sunt quod sint contra obedientiam & reverentiam Deo debitam etiam in minimis: quod retardent possessionem Dei: quod imminuant ejus cultum, & similia motiva perfectioris attritionis. Ita, ut minimum, sentiunt qui indeterminatè docent attritionem sufficere ad remissionem venialium, ut Bonav. Cajet. Valent. Henr. Suar. Azor. Con. Præp. Tan. Amic. &c.

Prob. 1. quia alioqui difficilior esset remissio venialium quam mortalium extra Sacramentum: quia ad utraque remittenda requireretur perfecta contritio, aut actus charitatis: difficilius autem est ut perfecta contritio aut actus charitatis extendat se ad venialia etiam excludenda, quam ad sola mortalia. 2. quia prædicta attritionis motiva fundantur in aliqua perfectione Dei & pœnitens vi illorum aliquo modo dolet de peccatis propter Deum; ergo talis dolor ut minimum sufficit, ad venialium remissionem.

Non tamen ad id sufficit omnis attritio.

578 Non videtur tamen ad id sufficere attritio concepta ex propria turpitudine cujusque venialis, aut solo metu pœnarum purgatorii ob venialia incurrendarum. Ita, ut minimum, sentiunt, qui indeterminatè asserunt attritionem non sufficere ad remissionem venialium extra Sacramentum; ut sunt Richar. Palud. Pet. Soto. Vasq. Lorc. Laym. Becan. Si enim de aliqua attritione id debet verificari, id præsertim intelligi debet de attritione nitente istis motivis imperfectioribus.

Prob conclusio: quia alioqui ne secundariò quidem Sacramentum Pœnitentiæ institutum esset ad remissionem venialium; quia semper præsupponeret venialia prius remissa per attritionem, cum hæc saltem prærequiratur ad valorem & effectum istius Sacramenti: atqui illud est contra communem sensum fidelium venialia confitentium ad eorum remissionem

Alioqui enim nequidē secundariò Sacramentū

nem obtinendam per Sacerdotis absolutionem. Videturque repugnare Tridentino sess. 14. cap. 5. dicenti piorum hominum usum demonstrare peccata venialia rectè & utiliter in confessione declarari; utique in ordine ad eorum absolutionem obtinendam: ergo &c.

Pœnitentiæ esset institutum ad remittenda venialia.

579. Dices 1. hæc ratio non videtur efficax: dici enim poterit venialia prius remissa posse iterum remitti per absolutionem Sacerdotis: Sicut iterato remittuntur mortalia iterato in confessione declarata. Neque hanc secundam remissionem esse inutilem; quia in ea confertur aliquod augmentum gratiæ, & dimittitur pars pœnæ venialibus prius remissis adhuc debitæ.

Quia semper supponeret illa prius remissa.

R. per id quidem ostendi non futuram adhuc inutilem confessionem venialium: sed non salvari quod Sacramentum pœnitentię sit saltem secundario institutum ad remittenda venialia quoad culpam; quia juxta istam sententiam nunquam poterit primo illa remittere quoad culpam, sed per se supponet hanc eorum remissionem. Non potest autem hoc Sacramentum dici etiam secundario institutum propter effectum, quem per se supponit semper prius habitum. Atque illud ipsum est argumentum, quo plerique ex adversariis utuntur ad probandum contritionem perfectam non esse dispositionem necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ, quia alioqui semper præsupponeret remissionem mortalium propter quam esset institutum, quod dici non potest.

580. Nec dici potest requiri certam intensionem attritionis ad hoc ut extra Sacramentum venialia per eam remittantur, adeoque posse adhuc primam venialium remissionem obtineri per Sacramentum Pœnitentiæ: alioqui enim similiter dici posset requiri certam intensionem contritionis, ut contritio extra Sacramentum justificet; ac proindè hæc duo stare, & contritionem esse dispositionem necessariam ad Pœnitentiæ Sacramentum; & tamen posse adhuc mortalia per illud primo remitti. Atque ita corruet primarium fundamentum sufficientiæ attritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Non potest dici quod requiratur certa intensio attritionis, ut remittat venialia extra Sacramentum.

Non sufficit omnis efficax retractatio venialis.

581. Dices 2. attritio concepta ex dictis motivis est efficax venialium retractatio & dolor: ergo sufficit ad eorum remissionem iniusto & Dei amico: quia lex amicitiæ videtur postulare ut leves offensæ dimittantur, quando habetur efficax earum retractatio & dolor. R. motiva illa non esse satis perfecta ad remissionem venialium extra Sacramentum; sed in eum finem requiri retractationem, & dolorem ex motivo aliquo fundato in aliqua Dei perfectione, qualia sunt motiva assignata num. 577. & similia, ita ut dolor de illis sit aliquo modo propter Deum per illa offensum; idque divinæ amicitiæ legem postulare.

Sacramenta omnia remittunt venialia ex opere operato.

582. Peres 1. an venialia remittantur ex opere operato per omnia Sacramenta? certum est sic remitti per Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ; quia utrumque hoc Sacramentum institutum est ad remissionem omnium peccatorum. Remitti pariter per Sacramentum Eucharistiæ satis constat ex Trid. sess. 13. cap. 2. ubi dicit hoc Sacramentum datum esse, *tanquam antidotum quo liberamur à culpis quotidianis*, hoc est venialibus. Remitti quoque per Extremam Vnctionem apertè colligitur ex ejus forma in qua dicitur indulgeri quidquid per inunctum sensum delictum est; adeòque & venialia.

Remitti similiter per alia Sacramenta non tantum mediatè per excitationem devotionis & fervoris, ut varii affirmant; sed etiam immediatè ex opere operato docent Suarez, Vasq. Henriq. Azor. aliique Theologi communius cum S. Thoma q. 87. a. 3. in O. ratio est quod hæc etiam Sacramenta instituta sint ac sanctificandas animas easque perducendas in finem suum ultimum; ac proindè ad removenda illius impedimenta qualia sunt venialia.

Ad id tamen requiritur formalis vel virtualis dolor de illis.

483. Vt venialia per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur, requiritur formalis dolor de illis; quia talis dolor est pars essentialis istius Sacramenti. Vt autem remittantur per alia Sacramenta, sufficit virtualis inclusus in pio aliquo motu in Deum habente repugnantiam cum illis; quia respectu aliorum Sacramentorum cessat ratio allata pro Sacramento Pœni-

Pœnitentiæ:nec est alia assignabilis exigens dolorem formalem,præsertim cum possint etiam extra Sacramenta remitti sine dolore formali, ut probatum est num.73. imò Sotus, Suar. Tann.& alii non pauci existimant ut venialia per ista Sacramenta remittantur sufficere negationem affectus erga illa cum desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum. Probabilius tamen videtur requiri aliquam saltem pœnitentiam virtualem propter authoritatem Scripturæ generatim ad peccatorum remissionem pœnitentiam requirentis.

584. Petes 2. an venialia remittantur etiam per sacramentalia: dicuntur autem sacramentalia res quædam ab Ecclesiæ ministris consecratæ ad certos fines spirituales, ut sunt aqua lustralis, palmę, cineres, &cerei benedicti, & variæ unctiones non sacramentales.

Certum est varia sacramentalia, ac præsertim aquam lustralem habere vim aliquam ad remittẽda venialia.

R Affir.hic est enim communis fidelium sensus;& ab ipsa Ecclesia in eum finem adhibentur. Quæ duo in similibus sunt magni ponderis: supponunt enim aliquam de hac re traditionem, videturque respectu aquæ benedictæ id definitum ab Alexandro I. de consec.dist. 3. his verbis: *Aquam sale conspersam in populis benedicimus ut ea cuncti aspersi sanctificentur*, Videlicet per remissionem peccatorum, non mortalium: ergo venialium.

585. Hunc tamen effectum non videntur habere immediatè ex opere operato, quia id videtur esse proprium Sacramentis; sed tantũ mediatè ex opere operantis,mediante scilicet pœnitentia formali vel virtuali,ad quam agendam auxilia aliqua infallibiliter à Deo impetrant. Ita communius Theologi cum S.Th.q 87.a.3. ad 1. his verbis: *Dicendum quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium in quantum inclinant animam ad motum pęnitentiæ qui est detestatio peccatorum vel explicitè vel implicitè*. Ista autem inclinatio habetur mediantè auxilio gratiæ actualis.

Non tamen vidẽtur hũc effectum habere immediatè ex opere operato.

Quamvis autem lectiones piæ, imagines sacræ, conciones,&c. moveant etiam ad pœnitentiam;non tamen eis tribuitur, ut sacramentalibus, vis remittendi

tendi venialia: quia non impetrant nobis infallibiliter auxilia ad pœnitentiam necessaria; ut impetrant sacramentalia.

Dicuntur autem mediantibus istis auxilijs remittere venialia potius, quam mortalia; quia non sunt ab Ecclesia instituta ad mortalium remissionem, sed venialium: & auxilia quæ impetrant sunt ordinariè ad venialium remissionem, non mortalium.

Competit etiam orationi dominicæ, confessioni generali, tunsioni pectoris &c. vis aliqua ad venialium remissionem

586. Cum ex communi sensu Ecclesiæ competat etiam orationi dominicæ, confessioni generali, tunsioni pectoris, eleemosynæ, &c. vis aliqua specialis ad venialium remissionem; similiter dicendum est id illis convenire non immediatè quasi ex opere operato; sed tantum mediatè, mediante scilicet motu pœnitentiæ ad quem excitant, & auxilia impetrant. Et ita etiam sentit. &c. Angelicus art. cit. in O.

Venialia cũ quibus justus decedit remittuntur per cõtritionem animæ statim ab ea post mortẽ elicitam.

587. Petes 3. quomodo remittantur venialia cum quibus justus moritur, ut ferè semper accidit in casu repentinæ mortis? R. remitti per actum contritionis aut amoris; quem statim de illis elicit anima iusti à corpore separata. Ita communiter Theologi cum S. Thoma q. 7. de malo a. 11.

Dices nullus actus post hanc vitam est meteritorius aut satisfactorius: ergo nullus potest causare remissionem venialium. R. neg. conseq. potest enim hanc remissionem causare per modum impetrationis. Ita licet beati in cœlo nihil ampliùs possint mereri. possunt tamen multa nobis impetrare. Distingui etiam potest antecedens cum S. Thoma in 4. dist. 21 q. 1. a. 3. ad 4. ubi sic habet; *Dicendum quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis; sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu viæ aliquo modo: & ideo in Purgatorio potest esse actus meritorius, quantum ad remissionem culpæ venialis.*

Peccata venialia remittuntur formaliter per specialẽ productionẽ gratiæ, non per ipsam gratiam.

588 Petes 4. per quid formaliter remittantur peccata venialia? R. neq; formaliter remitti per gratiam habitualem, quia hæc nullam habet cum venialibus repugnantiam; cum certum sit hominem justum posse in sensu composito peccare venialiter. Neque formaliter remittuntur per actus ipsius pœnitentis:

nitentis: alioqui enim implicaret esse actus pœnitentis, & venialia non remitti: cum tamen absolutè loquendo possit Deus actus illos non acceptare ad venialium remissionem. Dicendũ igitur formaliter illa remitti per specialem productionem gratiæ habitualis dicentem intrinsecũ ordinem ad Deum ut condonantem hoc vel illud veniale. Cùm enim volitiones Dei liberæ, ut communius docetur, important terminum aliquem extrinsecum: non apparet aptior terminus divinæ volitionis liberę, quâ veniale condonatur; quam ipsa productio gratiæ, quæ ex ratione sua individuali dicat essentialem ordinem ad istam volitionem.

589. Inferes 1. ergo stante ista productione non poterit amplius committi veniale ejusdem speciei cũ remisso. R. neg. illat. quia ista productio tantum habet repugnantiam ut stet cum remisso, non cum aliis ejusdem speciei; quia tantum est terminus divinæ voluntatis hoc in individuo peccatum condonantis; non alia ejusdem speciei. Specialis illa productio tantũ repugnat peccato condonato.

590. Inferes 2. ergo in peccatoribus prius natura remittentur venialia quã mortalia, quod est absurdum Prob. illat. quia venialia remittentur formaliter per productionem gratiæ; mortalia verò per ipsam gratiam: productio autem gratiæ est aliquo modo natura prior ipsa gratia. R. productionem gratiæ consideratam ut terminum divinæ voluntatis veniale condonantis, esse ratione posteriorem ipsa gratia considerata ut est terminus ejusdem voluntatis mortale condonantis: quia Deus non vult remittere venialia antecedenter ad mortalium remissionem sed tantum consecutivè. Remissio venialium est ratione posterior remissione mortalium.

§. IV.

De meritorum per Pœnitentiam reviviscentia.

591. MErita bonorum operum per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam. Est communis, & ita certa, ut oppositum sit temerarium, & periculosum, ut Suar. Amic. & alij; Bona opera mortificata reviviscunt per pœnitẽtiam.

vel

vel errori proximum, ut Bannes, vel etiam erroneum, ut Nunnus.

Probatur id ex Scripturis, & Concilio Tridentino.

Prob. 1. ex Apost. ad Heb. 6. 10. *Non enim injustus est Deus; ut obliviscatur operis vestri, &c.* quem locum de operibus mortificatis intelligũt Amb. Ansel. & alii PP. communius apud Suar. imò quantum apparet, etiam Trident. sess. 6. cap 16. initio. Item ex eodem ad Galat. 3. *Tanta passi estis sine causa; si tamen sine causa*: cujus loci juxta Hier. Chrysost. Amb. Anselm. & alios PP. hic est sensus: si tamen frustra dicendi sitis ista passi: cum, si volueritis de peccatis vestris pœnitentiam agere; accepturi sitis mercedem istarum passionum.

2. Ex Trid. sess. 6. c. 16. & can. 32. ubi tres tantum ponit conditiones ad hoc, ut bona opera prosint ad vitam æternam, 1. ut procedant à gratia habituali tamquam à principio vitæ intrinseco, 2. ut sint supernaturalia. 3. vt homo decedat in gratia: quæ conditiones reperiuntur in meritis mortificatis, homine per pœnitentiam resurgente, & in justitia decedente.

Ratio etiam id suadet quia condonatio.

3. Ratione, quia bona opera justorum ex suis intrinsecis digna sunt vita ęterna, quæ illis in præmium à Deo est absolutè, & simpliciter promissa: & condonatio peccati facta pęnitenti est absoluta absque ulla cõditione aut limitatione: ergo merita sublato per pœnitentiam peccato, quo impediebatur eorum efficacia, reviviscunt, & denuo incipiunt homini jus tribuere ad præmium vitæ æternæ: sicut si princeps injuriam integrè, & simpliciter remittat subdito, eo ipso subditus recuperat omnia jura, quæ ante habebat, etiam accipiendi mercedem suis antiquis obsequiis debitam, qua alioqui privari potuisset in pœnam offensę suæ, si princeps noluisset eam plenè, & simpliciter condonare.

Mortale privat jure proximo ad gloriam non remoto.

592. Quamvis ergo homo per peccatum privet se omni jure proximo, & expedito ad vitam æternam, non tamen omni jure remoto, ac velut suspenso, & conditionali: jus enim ad gloriam in meritis fundatum, non extinguitur totaliter, nisi per statũ æternæ damnationis, in quo cum potestate resurgendi planè

à pec.

à peccato, tollitur omne jus ad gloriam, quod in peccatore adhuc viatore non erat extinctum, ſed ſopitum ac ſuſpenſum.

593. Ex eo quod non ſit minor vis in peccato deſtruenda merita, quàm in actu charitatis ac deſtruẽda demerita ſeu peccata: imo ſit major, cum peccatum ſit aliquo modo infinitæ malitiæ: actus autem charitatis tantum finitę bonitatis: non ſequitur merita abſolutè per peccatum deſtrui; ut per actum charitatis deſtruuntur demerita: quia hæc abſoluta demeritorum deſtructio non tam oritur ex bonitate, & valore actus charitatis; quam ex Dei bonitate & miſericordiam iſtum actum ad id acceptantis: & nolentis merita per peccatum infinitæ licet cujuſdã malitiæ abſolutè deleri: ut colligimus ex Script. Conc. & PP. idque valdè conforme eſt infinitæ Dei bonitati pronioris ad miſerendum, quam ad puniendum.

Cur potius demerita abſolutè deleantur per actum charitatis; quam merita per peccatum.

594. Reviviſcunt porrò non tantum ad præmium aliquod accidentale: neq; ſolum ad partem aliquam eſſentialis premii; ſed etiam ad totum eſſentiale, & quidem adæquatè diſtinctum ab eo quod debetur actui pœnitentiæ, per quem reviviſcunt.

Merita reviviſcunt ad totum præmium eſſentiale: cum ſimpliciter remaneãt in Dei acceptatione, quam diu homo eſt in via.

Quod ad totum eſſentiale, prob. 1. Quia alioqui contra dictum Apoſtoli ad Hæb. 6. 10. Deus videretur injuſtus, ſi iſta merita privarentur aliqua parte præmij ſibi abſolutè promiſſi. 2. Quia conditione ex Trid. requiſitæ ſup. nu. 591. ut bona opera proſint ad vitam ęternam, conveniunt meritis reviviſcentibus in ordinem ad totum prēmium, quod ipſis debebatur ante lapſum in mortale. 3. Quia ratio, propter quam merita reviviſcunt, eſt quod ſimpliciter remaneant in divina acceptatione, quamdiu homo eſt in ſtatu viatoris, adeoque per peccatum non extinguantur; ſed ſolum impediantur: unde fit ut peccato per pęnitentiam ſublato, ſuam efficaciam neceſſariò recuperent, Hęc autem ratio æquè probat merita reviviſcere integrè quoad totum præmium ſibi ab initio debitum, quam quoad illius partem: quandoquidem impedimentum, ſeu quod eſt eſſe in ſtatu peccati utpotè conſiſtens in indiviſibili, non poſſit

Rationes probãtes meritorum reviviſcentiã, probant ea reviviſcere ad totũ præmium eſſentiale.

tolli

tolli inadæquatè respectu unius partis efficaciæ meritorum, & non respectu alterius.

Conf. quia licet dispositio, per quam tollitur impedimentum seu peccatum, sit divisibilis, & modo major, modo minor quatenus tamē concurrit ad reviviscentiam meritorum, habet se indivisibiliter, cum ad id nō cōcurrat ut dispositio, sed pure ut conditio removens prohibens, seu ut sublatio impedimenti efficaciæ meritorum.

Reviviscūt ad premium adæquatè distinctum à præmio debito dispositioni ad reviviscentiā requisitæ.

595. Quod verò reviviscant quoad præmium adæquatè distinctum, Prob. 1. quia alioqui contra rationes jam allatas merita reviviscentia ex parte carerēt prēmio sibi debito, quatenus scilicet non acciperent aliud, quam quod merito præsentis dispositionis debetur cum morali judicio censeri nō posset antiquis meritis præmium saltem condignum retribuit, si aliud non detur, quam quod postea novis meritis debitum est. 2. Quia per sublationem peccati recuperant totam efficaciam, quam ante peccatum habebant, & secluso peccato semper habuissent, nempè jus ad proprium præmium, & adæquatè distinctum à quovis alio quomodocumque aliundè debito.

Meritis adęquatè distinctis debentur merita adæquatè distincta.

3. Quia meritis adęquatè distinctis, & finitis, adeoque præmio proprio sibi adęquato compēsabilibus, debentur prēmia adęquatè distincta: quia cū morali æstimatione plus sit in remunerationem accipere duo, quàm unum duplici titulo, non censerentur ex condigno adęquatè compensari, si diversis meritis idem præmium redderetur. Si enim princeps militi crimen capitali remitteret cū promissione omnium stipendiorum antea debitorum, morali judicio non satisfaceret condignè, si cum ille de novo stipendia meruisset unam eandemque pecuniam solveret duplici titulo, nempè ratione novorum, & veterum obsequiorum. Sicut è diverso si peccata primū mortale peccatum subsequentia solum punirentur pœna primo peccato debita pluribus titulis inflicta, non censerentur propriè puniri, nec causare incrementum supplicii verum, & idoneum ad deterrendos homines à multiplicatione peccatorum.

596. Ne-

599. Neque his obſtat, quod præmium idem materialiter & entitativè datum & merito nobiliori, morali æſtimatione majus ſit, quam datum ex ignobiliori; ut patet in corona data in militari certamine, quæ longè pluris æſtimatur quam planè ſimilis, aut eadem numero data in certamine nautico: diſparitas enim eſt, quod apud homines valor præmii præcipuè attendatur ex honore & æſtimatione hominum, quæ per præmium oſtenditur de alicujus virtute: at valor præmii eſſentialis in Cælo ex ſola majori vel minori perfectione viſionis Dei: ad quam nihil prorſus accedit, per hoc quod pluribus titulis conferatur.

Præmium ab homine datum dignificatur ex hominum æſtimatione: ſecus eſſentiale datum a Deo

597. Non negamus tamen poſſe ſubinde præmiũ aliquod duplici titulo conferri, ut contingit in Chriſto, cujus meritis omnibus non aliud præmium eſt redditum quam quod ſingulis adæquatè debebatur; ſed hoc factum eſt per accidens ratione infinitudinis, quam habebant ſingula ejus merita: undè non poterat ullum præmium uni ejus merito reddi, quod non eſſet in actu 1. æquè debitum alteri.

Singulis Chriſti meritis in actu 1. debebatur quolibet præmium.

Dico *in actu* 1. quia cum ſingula non fuerint ſeorſim à Chriſto oblata, & à Deo acceptata ad ullum præmium in particulari (ut communiter docent Theologi in tractatu de Incarnatione) ſed omnia ut morte conſummata per modum unius ad totum præmium à divina prouidentia conſtitutum, ſingula ſeorſim non fuerunt in actu ſecundo meritoria ullius præmii determinatè. Sed in puris hominibus, quorum merita ſunt finita, non poteſt idem evenire.

Non quærũt tamen meritoria in actu a niſi ut morte conſumm.ta.

698. Quod enim communiter dicitur vita æterna juſtis duplici titulo retribui, hæreditatis ſcilicet & mercedis nihil facit ad præſentem quæſtionem. 1. Quia tituli iſti ſunt diverſæ rationis, nempè unus gratuitus; alter oneroſus: & prior non adfert obligationem ex juſtitia. Agimus autem hic de titulis importantibus propriam juſtitiæ obligationem. 2. Quia hi tituli in rigore non ſunt diuerſi, vel certè ſinguli habent propriam gloriã ſibi reſpondentem: vel enim agitur de titulo hæreditatis fundato in gra

Tituli mercedis & hæreditatis vel non ſunt proprié diverſi vel accipiunt diverſa præmia.

tia accepta independenter à meritis v.g. baptismali: & hic quidem est diversus à titulo fundato in meritis; sed habet etiam certum gradum gloriæ sibi respondentem distinctum a gloria respondente meritis. Vel agitur de titulo fundato in gratia accepta dependenter à meritis; & tunc tituli mercedis, & hæreditatis non sunt duo tituli disparati, & ab invicem independentes; cum posterior sit; partiale præmium prioris homo enim eodem actu meretur gratiam, qua constituitur Dei Filius: adeoque hæres: & simul ipsammet gloriam.

Merita revivi scunt in ordine ad totam gratiam iis respondentem.

599. Ex dictis sequitur meritis reviviscentibus etiam restitui gratiam totam iis respondentem, & quidem statim ipso instanti justificationis: quia cũ pro illo instanti supponatur impedimentum per pœnitentiam sublatum, nulla est ratio cur merita ante mortificata non statim exerant suam efficaciam, quę ante suspensa erat: præsertim cum jus ad gloriam, quod statim recuperatur, non respondeat meritis nisi mediante gratia habituali: quæ est ejus semen, & fundamentum juris ad illam.

Ista gratia non infunditur per se vi pręsẽtis dispositionis, sed per accidens.

600. Neque obstat quod dicit Trid. sess. 6. ca. 27. gratiam non infundi, nisi justa mensurã dispositionis, quæ in peccatore resurgente ut plurimum non adæquatur toti gratiæ quæ meritis mortificatis erat acquisita: hoc siquidem intelligendum est de gratia, quæ infunditur per se vi præsentis dispositionis, ut ibid. docet Trid. non de illa quę infunditur per accidens ratione meritorum præcedentium, respectu cujus præsens dispositio solum se habet ut removens prohibens.

601. Difficilius est quod habet S. Th. quæst. 89. a. 5. ad 3. ubi apertè docet merita reviviscere ad præmium essentiale, & consequenter ad gratiam, solum secundum quantitatem præsentis dispositionis. Verum D. Thomæ opponi potest authoritas plurimorum antiquorum, & recentiorum Theologorum aliter sentientium. Item ratio ab ipsomet D. Th. allata in O, quod nempe ideo merita reviviscant, quia etiã post peccatum manent in divina acceptatione: hæc enim ratio videtur efficax pro sententia nostra.

602. Ad-

602. Adde ex opposita sequi magna incommoda, v.g. illum qui habuit innumera merita, non obtinere plus gratiæ & gloriæ quam qui nulla habuit merita, sed demerita plurima si uterque, cum æquali contritione resurgat, & statim moriatur. *Ex opposita sententia sequuntur varia incommoda.*

603. Peccata tamen semel remissa numquam deinceps reviviscunt, sive quoad culpam, sive quoad pœnam. Est D. Th. & aliorum communis, & certa contra Gratianum de pænit. dist. 4. Hugonem a S. Victore, & Propositum apud Bonav. quibus favent Magister & Occam. *Peccata remissa non redeunt formaliter per sequentia.*

Prob. 1. ex Scrip. quæ ubicumque agit de remissione peccatorum per pœnitentiam & justificationem, significat eam fieri simpliciter & absolutè, non sub conditione perseverantiæ: ut Isajæ 1. ubi peccata per pœnitentiam dicuntur *dealbari ut nix*. Ps. 50. ubi dicuntur *mundari deleri, &c.* Mich 7. *proiici in profundum maris*, Ioan. 1. per Christum *tolli*: quæ omnia, uti & forma absolutionis sacramentalis, in qua nulla exprimitur aut subintelligitur conditio, apertè significant absolutam peccatorum remissionem. Quibus accedit Trid. sess. 5. decreto de peccato originali, §. 5. docens peccatum originale (eademque est ratio de actualibus) ita per Baptismum tolli, ut nihil ejus remaneat: quod autem semel absolutè remissum est, non potest redire per sequens peccatum; cum per illud non iteretur; neque Deus utpotè immutabilis propter illud revocare possit absolutam eorum condonationem. *Probatur ex Scripturis asserentibus peccata absolutè condonari. Item ex Tridentino in decreto de peccato originali.*

2. Authoritate Gelasii Papæ relati de pœnitentia dist. 4. cap. ult. ubi dicit; *Divina clementia remissa peccata in ultionem ulterius vivere non patitur.* Et S. Prosperi in respons. ad 2. objectionem Gallorum, ubi ait: *Qui enim recedit à Christo & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id quod remissum est recedit, nec in originali peccato damnabitur; qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur.* *Et ex Gelasio Papa disertè id docente.*

Confir. Quia peccatis remissis exhibita est condigna satisfactio per applicationem meritorum Chri-

liti: ergo non possunt amplius imputari ad reatum.

Quando Scriptura significat Deū recordari peccatorum intelligenda est de pœna non remissorum.

604. Quod si Scriptura subindè significet Deum occasione data recordari peccatorum præteritorum, ut Ps.78. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*: & Ps.108. *in memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini*: intelligenda est, vel de pœna peccatorum non remissorum; vel de pœna temporali remissorum; quorum Deus videtur fuisse oblitus, dum ea punire distulit; recordari verò, cum ex occasione sequentium, quibus impletur mensura, ultra quam punitionem decrevit non differre, ea punit.

Ex parabola servi immisericordis nō rectè infertur peccatorum reditus.

605. Parabola servi immisericordis apud Matth. cap.18. non significat peccata ante demissa redire post relapsum; sed quod Deus quamvis infinitè misericors, nulla misericordia sit usurus erga immisericordes in proximum: hic enim solum est parabolæ scopus, ut ex contextu patet.

Augustinus intelligendus est de virtuali peccatorum reditu.

Augustinus quidem ex hac parabola videtur colligere reditum peccatorum Ser.15. de verbis Domini paulò ante finem, ubi sic habet; *dicit illi Dominus dimitte &c. si enim non dimiseris revocabo te, & quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi: non enim mentitur veritas, non fallit Christus, qui dixit, sic & vobis faciet Pater vester &c.* & lib.1. contra Donat. cap.12. post med. *redire dimissa peccata ubi fraterna charitas non est, apertè docet Christus in Evangelio de illo servo &c.* idem ex eadem parabola colligit Greg. lib.4. dial dicens: *ex quibus dictis constat, quia si hic, quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus; & illud rursus exigitur quod nobis jam per pœnitentiam demissum fuisse gaudebamus.* R. Aug. & Greg. aliosque PP. similia habentes exponendos esse de virtuali peccatorum reditu, uno ex quatuor modis infra referendis num.610.

606. Ex verbis autem Ezech. cap.18. ubi Deus dicit se non recordaturum omnium iniquitatum impii, *si egerit pœnitentiam*; & ✝.24. similiter, se non recordaturum omnium justitiarum justi, *si avertit se à justitia*, hoc solum colligi potest, quod sicut peccata antiqua non nocebunt impio in ordine ad pœnam æternam, si egerit pœnitentiam, & in ea perseveraverit

verit usque ad mortem; ita etiam justo; si peccet, & in peccato moriatur merita antiqua nihil profutura sint in ordine ad vitam æternam.

607. Atque hinc colligi potest, quod licet peccata dimissa secundum se adhuc sint Deo odibilia, non tamen in ordine ad redendum hominem odio dignum, (cum etiam peccata à Beatis admissa secundum se spectata maneant objectum aversionis Divinæ) ac proindè eadem peccata non manere eodem modo in abominatione divina, quo merita manent in divina acceptatione: nam merita, peccato superveniente; non extinguuntur per decretum absolutum illa numquam præmiandi, sed solum suspenduntur per conditionatum illa non præmiandi si homo usque ad mortem permaneat in peccato. At peccata absolutè remittuntur, ut probatum est.

Peccata remissa semper remanent in Dei abominatione secundum se non tamen in ordine ad reddendum hominē Deo odibilem.

608. Neque obstat, quod Deus propter relapsum in peccatum gratiam peccatori subtrahat: quam tamen in justificatione eidem absolutè contulerat; ex quo sequi videtur, quod remissionem peccati quantumvis absolutè collatam, etiam revocet per subsequens peccatum: licet enim det gratiam absolutè pro eo instanti, quo illam dat, non tamen cum decreto absoluto eam in perpetuum conservandi independenter à libertate hominis, sed cum conditionato; si homo nullum admittat peccatum mortale, cum quo repugnantiam habet gratia, non peccati præteriti remissio: quæ proindè non est necessariò facienda sub tali conditione, sicut gratiæ collatio; sed potest fieri omninò absolutè, & de facto ita fit: ut supra probatum est.

Deus conservat gratiam dependenter à libertate hominis.

609 Quod autem pœna temporalis debita peccato remisso quoad culpam & non totaliter quoad pœnam, fiat æterna in homine ob aliud crimen postea commissum damnato, (ut docent varii TT. contra Scot. Gab. & alios probabiliter id negantes) non probat peccatum condonatum redire, saltem quoad reatum pœnæ æternæ: sed solum quod pœna temporalis non remissa per accidens fiat æterna.

610. Possunt tamen peccata semel remissa redire: imò de facto redeunt virtualiter; aut secundum quid

Variis modis dici possunt peccata remissa virtualiter redire per subsequentia.

idque variis modis. 1. Ratione eorum, quæ omnibus mortalibus sunt communia, ut reatus culpæ, & pœnæ æternæ &c. cum enim ista causent sequentia mortalia sicut ante remissionem causabant priora, censentur hæc per illa æquivalenter redire. 2. Ratione ingratitudinis, quæ cùm sit tantò gravior, quantò plura aut graviora ante fuerunt dimissa, censentur hæc virtualiter redire, quatenus propter ipsa sequens peccatum gravius fit. 3. Ratione substractionis auxiliorum abundantium quæ Deus novis peccatis offensus, ita sub indè negat, ut homo relabatur in peccata priùs dimissis similia, aut graviora: quo sensu rectè explicat Vasquez Parabolam servi nequam de qua num. 105. 4. Ratione pœnarum temporalium, quas Deus, mensura per sequens peccatum impleta infligit, alias non inflicturus; quo sensu intelligendus est Aug. relatus de pœnit. dist. 4. c. 1. ubi dicit rediisse iniquitatem patris & matris ejus.

Numquam ratione ingratitudinis redeunt secundum totum reatum.

611. Cæterum ratione ingratitudinis numquam redeunt secundum totum reatum, quem causabant ante remissionem. S. Th. p. 88. a. 3. & alii communiter contra quosdam antiquos. Ratio est quod peccata remissa solum concurrant ad ingratitudinem per modum objecti remoti ratione beneficii remissionis de illis obtentæ; undè non possunt ei retribuere tantam malitiam, quantam habent in se formaliter; sed proportionaliter majorem pro ratione suæ gravitatis, secundum quam æstimatur quantitas beneficii remissionis, cui ut rectè S. Th. malitia ingratitudinis solum commensuratur secundum proportionem geometricam, non secundum arithmeticam.

§. IV.

De obligatione aliquando pœnitendi.

Peccator tenetur aliquando pœnitere: non tamen statim à peccato admisso.

612. Teneri peccatorem aliquando pœnitere satis constat ex iis quæ supra n. 505. diximus: de necessitate pœnitentiæ: media enim ad salutem necessaria certò cadunt sub præceptum. Quandonam autem teneatur difficilius est determinare.

Circa

Circa quam difficultatem, hoc primo videtur dicendum non teneri peccatorem statim à commisso peccato pœnitere. Ita communiter DD. præsertim recentiores contra Guilielmum Parisiensem: Argent. Palud. Mens. Marsil. Major. Anton. Sylvest. & paucos alios apud Suar. Tann. Amic. & alios: quibus consentit Bonavent. respectu Religiosorum, eo quod totum tempus vitæ Religiosæ videatur ipsis tempus pœnitentiæ. Prædicti tamen authores, ut advertit Suares, ly statim ita accipiunt, ut tantum velint esse obligationem pœnitendi quamprimum occurrit memoriæ cogitatio offensæ Dei contra quos.

613. Prob. concl. 1. quia non debet adstrui tam gravis obligatio sine sufficienti fundamento; quale nullum esse patebit ex solutione objectionum. 2. quia præceptum pœnitendi est præceptum affirmativum: præcepta autem affirmativa non solent statim, & semper obligare; sed tantum certis temporibus. 3 ex communi sensu & praxi fidelium etiam timoratorum, qui non solent confiteri, quod non statim pœnitētiam egerint, quando ipsis occurrit, quod Deum offenderant. Nec solent confessarii hac de re pœnitentes interrogare; quod tamen deberent facere si esset obligatio statim pœnitendi. 4. quia Ecclesia tantum præcipit ut fideles semel in anno confiteantur: ergo signum est quod non sit obligatio statim pœnitendi: alioqui enim deberet præcipere, ut statim seu prima opportunitate admissum peccatum confiterentur: quia si sit obligatio statim pœnitendi, utiq; in eum finem est, ut peccator Deo reconcilietur eiq; satisfaciat. Non est autem certius ad id medium, quā Sacramentum pœnitentiæ. 5. denique quia si peccator teneatur statim ad pœnitentiam, ac peccati sui meminit, ista obligatio debebit esse de pœnitentia sufficiente ad justificationem: quia finis ejus erit sublatio inimicitiæ Dei: ergo tenebitur ad justificationem priusquam recipiat Sacramentum pœnitentiæ; ac proindè hoc Sacramentum non erit Sacramentum mortuorum, sed vivorum, quod falsum est.

Nō est enim sufficiens fūdamentū adstruendi tam gravem obligationem.

Et colligitur ex eo quod Ecclesia tantum præcipiat annuam cōfessionem.

614. Scripturæ igitur quæ videntur obligare peccatorem ad statim pœnitendum: ut Eccl. 5. *Non tar-*

dos converti ad Dominum , & ne differas de die in diem : ibid. 1. *quasi à facie colubri fuge peccata* ; & aliæ similes dicendæ sunt continere consilium, non præceptum . Vel certè intelligendæ sunt de actuali affectu ad peccatum , quem statim tenetur peccator deponere .

Scripturæ quæ videntur significare, vel tantū continent cōsilium vel intelligendæ sunt de affectu actuali ad peccatum

615. Similiter S. Thomas intelligendus est de permanentia in peccato actuali , dum 22. q. 62. a. 18. in O. ait : *manifestum est quod per modicum tempus licet in peccato morari ; sed quilibet tenetur peccatum statim deserere* . Dum autem in 4. dist. 17. q. 8. a. 1. quæstiunc. 4. in O. sic habet : *dicendum , quod cum propositum confitendi sit annexum contritioni ; tunc tenetur aliquis ad hoc propositum , quando ad contritionem tenetur scilicet quando peccata memoriæ occurrunt , & præcipuè cum in periculo mortis existit : aut in aliquo articulo , in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere ; sicut cum tenetur ad celebrandum* . Non vult peccatorem teneri ad contritionem statim atque peccatorum suorum meminit ; sed tantum quando eorum recordatur eo tempore quo tenetur esse in statu gratiæ . Hanc esse ejus mentem patet ex responsione ibid. ad 2 ubi sic loquitur : *non est de necessitate salutis corporalis , quod statim medicina quæratur , nisi quando necessitas curationis incumbit & similiter est de morbo spirituali* , & ibid. in O. dicit non esse statim confitendum : quia inquit *præcepta affirmativa non obligant ad statim ; sed ad tempus terminatum quo nempè urget præceptum* .

Similiter intelligendus est S. Th. de perseverantia in actuali affectu ad peccatum .

Ibidem manifeste nobiscum sentit.

616. Ad id quod opponitur hominem non minus teneri averti à peccato post ejus commissionem , quam ad illud converti ante ejus admissionem : dicendum non minus quidem teneri averti à peccato aversione actuali negativa , id est desinere ab actuali affectu ; non tamen actuali aversione positiva per retractationem peccati & contritionem reconciliativam . Sicut enim ante admissionem peccati non tenetur illud quovis instanti cavere per actum fugæ positivum ; sed solum per negationem voluntariæ conversionis ad illud : ita etiam post illius admissionem non tenetur statim & pro semper ad actum positivum aversionis : sed solum ad cessationem ab actuali affectu ad illud .

Tenetur peccator averti à peccato aversione actuali negativa non positiva .

617. Et

617. Et quamvis homo tum ex aliis capitibus, tum ex charitate sui teneatur quolibet instanti vitare malum peccati, quando necdum contractum est, non tamen similiter statim illud removere, ubi contractum fuerit. Disparitas enim est, quod peccator aliquamdiù permanens in peccato habituali non inferat sibi novum malum saltem notabile, sicut facit peccatum mortale actualiter comittendo: cum per hoc certò coniiciat se in reatum pœnæ ac culpæ æternæ, de cujus remissione, cum Pœnitentiæ nostræ sufficientia sit nobis ignota, numquam poterit esse certus; quod proindè est novum, & gravissimum malum. Non item permanentia saltem non ita diuturna in peccato habituali; quæ priùs istud malum supponit neque per se adfert novum periculum damnationis æternæ nisi remotum, cujus vitandi per se loquendo, nulla est obligatio saltem gravis.

Permanēs in peccato habituali non infert sibi novum malum.

Ita quamvis fortè ex dilatione remedii in gravi malo corporali sit remotum periculum mortis, si tamen ex illa non sequatur notabile mali incrementum, aut proximum periculum, non tenetur æger continuò adhibere remedium, ut asserit S. Thom. loco supra cit. num. 615.

Non tenetur æger continuò adhibere remedium nisi ex dilatione imminent grave periculum.

628. Similiter non statim tenetur homo ad fraternam correctionem peccanti adhibendam, nisi hic & nunc adsit magna necessitas correctionis, vel propter præsens periculum novi peccati, vel quia postmodum defutura est correctionis occasio, quæ in casu nostro locum non habent: cum & peccator semper habeat occasionem seipsum corrigendi, quando voluerit cum Dei gratia: & possit aliquamdiu perseverare in statu peccati absque lapsu in novum, ut docere solet 1.2.q.109.

619. Qui proximum offendit, tenetur statim deponere odium (quomodo etiam dicimus hominem debere statim deponere affectum ad peccatum) & ex parte sua tollere signa inimicitiæ, quantum opus est ad vitandum scandalum; non tamen statim, per se loquendo, procurare redintegrationem pristinæ amicitiæ.

Qui proximum offendit, tenetur statim deponere odium, non tamen statim redintegrare amicitiam.

Esto, teneatur statim reparare damnum aut inju-

riam quando ex dilatione reparationis oritur alteri aliquod damnum, ideò enim tunc tenetur, quia tunc dilatio reparationis est continuatio injuriæ, aut damni repugnans justitiæ; quatenus per illam alter privatur commodo aliquo hic & nunc sibi debito. Hoc autem in Dei offensa locum non habet; tum quia hæc non est contra justitiam strictè quæ utique inter Deum & homines non datur: tum quia Deus per peccatum non læditur in bonis sibi utilibus, quorum retentio aut reparationis dilatio sit nova injuriæ aut damnificationis illatio Deum privans utilitate rei suæ.

Si injuria sit simplex absque damnificatione non est obligatio ad statim satisfaciendū.

Hinc si inter homines injuria sit simplex & absque omni damnificatione (ut si quis sine effectu conatus sit alteri nocere) sic ut pro illa nulla debeatur restitutio sed solum aliqua satisfactio v.g petitio veniæ, non oritur obligatio ad statim satisfaciendum.

Dilatio pœnitentiæ ad aliquod tempus non est virtualiter contemptus divinæ amicitiæ.

620. Ex illa porrò pœnitentiæ omissione ad aliquod tempus non sequitur, quod homo contemnat Dei amicitiam virtualiter aut interpretativè: quia amicitia Dei perdita non censetur contemni ex eo quod aliquo tempore non quæratur, nisi adsit obligatio pro illo tempore eam quærendi; modo alias possit æquè recuperari: quandoquidem cum tali dilatione stare possit voluntas efficax eam quærendi opportuno tempore.

Non est eadem ratio hominis offensi ac Dei.

Nec obstat, quod servus, aut filius sciens dominum, aut patrem sibi justè offensum censeatur eum contemnere, adeòque offensam aggravet, si negligat illum placare per veniæ petitionem, aut aliam satisfactionem, quamprimum potest: Ratio enim hujus est, quod homines præsumant eum, à quo fuerunt offensi, perseverare in sua prava voluntate: quod in Deo locum non habet, utpotè cui manifestus est animus peccatoris in nostro casu desistentis ab omni affectu peccandi: undè, præsumere non potest ipsum persistere in sua mala voluntate adeòque nec offendi, saltem graviter, per pœnitentiæ dilationem.

621. Ex dictis videtur sequi licere peccatori nolle pœnitere pro aliquo tempore: cum videatur ei licitum nolle facere, quod non tenetur facere. Indè tamen

men non ſequitur quod peccatori liceat velle perſeverare in ſtatu peccati mortalis, & inimicitiæ Dei: hoc enim eſſet poſitivæ, & formaliter velle aliquid per ſe, & intrinſecè malum, nempe eſſe objectum divini odii, ac proinde eſſet velle ipſam malitiam: quod non contingit in priori caſu; cum non pœnitere non ſit intrinſecè malum; ſed ſolum per accidens ratione præcepti, quando hic, & nunc urget: undè cum non urget, nullam involuit malitiam. Neque enim in peccatore non pœnitere, eſt formaliter in peccato perſeverare; ſed ſolum conſecutivè.

Videtur licitum homine nolle pro aliquo tempore pœnitere.

622. Vnde peccator qui vult hic, & nunc non pœnitere, non propterea vult perſeverantiam inimicitiæ Dei; etſi enim is, qui vult antecedens, velit etiam conſequens, ſaltem interpretativè, aut virtualiter, quando conſequens per ſe connexum eſt cum antecedente; non tamen quando ſolum per accidens cõnexum eſt, niſi aliundè obligatio vitandi illud antecedens. Quorum neutrum in noſtro caſu reperitur, nam neque perſeverantia inimicitiæ Dei per ſe connexa eſt cum negatione pœnitentiæ; ſed ſolum per accidens nempè ex ſuppoſitione peccati ante commiſſi, decreti divini, de peccato ſine pœnitentia non remittendo: neq; aliundè oſtenditur obligatio ſtatim ponendi pęnitentiam. Etſi enim homo pro quovis tempore teneatur nõ eſſe inimicus Dei actu, ſeu per actualem affectum inimicitię, aut peccati, modo ante explicato: ſuppoſito tamen peccato, non ſtatim tenetur amoliri à ſe habitualem inimicitiam.

Non tamen velle perſeverare in ſtatu peccati.

Ex omiſſione pœnitentię per ſe nõ ſequitur perſeverantia inimicitiæ Dei.

623. Hæc ſolutio non caret difficultate; quia licet permanentia in Dei inimicitia ſit tantum neceſſario connexa cum omiſſione pœnitentiæ ex ſuppoſitione quod quis peccaverit, & Deus decreverit peccatum non remittere abſque pœnitentia: utrumque tamen ſupponitur ab eo qui omitti pœnitentiam. Cum ergo hoc utroque ſuppoſito permanentia in Dei inimicitia ſit neceſſario connexa cũ omiſſione pœnitentiæ; conſequenter qui hoc utrumque ſupponit, & novit, non poteſt velle omiſſionem pœ-

Prædicta ſolutio nõ caret difficultate, & alia ſuggeritur.

nitentiæ,

nitentiæ nisi virtualiter velit permanentiam in Dei inimicitia.

Vndè peccatori non licet velle esse, quod ipsi licet esse ad illud tãtum habendo se permissivè.

Vnde videtur potius dicendum, non esse licitum positivè velle non pœnitere etiam pro aliquo tempore; sed tantum permissivè se habere circa omissionem pœnitentiæ: sicut omnes dicunt non esse licitum positivè velle permanere in Dei inimicitia: sed tantum permissivè se habere circa istam permanentiam.

624. Quod si instes, mihi licet velle facere quod mihi licet facere; ergo mihi licet velle esse quod mihi licet esse: ac proinde licet mihi velle non pœnitere, & perseverare in inimicitia Dei, si mihi licitũ sit in ea perseverare. Resp. distinguendo primum consequens: mihi licet velle esse, quod mihi licet esse habendo me positivè ad istud esse v. g. illud procurando, intendendo, &c. sic verum est: Solum habendo me permissivè ad istud esse, sic falsum est. Non enim licitum est velle positivè omne id, ad quod licitum est habere se permissivè, ut patet in Deo, qui potest peccata permittere, non velle. Vti, & nos possumus habere nos permissivè ad peccata proximi, quæ non tenemur impedire; non tamen ea velle. Iam vero solum nobis licet aliquandiu perseverare in inimicitia Dei habendo nos merè permissivè ad istam perseverantiam, non vero ullo modo positivè.

CAPUT VI.

Sacramentum Pœnitentiæ, eius partes Contritio, Confessio, & Absolutio.

§. I.

Sacramenti Pœnitentiæ institutio, necessitas, & essentia.

Fide certum est dari in Ecclesia Sacramentum Pœnitentiæ.

625. DAtur in Ecclesia verum ac speciale Sacramentum pœnitentiæ habens vim remit-

remittendi peccata, est de fide ex CC. Later. Flor. & præcipuè Trid. sess. 7. can. 1 & sess. 14 c. & can. 1. contra Montanistas, Novatianos, Calvinistas, & plerosque Lutheranos.

Prob. 1. ex Scrip. Ioa. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt:* quibus verbis ex communi sensu PP. Christus dedit Ecclesiæ potestatem remittendi peccata perpetuam ac permanentem, & exercendam modo visibili, & hominibus accomodato, id est per signũ aliquod sensibile ex sua institutione habens vim significandi ac causandi remissionem peccatorũ, quod proindè sit verum Sacramentum. 2. Ex PP. Tertull. l. de pœnit. ubi duas agnoscit januas ad remissionem peccatorum, nempè Baptismum, & Pœnitentiam, quam significat esse remedium simile Baptismo. Chrysost. l. 3. de Sacramento ubi ait. Neque enim solum, cum nos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent. Aug. l. 2. de adulterio conjug. ca. 16 *Si homicidium à catechumeno factum sit, Baptismo abluitur, si autem à baptizato; pœnitentia, & reconciliatione sanatur.* 3. Ex perpetua traditione ac praxi Ecclesiæ universæ, tum Latinæ, tum Græcæ, etiam post ejus schisma ut videre est apud Arcudium l. 4. c. 1.

Probatur ex Scriptura, & Patribus ac Ecclesiæ traditione.

626. Fuit autem hoc Sacramentum non solum quoad formale seu potestatem absolvendi; sed etiam quoad materiale seu partes quibus cõstat, à Christo institutum post Resurrectionem, quando Ioan. 20. insufflavit in discipulos, & dixit eis: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Patet ex Trid. sess. 6. c. 14. ubi absolutè pronuntiat; *Christus Iesus instituit Sacramentum pœnitentiæ, cum dixit accipite, &c.* & ratio est, quia isto loco Christus Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem judicialiter absolvendi à peccatis. adeoq; instituit confessionem, sine qua Sacerdos non posset habere notitiam causæ, de qua debet judicare; & quidem dolorosam; cum absque dolore, & retractatione peccata non possint remitti: ergo &c.

Fuit a Christo institutũ post resurrectionẽ Io. 20.

627. Cum Christus Matt. 18. dixit Apostolis

amen

amen dico vobis quacumque alligaveritis super terram erunt ligata, & in cœlo, & quacumque solveritis super terram erunt soluta, & in cœlo, Dicendum cum S.Thoma in prædictum locum, istis verbis necdum dari potestatem clavium ad remittenda peccata, ut colligit S. Doctor ex eo quod antea non dixerit *accipite Spiritus S.* sed de potestate ferendi sententiam in foro externo per censuras Ecclesiasticas, ut probat idem S.Thomas ex ipso contextu: nam ibi Christus tradito præcepto de ordine servando in correctione fraterna addit, si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, id est separatus à fidelibus, & excommunicatus. Certè Apostoli necdum tunc erant Sacerdotes: potestas autem clavium ad remittenda peccata supponit Sacerdotium.

Potestas data Apostolis Matt. 18. nõ fuit potestas clavium ad remittenda peccata.

628. Est autem hoc Sacramentum in re vel in voto relapsis necessarium necessitate medii. id est, tanquam medium salutis per se, vel votum sui vicarium contritioni perfectæ annexum, directè, & positivè influens in primam gratiam, & non solum indirectè, & negativè: sicut illa quæ solum sunt necessaria necessitate præcepti, ut restitutio rei alienæ, & similia, quæ ad justificationem non concurrunt positivè illam causando, cum ad id non habeant vim ullam, aut saltem non sufficientem; sed solum negativè illius impedimentum tollendo.

Sacramentũ pœnitentiæ est relapsis post Baptismum necessariũ necessitate medii, in re vel voto.

Prob. ex Trid sess. 14. cap. 1. ex Ioan. 20. ubi Christus Apostolis, & legitimis eorum successoribus dedit potestatem peccata non solum remittendi, sed etiam retinendi, seu ea non remittendo faciendi, ut etiam non sint remissa in cœlis: quam potestatem non haberent, si relapsis non esset necessaria hujus Sacramenti susceptio ad peccatorum remissionem, sed eam retinere possent absque ordine ad claves.

629. Dixi *in re vel in voto*: quia hoc Sacramentum ex vi suæ institutionis est medium relapsis, per se loquendo, necessarium; non tamen omnino absolutè; cum certum sit contritionem perfectam, saltem in casu necessitatis, se sola justificare; in voto tamen Sacramenti, seu sub onere peccata per eam remissa, postea

Quare dicatur necessarium in re vel voto.

postea clavibus subijciendi. Vndè totum istud disjunctivum, *Sacramentum pœnitentia in se vel in sui desiderio efficaci contritioni implexum*, est relapsis necessarium necessitate medii, ita ut absq; eo etiam inculpabiliter omisso obtineri nequeat justificatio, non sic tamen ut alterutrum, nempè Sacramentum vel ejus votum, æque, & requiratur, & sufficiat: at sic, ut illud per se hoc solum per accidens in illius defectum, & sub onere illud suscipiendi.

630. Hoc Sacramentũ intrinsecè cõstituitur ex cõtritione, confessione, & satisfactione pęnitentis tanquam materia: & absolutione Sacerdotis tanquam forma; sic tamen ut satisfactio non habeat se per modum partis essentialis, sed tantum integralis. Ita communiter DD. contra Scotum totam essentiam hujus Sacramenti constituentem in absolutione Sacerdotis, contritione, & confessione pœnitentis habentibus se tantum per modum conditionis aut dispositionis pręrequisitę: satisfactione autem habente se, ut aliquid consequens. Item contra Durandum, Aureolum, & alios excludentes contritionem ab essentia hujus Sacramenti, eo quod non sit sensibilis.

Sacramentũ hoc intrinsecè constituitur ex cõtritione, & confessione pœnitentis tãquam materia, & absolutione Sacerdotis ut forma.

Prob. conclusio 1. ex Florent. sic loquente. *Quartum* (Sacramentum) *est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pęnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio*, &c. 2. ex Trid. sess. 14. ca. 3. dicente: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, qui quatenus in pęnitente ad integritatem Sacramenti ex divina institutione requiruntur hac ratione pœnitentia partes dicuntur*. Et in fine; *Hac de partibus, & effectu hujus Sacramenti*.

631. Porrò dicuntur quasi materia non eo quod non sint de intrinseca Sacramenti constitutione; sed eo quod non sint aliquod elementum aut substantia sensibilis extrinsecus assumpta, ut Bapt. aqua, in Confirmatione chrisma, & similia quæ magis propriè habent rationem materiæ.

Quare actus pœnitentis dicantur à Tridentino quasi materia.

Isti verò actus etsi à ministro, cujus est applicare materiam Sacramenti, non eliciantur Physicè, ab eo tamen per potestatem clavium mediante absolutio-

ne

ne moraliter assumuntur, & applicantur ad Sacramentum constituendum, & causandum ejus effectum.

Cõtritio fit sẽsibilis per cõfessionem.

Contritio autem redditur sufficienter sensibilis per confessionem, sicut in Euchar. Corpus Christi per species.

Satisfactio non est pars essentialis, sed integralis.

632. Quamvis ante satisfactionem Sacramentum pœnitentiæ constitutum sit essentialiter; non tamen integraliter. Et materia essentialis debet quidem præcedere formam; non tamen integralis. Ita dentes, cornua, &c. sunt partes integrales materiales animalis; & tamen subsequuntur introductionem animæ.

Vis, & efficacia hujus Sacramenti convenit soli absolutioni, quamvis, ut docet Trid. sess. 14. c. 3. in ea præcipue sita sit; neque huic soli convenit significatio Sacramentalis, sed toti aggregato ex absolutione, & actibus pœnitentis.

Peccata sunt materia tantum extrinseca.

633. Petes an peccata dicenda etiam sint materia hujus Sacramenti. R. posse dici materiam, non intrinsecam, ex qua hoc Sacramentum componatur sed tantum extrinsecam circa quam actus pœnitentis, & absolutio Sacerdotis versantur.

§. II.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

Ad Sacramentum Penitentiæ nõ sufficit dolor virtualis sed requiritur formalis

634. Dolor ad hoc Sacramentum requisitus debet esse dolor formalis, sive non sufficit virtualis inclusus in actu charitatis, aut altero pio motu excludente affectum ad peccatum. Est communis, & certa. Prob. Ex Florentino in decreto de Sacramentis, & Trid. sess. 14 cap 3. pro parte hujus Sacramenti contritionem assignantibus: atqui nomine contritionis simpliciter positæ intelligitur dolor formalis: & eam sic accipi ab utroque Concil. manifestum est ex iis quæ addunt. Nam Florentinum, assignata contritione pro prima parte hujus Sacramenti, subjungit, *ad quam pertinet ut doleat de peccato*. Et Tridentinum postquam loco citato dixit,

dixit, *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus*, addit; *contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, est dolor ac detestatio de peccato commisso*; Id etiam patet ex eo quod ad hoc Sacramentum requiratur confessio tanquam vera accusatio sui: atqui non esset talis sine vero dolore; sed potius historica quædam narratio; ergo, &c.

635. Non sufficit ut sit dolor existimatus; sed debet reipsa existere. Est etiam communis contra Silvest. Vegam; & quosdam alios. Prob. quia licet ista existimatio possit excusare pœnitentem à peccato, non potest tamen supplere defectum partis essentialis. *Non sufficit dolor existimatus.*

636. Requiritur etiam ut dolor sit supernaturalis. Videtur esse de fide, quidquid in contrarium aliqui sentiant. Prob. 1. ex eo quod de fide sit neminem posse quidquam facere, quod conducat ad vitam æternam sine auxilio gratiæ, ut docetur in 1, secundæ: atqui si sufficeret dolor naturalis id esset falsū, quia iste dolor conduceret ad salutem quandoquidem esset pars istius Sacramenti. 2 Ex Apostolo 2. ad Corint. 7. ubi docet tristitiam, quæ operatur pœnitentiam in salutem, debere esse secundum Deum. 3, ex Trid. sess. 6. can. 3. ubi dicitur anathema ei *qui dixerit sine Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem posse pœnitere sicut oportet, ut ei justificationis gratiam conferatur*, 4. ratione; quia dispositio debet esse proportionata formæ introducendæ qualis non est dolor naturalis respectu gratię supernaturalis. *Debet esse supernaturalis.*

637. Petes quid requiritur ad hoc ut dolor iste censeatur supernaturalis? R. requiri ut sit ab auxilio gratię, & concipiatur ex motivo per fidem proposito. Vndè specialis turpitudo peccati per solam rationem cognita nō est sufficiens motivum; eadem tamen, quatenus etiam per fidem proponitur sufficit. Vndè etiam assignatur à Trid. sess. 14. c. 4. pro motivo attritionis disponentis ad justificationem per Sacramentum obtinendam. *Vt sit supernaturalis debet esse ex motivo supernaturali.*

638. Requiritur quoque ut sit efficax, saltem quo-

ad

Debet dolor esse efficax saltem quoad affectum.

ad affectum, hoc est ut vi illius pœnitens ita sit dispositus, ut mallet quodlibet potius pati, aut amittere, quam rursus peccare. Debet enim absolutè excludere voluntatem peccandi, quod non faceret, si pœnitens vi illius non esset isto modo dispositus.

Non tamen necessario quoad effectum.

Non debet tamẽ esse necessariò efficax quoad effectum hoc sensu quod pœnitens vi illius debeat reipsa postea nunquam amplius peccatum, de quo doluit, committere: alioqui enim reincidentia in peccatum semper argueret insufficientiam doloris propositi; quod certò falsum est. Neq; hoc sensu quod debeat esse a deo fortis, ut reipsa nullis sit tentationibus, aut difficultatibus quantumvis magnis vincendus: talis enim dolor, & voluntas adeo efficax non peccandi videtur in hac vita impossibilis: cum videatur certum neminem esse, quem non prævidet Deus certis difficultatibus aut tentationibus gravissimis, si acciderent superandum.

Bono tamen sensu id etiã requiritur.

Alio tamen sensu bono dici potest, quod debeat etiam esse efficax quoad effectum; hoc scilicet, quod quamdiu est in voluntate, debeat efficaciter excludere peccatum: quia si stare posset cum peccato non importaret veram, & absolutam voluntatem non peccandi; sed tantum quamdam velleitatem omnino insufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Requiritur dolor universalis hoc sensu quod debeat se extendere ad omnia mortalia admissa.

636. Requiritur etiam ad remissionem mortalium, ut dolor sit universalis, hoc saltem sensu, quod debeat se extendere ad omnia mortalia admissa, & necdum remissa; cum enim non possit remitti unum mortale sine alio, nec ullum vi hujus Sacramẽti absque dolore, consequenter dolor requisitus debet saltem se extendere ad omnia mortalia necdum remissa.

Dixi *ad remissionem mortalium*: quia respectu venialium res aliter se habet: respectu enim illorum non est necesse, ut dolor se extendat ad omnia necdum remissa; sed sufficit si extendat se ad omnia quæ in confessione declarantur: propter oppositam rationem, quia scilicet unum veniale potest remitti sine altero.

640. Non tamen videtur necessarium ut dolor ad morta-

mortalium remissionem in hoc Sacramento obtinendam requisitus sit in hoc sensu universalis, quasi debeat niti motivo universaliter se extendente ad omnia peccata mortalia tam non commissa, quam commissa, sed sufficit si attingat omnia commissa. Ita communius DD. contra ConincK, Lugo, Palavicinum &c.

Non tamen hoc sensu quod debeat necessariò niti motivo extendente se tam ad non commissa quam commissa.

Prob. 1. ex communi sensu & praxi fidelium, qui accedentes ad confessionem solent tantum esse solliciti de concipiendo dolore peccatorum, quæ admiserunt & confitentur. 2. Ex Trid. sess. 14. cap. 4. definiente contritionem ad hoc Sacramentum requisitam, *esse dolorem animi ac detestationem de peccato commisso*. Et ibid. pro motivo attritionis ad justificationem disponentis adferente turpitudinem ipsius peccati, quod videtur intelligendum, aut saltem posse intelligi de speciali turpitudine peccati admissi: talis autem turpitudo non extendit se ad omnia mortalia. 3. Quia licet juxta adversarios dolor debeat concipi ex motivo universali omnia mortalia respicienter: non tamen debet, imò nec potest contritio sub ratione doloris de peccatis propriis extendere se ad peccata non commissa: quia nemo debet, imò nec potest dolere de peccato quod non fecit, tanquam de propria culpa; ut ipsi etiam fatentur: ergo nec debet ut ipsi volunt, sub ratione detestationis complecti etiam non commissa: quia satis est quod detestatio in ea feratur, ad quæ dolor se extendit.

641. Dices 1. Trid. sess. 14. cap. cit. requirit ut dolor voluntatem peccandi excludat. Et ibid. requirit propositum non peccandi de cætero. Neutrum autem videtur posse fieri sine motivo universali repugnante omnibus peccatis.

Explicatur quo sensu Tridētinum requirat voluntatem nō peccandi de cætero.

R. satis esse quod dolor excludat voluntatē iterādi peccata admissa & in confessione declarata, & absit affectus omnis erga alia. Idem dicendum de proposito emendationis cum nihil aliud sit quam voluntas deinceps nō peccandi. Certè respectu venialiū etiam requiritur voluntas non peccandi, & propositum emendationis: atqui respectu venialium juxta omnes

non aliter verificantur verba Concilii nisi juxta explicationem jam datam: ergo &c.

Satis est si motivum excludat omne peccatum ad missum, & absit omnis affectus erga alia.

642. Dices 2. non videtur æquum ut peccator in gratiam Dei redeat nisi per actum excludentem omne peccatum; atqui nullus actus potest excludere omne peccatum, nisi eliciatur ex motivo repugnante omni peccato: ergo &c. R. satis esse si excludat omne peccatu admissum; & absit omnis affectus erga alia.

Quamvis id videatur verum, quia tamen non est adeò certum; in praxi curandum est, ut semper adhibeatur motivum universale; non est tamen quod aliquis de hac re sit anxius, quia rarò accidit ut pœnitens non habeat tale motivum.

Debet dolor præcedere aut saltem concomitari absolutionem.

Circa tempus quo dolor debet existere, hæc videntur dicenda, 1. debere dolorem præcedere aut saltem concomitari absolutionem; nec sufficere si subsequatur; quia indignus est absolutione qui prius de peccatis non doluit, 2. in praxi semper curandum esse, ut dolor præmittatur etiam confessioni. 1. Quia probabile est quod confessio peccatorum debeat procedere ex eorum dolore, ne sit potius narratio quædam historica, quam sui accusatio. 2. Quia periculum est in exigua illa mora, quæ intercedit inter confessionem & absolutionem, pœnitens doleri obliviscatur, aut non doleat seriò.

In praxi etiã curandum est ut præcedat confessionem.

643. Non tamen videtur absolutè necessarium ut dolor præcedat confessionem; sed sufficit si eam comitetur, ut etiam subsequatur ante absolutionem. Ita communius DD. contra Alens. Con. Layman. & alios.

Non est tamen absolutè loquendo id necessarium.

Prob. 1. ex communi sensu fidelium existimantium se satisfacere si post peccata confessa subiiciant actũ doloris. 2. Ex praxi confessariorum, qui dum dubitant de dolore pœnitentium minus instructorum; illos ad eam excitant peracta confessione, & non ante. 3 Quia confessio peccatorum morali consideratione sufficienter informatur à dolore post eam statim aut paulò post ante absolutionem elicito.

Ad 1. rationem in contrarium. R. ut confessio sit accusatio sui, sufficere, quod fiat in ordine ad absolutionem. 2. autem ratio tantum probat expedire, ut

ut dolor præcedat confessionem: non autem esse necesse ut ita fiat.

644. Petes an opus sit novo dolore, quando pœnitens post absolutionem declarat aliquod peccatum, quod fuerat oblitus? R. videri probabilius sufficere priorem dolorem: quia sufficienter virtute remanet, ut ex eo procedat confessio peccati obliti? si præsertim fiat statim post priorem absolutionem. In praxi tamen curandum est ut pœnitens eliciat novum actum doloris de peccato oblito, antequam ab eo absolvatur, maximè si jam recesserat à Sacerdote, & tantum aliquamdiù post redeat.

Cõfessio sufficienter est accusatio sui ex eo quod fiat in ordine ad absolutionem.

645. Quod attinet ad propositum emendationis: quo sensu diximus dolorem debere esse universalem & efficacem, eodem sensu dicendum hoc propositum debere esse universale & efficax itaque applicanda sunt proposito quæ diximus de universalitate & efficacia doloris.

Quale debeat esse propositum emendationis.

646. An autem requiratur propositum formale, sicut requiritur dolor formalis, controvertitur. Probabilius videtur sufficere virtuale inclusum in efficaci peccatorum detestatione ac dolore: ita Suar. Con. Laym. Lugo & alii communius contra Bellar. Tolet. & varios Thomistas.

Prob. 1. quia fieri potest ut quis ita intentus sit detestandis peccatis præteritis, ut non cogitet de futura vitæ emeedatione: atqui si talis efficaciter doleat de peccatis suis, videtur omninò per Sacramentum justificandus, cum talis dolor sufficienter excludat voluntatem peccandi: ergo &c. 2. Quia ex nullo capite probari potest necessitas propositi formalis distincti ab efficaci detestatione & dolore peccatorum virtualiter continente voluntatem efficacem non peccandi de cætero: cum hoc virtuale propositum abundè sufficiat ad explicanda Concilia indefinitè requirentia propositum emendationis.

Absolutè loquendo sufficit virtuale inclusum in efficaci peccatorum dolore.

Moraliter tamen loquendo necessarium est formale propositum non amplius peccandi: quia efficax peccatorum detestatio ac dolor ita ad illud determinat, ut non videatur posse ex illo non sequi tale propositum in pœnitente de vita emendanda cogitante,

Moraliter tamen requiritur expressum & formale.

S 2 ut

ut cogitare solent seriò pœnitentes: & in praxi exigendum est à pœnitentibus saltem rudioribus.

647. Superest jam examinanda gravis difficultas circa motivũ doloris, an scilicet requiratur motivũ charitatis; sive an necessaria sit perfecta contritio, ita ut pœnitens verè debeat dolere de peccatis suis propter Deum super omnia dilectum? an verò sufficiat inferius aliquod motivum attritionis ac nominatim an satis sit quod doleat propter solum metum gehennæ: circa hanc difficultatem variæ sunt sentētiæ.

Referuntur variæ sententiæ circa necessitatem perfectæ cōtritionis.

648. Prima est illustrium quorundam antiquorum, videlicet Magistri, Victor. Richar. Alens. Bonav. Gabr. Ocham. &c. simpliciter requirentium contritionem, & simul admittentium eam habere vim infallibiliter justificandi. Vndè consequenter docuere per absolutionem Sacerdotis non propriè remitti peccata quoad culpam, sed tantum, quoad eam remissa declarari, & exsolvi obligationem quam habebat peccator ea clavibus subiiciendi. Verum id modo ex iis quæ habet Trid. circa potestatem clavium & absolutionem Sacramentalem sustineri non potest, & passim à Doctoribus reputatur erroneum. Non est igitur quod varii recentiores contritionem etiam requirentes eorum authoritate glorientur: nunquam enim authores isti clarissimi, contritionem ut necessariam admisissent, si per absolutionem Sacerdotis peccata quoad culpam verè, & propriè dimitti credidissent: quod jam certum est & ab omnibus admittitur.

Secunda sententia admittit etiam necessariam esse perfectā cōtritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ.

649. Secunda sententia quæ est Estii, Molani, Iansenii, & quorumdam modernorum DD. Lovaniensium ut Lupi, Farvaquii, Havermanni &c. ad quos nuper accessit Eximius D. de la Verdure in hac Vniversitate Duacensi professor Regius in tractatu suo Triplici de Probabilitate, Contritione & Recidivis, citans etiam pro hac sententia è Schola Thomistica Cajetanum, Victoriam, & Contenson. Et ex Authoribus nostræ Societatis Toletum, Comitolum, & Palavicinum. Hæc inquam secunda sententia admittit pariter perfectam contritionem, sive dolorem de peccatis propter Deum super omnia dilectum necessa-

cessarium esse ad Sacramentum pœnitentiæ. Sed quidam ex illis, ac nominatim dictus E.D. de la Verdure, ut evitent illud, quod antiqui illi pro prima sententia citati consequenter admittebant, videlicet peccata semper esse quoad culpam dimissa ante Sacerdotis absolutionem, ac proindè per eam non tam condonari reatum culpæ, quam condonatum declarari: ut inquam hunc errorem evitent, asserunt non semper peccata per contritionem remitti; sed ad id requiri certam aliquam contritionis intensionem: quod supra sufficienter refutatum est.

650. Tertia sententia est P. Caroli ab Assumptione in Opusculo suo de Contritione; quod scripsit sub ficto nomine Germani Philalethis: hic quidem author ad doloris sufficientiam requirit etiam ut procedat ex amore Dei super omnia; sed non necessariò benevolentiæ, aitque sufficere amorem concupiscentiæ, quo quis Deum super omnia diligit ut finem suũ ultimum, cujus possessione fiat beatus. Deindè contra communem sensum Doctorum docet istos duos amores niti eodem motivo formali; & tantum inter se distingui ut perfectum, & imperfectum in eadem linea. Ea tamen posteà addit, ex quibus videtur etiam aliquem benevolentiæ amorem exigere.

In quo authores hujus sententiæ differant à primis.

Exponitur sententia P. Caroli ab Assũptione.

651. Vt autem lectorem suum, antequam quidquam legerit, authoritatem pondere ad se inclinet, longam centum Authorum seriem adversus sufficientiam doloris ex solo metu gehennæ concepti prima fronte opusculi sui magnificè ostentat. Sed ne falsitatis possit facilè argui nullius citat verba, nec locum, nec librum, in hac re cautior quam fuerit in opusculo suo de probabilitate, ubi in nostram Moralem ut corruptam impotenter invectus, verbis authorum nostrorum in eum finem adductis, deprehensus est illa omnia corrasisse ex libro damnato & flammis tradito, eaque aut corrupta aut mutilata cum illustri informatore suo retulisse, ut demonstravi in justa defensione, quam ab aliquot annis adversus eum Duaci in lucem edidi.

Non est fidendum illi in citatione authorũ pro necessitate contritionis.

652. Vndè autem longam illam centum Autho-

rum seriem eruerit ignoro ; certè per eam illudi lectori satis liquet, 1. ex eo quod pro authoribus varios citet Concionatores, qui non solent rem scolasticè examinare, 2. quod varios referat, qui ab alijs pro sententia nostra appellantur & reipsa stant. Nolo hic tempus terere examinandis authoribus citatis : tres tamen illustres referam, ut pateat hominis in illis citandi sinceritas. Citat Ruardum Tapperum ; qui tamen cum articulo 4. attritionem cum communi definivisset displicentiam peccati ex timore pœnarum, postea subdit: *quod autem attritio sufficiat quamvis verum sit ; non est tamen certum atque indubitatum*. Et infrà *attritio verò ex timore pœnarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentia gratiam percipiendam*, quid clarius. Citat etiam Andream Vegam clarissimum lumen Ordinis Seraphici: qui tamen lib. 13. de justificatione cap. 34. post med. satis apertè contrarium docet his verbis: *tunc dumtaxat concedendum est primam gratiam conferri in hoc Sacramento* (videlicet pœnitentiæ) *cum quis dolet de peccatis timore pœnæ eminentis, vel propter mala alia ex eis secuta, vel propter turpitudinem istorum, vel denique alia quavis ratione, & non quatenus sunt offensa Dei*. Sylvium quoque hujus Duacensis Vniversitatis illustre decus inter illos absolutè numerat, cum tamen hic Author in postrema editione operum suorum facta anno 1645. sententiam suam retractaverit & cum communi docuerit dolorem ex metu gehennæ sufficere ad reconciliationem in Sacramento obtinendam. An non illud est lectori imponere.

Producuntur aliquot authores falso ab illo citati.

653. Quarta sententia tenet requiri contritionem saltem existimatam; ita ut attritio sufficiat in eo qui bona fide putat se contritum. Ita sentiunt Victoria relect 1. de potestate Ecclesiæ sect. 1. Corduba lib. 1. Theolog. quæst q. 2. 54. Dominicus Sotus in 4. dist. 6. q. 1. a. 7. Navar. in summa cap. 1. num. 38. & non pauci alii, quos proindè etiam è catalogo suo expungere debet dictus Pater Carolus ab Assumptione : qui enim ita sentiunt potiùs stant pro sufficientia attritionis, quam necessitate contritionis ; quandoquidem tunc reipsa sit tantum attritio.

Quarta sententia docet requiri contritionem saltem existimatam.

Hæc

Hæc tamen sententia meritò reiicitur: quia vel attritio de se sufficit ad hoc Sacramentum vel non? si primum: frustra est ista existimatio, ut patet. Si secundum; non potest existimatio falsa quod pro attritione habeatur contritio efficere aut attritio de se insufficiens ad hoc Sacramentum, cum non immutet naturam attritionis.

Qui ita sentiunt potius stant pro sufficientia attritionis: quam contra.

654. Quinta denique sententia post Tridentinum communissima simpliciter negat requiri contritionem, docetque sufficere attritionem ex solo etiam metu gehennæ conceptam, in quo est præcipua difficultas. Frustra hic referrem longam seriem Authorum ita sentientium; cum plerique omnes, qui post Tridentinum scripsere, ita docuerint: quorum aliqui oppositam reiiciunt tanquam improbabilem & Tridentino repugnantem. Et Ioannes Nicolai Dominicanus in præfatione ad D. Thomam in quartum sentent. asserit eam à Facultate Sorbonica judicatam esse erroneam, quam censuram verbatim refert Ludovicus Abelli in medulla Theologica parte 2. cap. 5. sect. 9. sed jam ab omnibus abstinendum est à censura ex decreto Alexandri VII. edito die 5. Maii 1667. in quo occasione controversiæ hac de re Lovanii effervescentis, graviter prohibuit ne quis alterutram opinionem sive affirmantem sive negantem, *necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta* (verba sunt decreti) *censura ulla Theologica notare audeat*. Vbi diligenter observandum est: non dici simpliciter *dilectionis Dei*, *sed aliqualis*: ac proindè non videri hoc decreto comprehendi eos qui simpliciter requirunt amorem benevolentiæ, aut perfectam contritionem sive dolorem de peccatis propter Deum super omnia dilectum.

Quinta sententia post Tridentinum communissima simpliciter admittit sufficientiam attritionis etiam conceptæ ex solo metu gehennæ.

Abstinẽdum est à censura alterutrius sententiæ.

§. III.

De sufficientia attritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit saltem attritio concepta ex motivis quibusdam perfectioribus, quam sit metus gehennæ.

655. AD hoc Sacramentum saltem sufficit attritio de peccatis concepta ex quibusdam motivis perfectioribus, qualia v.g. sunt quod peccata sint quidam contemptus divinæ Majestatis: quod sint contra obedientiam debitam supremo omnium Domino: quod sint Deo injuriosa, &c.

Prob. quia ista motiva directè respiciunt ipsum Deum: ac proindè peccator per illa verè convertitur ad Deum; & absolutè avertitur ab omni peccato mortali, quandoquidem ista motiva extendant se ad omnia mortalia & absolutè excludant voluntatem peccandi: ergo nihil tali attritioni deest quo minus cum Sacramento sufficiat ad remissionem peccatorum. Nec tamen dici potest ista motiva sint motiva non attritionis, sed contritionis; quia contritio definitur dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum: qualis non est dolor ex dictis motivis conceptus; ut patet. Neque potest negari posse aliquem de peccatis sui efficaciter dolere ex dictis motivis absque amore benevolentiæ erga Deum: cum ista motiva de se sufficiant ad efficacem peccatorum dolorem.

Sufficit etiã concepta ex metu gehennæ, prout gehenna complectitur etiam pœnam damni.

656. Sufficit etiam attritio concepta ex metu gehennæ, sumendo saltem gehennam adæquatè prout complectitur & pœnam sensus, & pœnam damni consistentem in privatione possessionis Dei: quia tunc talis dolor aut includit, aut saltem præsupponit desiderium Dei possidendi, cum nemo possit dolere de peccatis ex metu istius privationis, nisi desideret Deum possidere: istud autem desiderium non est sine aliquo Dei amore saltem concupiscentiæ, vi cujus peccator verè convertatur ad Deum, & avertatur à peccato. Non est ergo undè solidè petatur insufficientia istius doloris.

657. Sufficit quoque attritio concepta ex solo metu

metu gehennæ, sumendo gehennam pro sola perpetua sensus pœna à Deo infligenda ob peccatum. Ita communiter DD. Post Trid. ly tamen *solo* non est accipiendum exclusivè per exclusionem positivam aliorum motivorum, dicendo v.g. non doleo, quia Deus infinitè bonus est; sed tantum quia timeo inferni pœnas: ista enim positiva exclusio inordinata esset, & vitiaret dictam attritionem, sed sumi debet vel præcisivè, ita ut iste dolor dicatur niti solo metu gehennæ, eo quod præscindatur ab aliis motivis, quia scilicet non se offerunt, vel ad ea non attenditur. Vel dicendum ly solo tantum afficere efficaciam doloris quia nempè licet etiam proponantur alia motiva; minus tamen penetrantur, ideoque non movent efficaciter: ac proindè dolor quatenus efficax nitatur solo metu hegennæ.

Sufficit etiã concepta ex solo metu pœnarũ inferni.

Deindè hanc conclusionem tradimus non ut confessarius aut pœnitens in praxi contentus sit hac sola attritione concepta ex metu gehennæ, sed ad utriusque solatium, ut scilicet casu quo deest vera contritio, post adhibitum ad eam elicindam conatum, sciant etiam sufficere dictam attritionem, quæ facilius & certius habetur, eo quod metus gehennæ valdè feriat imaginationem, & potenter retrahat á peccato: ideoque respectu rudium hoc motivum non est facilè omittendum. His animadversis.

In praxi tamen hortandus pœnitens ad contritionem.

658. Prob. conclusio 1. ex Trid. sess. 14. cap. 43. generatim dicente contritionem esse partem hujus Sacramenti: & cap. 4. illam dividente in perfectam, quæ concipitur ex motivo charitatis: & imperfectam, quæ inquit, *attritio dicitur; quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur*: ergo censendum est utrique isti speciei tribuere, quod sit pars hujus Sacramenti: quod enim convenit generi; necessario convenit speciebus.

Probatur conclusio ex Trid. sess. 14. cap. 4.

Prob. 2. ex eodem Trident. eodem cap. 4. vbi postquam contra Lutherum definivit attritionẽ ex metu gehennæ conceptam, esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, &c. statim subjungit: *& quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificatio-*

Refutatur responsio adversariorum de dispositione remota.

cationem perducere peccatorem nequeat : tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentię impetrandam disponi : ergo juxta Tridentinum dispositus per attritionem vi Sacramenti Pœnitentiæ justificatur.

659. Respondent adversarii 1. id esse intelligendum de dispositione remota, non proxima; adeoque nihil inde concludi pro sufficientia attritionis: quia non sufficit dispositio remota, sed requiritur proxima. Hæc autem non habetur sine contritione.

At contra est 1. quod Concilium simpliciter dicat *disponit* nulla facta mentione ulterioris dispositionis: ergo agit de dispositione proxima. 2. quod apertè supponat attritionem aliter disponere ad justificationem in Sacramento, quam extra Sacramentum; atqui extra Sacramentum disponit saltem remotè: ergo ex mente Concilij in Sacramento disponit proximè.

Ostenditur hæc Tridentini verba si voluntatem peccādi excludat, referri ad attritionem.

660. Respondent 2. per hæc verba, *si voluntatem peccandi excludat*, quæ Concilium statim subjungit attritioni à se descriptæ, importari aliquem Dei amorem attritioni adjunctum: quia inquiunt, attritio ex solo metu gehennæ concepta non potest voluntatem peccandi excludere; sed ad id requiritur aliquis Dei amor.

At contra est 1. quod falsum sit attritionem conceptam ex solo metu gehennæ non posse excludere voluntatem peccandi; & contrarium infra demonstrabimus.

Hæc Tridētini verba, si voluntatē peccādi excludat, manifestè referūtur ad attritionem.

Contra est 2. quod hæc responsio apertè sit contra mentem Concilij attritionem illic opponenti contritioni charitatem includenti; dividit enim cōtritionem in eam quæ est charitate perfecta: & in eam quæ non est charitate perfecta; quam attritionem vocat: ergo attritio ex ejus mente nullum importat aut adjunctum habet actum charitatis.

661. Contra est 3. quod ista berba *si voluntatem peccandi excludat* manifestè referat ad attritionem formatā ex turpitudine peccati aut metu gehennæ: & contra Lutherum definiat talem attritionem, dum voluntatem peccandi excludit, non facere hominem hypo-

hypocritam, & magis peccatorem, ut volebat Lutherus: certè si Concilium noluisset hæc verba, *si voluntatem peccandi excludat*, referri ad attritionem; sed ad actũ amoris in illis, ut volunt adversarij, inclusum, debuisset illud exprimere, & dicere attritionem ex metu gehennæ conceptam, si adjunctum habeat actum amoris, quo voluntas peccandi excludatur, *non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse &c.* Quis autem non videt hanc assertionem fore prorsus diversam ab ea, quam expressit? quin etiam id faceret contra ejus intentum: nam hac definitione sua volebat Lutherum damnare: Lutherus autem non asserebat attrittionem conjunctam actui charitatis facere hominem hypocritam, & magis peccatorem sed id tantum affirmabat de attritione seorsim sumpta.

Idq; necesse est ad Tridentini intentum.

662. Prob. 3. conclusio: quia contritio perfecta, sive dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum habet vim infallibiliter justificandi, ut probatum est supra num. 518. & seqq. ergo non requiritur pro dispositione necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed sufficit sola attritio. Prob. conseq. quia alioqui hoc Sacramentum semper præsupponeret effectum suum, videlicet reconciliationem peccatoris cum Deo, propter quem esset institutum: & Sacerdotes non haberent propriè potestatem peccata remittendi, sed tantum dimissa declarandi, ut consideranti patebit.

Si requireretur contritio: numquã Sacramentũ Pœnitentiæ recõciliaret peccatorem Deo.

663. Respondent non remitti peccata per actum contritionis nisi in voto Sacramenti Pœnitentiæ, quod in contritione includitur: ac proinde peccatorum remissionem adhuc Sacramento esse adscribendam. Idque ab omnibus dicendum, quotiescumque Pœnitens ante Sacerdotis absolutionem habuit actum contritionis.

Nunquam etiam propriè Sacerdos exerceret potestatem clavium.

At contra hanc responsionem est, quod iuxta eam adhuc remaneat, quod Sacramentum Pęnitentiæ, dum recipitur, nunquam operetur reconciliationem peccatoris cum Deo, seu remissionem peccatorum, propter quam institutum est. Similiter remanet

quod

quod Sacerdotum potestas ad remittenda peccata nunquam propriè exeat in actum; quia semper ante absolutionem remissa sunt. Neutrum autem sequitur ex nostra sententia, quia juxta eam vi Sacramenti suscepti remittuntur peccata, quoriescumq; pœnitens habet solam attritionem. Vndè alii ad evitandam hanc difficultatem.

664. Respondent aliter, videlicet se tantum requirere imperfectam seu remissam contritionem, quæ scilicet tantum procedat ex imperfecto seu remisso aliquo amore benevolentiæ. Hanc autem contritionem non habere vim justificandi extra Sacramentum. Ita varij recentiores.

Quia semper peccator prius justificatus foret vi contritionis.

At contra est quod iste amor remissus benevolentiæ vel sit amor Dei super omnia propter se dilecti: vel non. Si primum: ergo est verus actus charitatis: cum essentia istius actus in eo consistat, quod Deus per eum super omnia propter se ametur. Ergo talis amoris, & contritionis pœnitens justificatur ut satis constat ex dictis num. 518. & seqq. Si secundum: ergo insufficiens est ad Sacramentum, quia si dolor ille non est dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum, non excludet omne peccatum.

Si requireretur contritio, nemo unquã damnaretur defectu absolutionis Sacerdotalis, contra assertionem duorum Pontificum.

665. Prob. 4. conclusio ex Pontificibus disertè asserentibus salutem morientium ita quandoque pendere à Secerdotis absolutione, ut propter ejus defectum damnentur. Hæc sunt verba Iulii Papæ relati can. si Presbyter causa 26. quæst. 6. *si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum*. Et can. seq. sic Cælestinus loquitur: *agnovimus Pœnitentiam* (hoc est Sacramentum pœnitentiæ) *morientibus denegari. ... quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate ..... occidere*: atqui hoc esset falsum si ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria esset perfecta contritio seu dolor de peccatis propter Deũ super omnia dilectum. Vel enim moriens habuisset talem cõtritionem: vel non. Si primum: vi talis contritionis salvaretur, licet Sacerdos ei absolutionẽ denegasset. Si secundum: non salvaretur, licet Sacerdos ipsum absolvisset; quia non habuisset dispositionem ad id

necessa-

neceſſarium. Quod autem poſſent adverſarij adferre ad hanc difficultatem ſolvendam, videlicet requiri certam intenſionem contritionis ad hoc ut extra Sacramentum juſtificet, ſatis refutatum eſt ex dictis num. 518. & ſeqq. de efficacia omnis veræ contritionis.

666. Prob 5. quia alioqui via ſalutis eſſet reddita difficilior in lege gratiæ, quam in Moſaica aut naturæ: quia tunc ad juſtificationem ſufficiebat contritio abſque confeſſione ſacramentali: nunc autem, & contritio, & confeſſio requirerentur.

Et via ſalutis reddita eſſet diffici. lior in lege gratiæ, quã in Moſaica aut natur.

§. IV.

Solvuntur objectiones petita ex Scriptura, & Patribus ac Tridentino.

667. Dices I. Deuter. 4. v. 27. & Ioel. 2. v. 12. & alibi ad veram pœnitentiam requiritur converſio ad Deum ex toto corde: atqui non habetur talis converſio per attritionem conceptam ex ſolo metu gehennę: quia converſio ex metu, & converſio ex corde videntur opponi; nemo enim dicitur facere ex corde; quod facit ex ſolo metu. R. eſſe æquivocationem in ly *ex corde*: ſi enim converſio ex corde eadẽ ſit ac cõverſio ex amore, eo quod cor ſit ſedes amoris, eſt verum quod aſſumitur. Si autem converſio vera, & ſincera, qua peccator verè, & ſincerè deteſtetur omnia peccata ſua, & de iis omnibus verè doleat, proponatque deinceps ſervare omnia Dei præcepta. Falſum eſt quod aſſumitur: poſſe autem peccatorem ex ſolo metu gehennę verè deteſtari omnia peccata ſua infra demonſtrabitur.

Ex metu gehennę poteſt haberi converſio vera, & totalis, & hoc ſenſu ex toto corde.

668. Dices 2. Ioan. 3. v. 14. dicitur *qui non diligit manet in morte*. Et 1. ad Cor. 13. aſſerit Apoſtolus nihil prodeſſe abſque charitate. Et ibid. cap. vlt. dicit anathema omni homini non amanti Dominum Ieſum: ergo, &c. Ad 1. R. ly non diligit ſumi illic contrariè, & ſenſum eſſe, qui odit fratrem ſuum manet in morte. Et ita id exponit ipſemet Ioannes verſu ſeq. dicens: *omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt*:

Ioan 3. ly nõ diligit ſumi. tur contrariè ut patet ex verſu ſeq.

est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam in semetipso manentem.

Ista Apostoli verba charitatem autē nō habeam, vel intelligenda sunt cōtrariè: vel accipiēda de charitate habituali.

Ad 1. R. istum Apostoli locum posse dupliciter exponi: 1. sic ut hæc verba *si charitatem autem non habeam*, accipiantur etiam contrariè, & idem sit ac si diceret, si quis aliquem oderit, nihil posse illi ad salutem prodesse, quamdiu in isto odio permanet. 2. sic ut hæc verba, *charitatem non habeam*, intelligantur de charitate habituali. Et similiter verum est nihil posse illi ad salutem prodesse, qui hac charitate destituitur, cum tunc sit in statu peccati. Vide interpretes in hunc locum.

669. Ad 3. R. istud etiam locum exponendum contrariè, ut, sensus sit, qui odit Christum, doctrinam ejus ac nomen insectando, blasphemando, ut faciunt infideles, anathema sit. Atque ita patet in tribus istis locis nihil haberi contra conclusionem.

Explicantur varia Augustini loca in quibus videtur requirere amorē Dei ad veram Pœnitentiam.

670. Dices 3. Augustinus varijs locis ad veram pœnitentiam requirit amorem Dei Serm. 1. de temp. *pœnitentiam* inquit, *certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*. Lib. de vera, & falsa pœnit. c. 17. *sine amore Dei nemo unquam gratiam invenit* Lib. 2. contra Crescon. cap. 12. *mundantur peccata charitate, quæ si adsit omnia rectè fiunt si verò absit cætera frustra fiunt*. Lib. de Catechis. rud. cap. 20. *legem non implet nisi charitas*.

Ad 1. R. August. non dixisse pœnitentiam veram non facit nisi odium peccati, & amor Dei, sed certā non facit: quia nempè pœnitens non debet facile præsumere se veram habuisse pœnitentiam; si neque in ipsa pœnitentia expertus est ullum Dei amorem neque postea experiatur, sed solo timore pœnarum percellatur; quia scilicet verendum est ne timor ille sit merè servilis non excludens affectum ad peccatum: timor enim hunc effectum removens solet introducere amorem Dei.

Ad 2. R. 1. librum illum non esse Augustini, sed authoris incogniti, ut probat Bellarminus lib. de script. Eccles. 2. posse id intelligi de amore aliquo virtuali consistente in observatione præceptorum Dei, juxta illud Christi Ioan. 4. v. 21 *qui habet mandata*

data mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Et verò quis neget gratiam Dei invenire, qui implet omnia Dei pręcepta, licet ex alio motivo, quã charitatis v. g. Religionis, obedientię, desiderio beatitudinis, &c.

Ad 3. postrema illa verba, *si verò absit, cætera frustra fiunt*, non posse intelligi, nisi de charitate habituali, apertè enim falsum est omnia frustra fieri sine charitate actuali. De habituali autem verificantur, hoc sensu quod nulla opera charitate adeoq; & gratia habituali destituta sint meritoria vitæ æternæ. Falsum est frustra fieri, quæ fiunt sine charitate actuali.

Ad 4. neque id posse intelligi de charitate actuali: quia certum est posse etiam legem impleri ex alio motivo quam charitatis, v g. Religionis, obedientiæ &c. hoc igitur Augustini dictum vel etiam accipiendum est de charitate habituali, & subintelligendum est *constanter*: verum enim est: quod non possit homo sine charitate seu gratia habituali constanter servare omnia Dei mandata, ut docetur in tractatu de gratia. Vel certè id intelligendum est de impletione legis cum facilitate, & gaudio: quæ duo nascuntur ex amore. Potest lex impleri ex alio motivo quam charitatis.

671. Dices 4. Chrys. hom. 4. in 2. ad Cor. sub finem ait: *cum peccaveris ingemisce, non quod pęnas daturus sis; nihil enim hoc est: sed quod Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, &c.* R. Chrysóst. his verbis non asserere necessitatem amoris ad veram pœnitentiam; sed suadere ut dolor prodeat ex motivo charitatis, quia scilicet talis pęnitentia longè perfectior est, & magis meritoria. Dum autem prioribus verbis excludit ab ea timorem pœnarum, intelligendus est de timore merè servili non excludente affectum ad peccatum: verè enim talis timor nihil est, seu nulla consideratione dignus est apud Deum. Chrysost. verba non importãt necessitatem amoris sed consilium.

672. Dices 4. S. Greg. in 1. Reg. cap. 15. sub finem sic habet *salubriter confiteri volentibus scriptura insinuat, dicens corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: quid est corde credere ad justitiam nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? cum quis ergo cordis intensionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis* Greg. requirens motum dilectionis ad confessionem salutarem nõ agit de confessione sacramẽtali.

tis, fructum habet bona conversionis. Ergo juxta Greg. non est salubris confessio, nec bona conversio sine actu charitatis. R. Gregorium non agere isto loco de confessione sacramentali; quandoquidem agat de confessione, quà Saul humiliter debuisset peccatum suum confiteri, & de eo pœnitentiam agere, dum à Samuele reprehensus est, quod fuisset inobediens Deo. Et verum est requiri actum charitatis, ut per talem confessionem ac pœnitentiam remittatur peccatum.

Similiter solvenda sũt quæ possunt objici ex aliis Patribus.

Quæ ex alijs Patribus adferri possunt, similiter solvenda sunt: vel enim non important necessitatem Pœnitentiæ ex motivo charitatis, sed tantum consilium ejus ut præstantioris; vel agunt de Pœnitentia generatim sumpta prout abstrahit à sacramentali, & non sacramentali: & fatemur per non sacramentalem non remitti peccatum mortale absque actu charitatis.

Licet autem sententia de sufficientia attritionis ex metu gehennæ maximè in Tridentino fundetur, adversarii tamen non pauca eodem Tridentino congerunt, quibus conantur probare necessitatem amoris Dei: quæ iam breviter proponemus, & solvemus

Ex eo quod Tridentinũ enumeret amorem Dei ut fontis justitiæ inter actus intervenientes in Baptismo nõ sequitur amorem illũ esse necessarium.

673. Dices 1. Tridentinum sess. 6. cap. 6. agens de dispositione ab adultis requisita ad iustificationem Baptismum obtinendam, & inter actus in ea dispositione intervenientes enumerat amorem, *quo*, inquit, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*. Ergo similiter talis amor requiritur pro dispositione ad justificationem obtinendam per Sacramentũ Pœnitentiæ: quia ut minimum tam perfecta dispositio requiritur ad hoc Sacramentum, qua ad illud R. certum esse omnes actus illic enumeratos non esse necessarios: alioqui enim necessarius etiam timor divinæ justitiæ cum hic actus etiam censeatur: quod tamẽ certo falsum est. Sicut ergo nõ sequitur timorem divinæ justitiæ esse necessarium ad justificationem obtinendam per Baptismũ ex eo quod enumeretur inter actus qui solent intervenire in justificationem impii per Baptismum. Ita non sequitur necessarium esse istum amorem Dei, ut fontis justitiæ.

Deindè

Deindè verba illa, *illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, tantum important inchoatum aliquem & imperfectum Dei amorem ut fontis justitiæ, qui dici potest includi in proposito servandi omnia Dei præcepta, in quantum in eorum observatione consistit vera justitia, & inter illa continetur præceptum dilectionis Dei. Qui ergo proponit servare omnia Dei præcepta, proponit Deum diligere: propositum autem diligendi Deum dici potest inchoata Dei dilectio. Certè Tridentinum illic non requirere ad Baptismum perfectum Dei amorem, satis constat ex eo quod alias requireret actum vi cujus Baptismus semper præsupponeret justificationem habitam propter quam esset institutus: quod est absurdum.

Hæc Tridentini verba, *illũque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*; tantum important inchoatum aliquem & imperfectum amorem.

674. Dices Tridentinum loco citato post prædicta verba, *illumque tantum omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* subjungit: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*; ergo requirit ut odium peccati procedat ex ipsa dilectione: id enim importat ly propterea. R. ante ly *propterea* fuisse etiam factam mentionem timoris divinæ justitiæ: ac proindè istud *propterea* posse pariter referri ad istum timorem nec ibi determinari, quo motivo debeat niti istud odium: undè tantum vagè & indeterminatè dicitur *per odium aliquod*. Non velle autem Concilium dispositionem ad Baptismum debere necessariò includere actum charitatis, colligitur ex eo quod addit: *de hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit, Et confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et timor Domini expellit peccatum, Et pœnitentiam agite, Et baptizetur unusquisque vestrum &c.* ubi nulla fit amplius mentio dilectionis Dei, ut motivi pœnitentiæ. Debuisset tamen Concilium adferre Scripturæ locum pro hac dilectione, si credidisset esse necessariam.

Non determinat illic Tridentinum quo motivo debeat niti odium peccati.

Quæ habentur sess. 6. c. 2. intelligenda sunt de habitibus fidei spei & charitatis nõ de actibus.

675. Dices 3. eadem sess. 6. cap. 7. dicitur, *fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit per-*

fectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Et infra *fides sine spe & charitate vitam æternam præstare non potest*; ergo nec attritio destituta charitate. R. id esse intelligendum de habitibus fidei, spei & charitatis: non de actibus, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus: *hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem*. Non enim actus dicuntur infundi, sed habitus. Id etiam denotat particula simul, quæ non convenit actibus, sed habitibus. Sicut autem fides non potest præstare vitam æternam sine habitibus spei charitatis: ita nec attritio: licet cum Sacramento Pœnitentiæ sufficiat ad acquirendum habitum charitatis & gratiæ; per quem acquiritur jus ad vitam æternam.

Dum Tridentinum, & Florentinum inter partes Sacramētum Pœnitentiæ numerant cōtritionem sumunt illam generatim prout abstrahit à perfecta, & imperfecta.

676. Dices 4 Tridentinum sess. 14. c. 3. inter partes Sacramenti pœnitentiæ assignat contritionem simpliciter. Et idem facit Florentinum in decreto de Sacramentis. Atqui contritio simpliciter posita supponit pro perfecta: ergo &c. R. utrumque Concilium sumere locis citatis contritionem generatim prout abstrahit a perfecta & imperfecta. Et quidem id in Tridentino manifestum est: postquam enim cap. seq. descripsit contritionem, quam cap. præced. dixerat esse partem hujus Sacramenti, illam dividit in perfectam & imperfectam: qua divisione manifestè ostendit se prius sumpsisse contritionem generatim prout abstrahit à perfecta & imperfecta.

Sumit etiam Tridētinum cōtritionem generatim, dum dicit eam fuisse quovis tempore necessariam.

677. Nec contrarium probat ex eo quod contritioni à se descriptæ statim subjungat: *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*; quia hæc verba verificantur de contritione generatim sumpta. His igitur verbis tantum vult neminem unquam potuisse justificari absque peccatorum detestatione & dolore, necdum determinando motivum istius detestationis ac doloris. In lege antiqua debuit quidem hic dolor concipi ex motivo charitatis ut sufficeret ad justificationem; quia tunc nullum erat institutum Pœnitentiæ Sacramentum ad remittenda peccata; nunc autem cum isto Sacram. sufficit si concipiatur ex motivo

imper-

imperfectiore: alioqui enim pejor esset, quoad hoc, status legis gratiæ, quam naturæ; quia tunc sufficisset sola contritio: nunc verò præter illam etiam requireretur confessio, & absolutio Sacramentalis.

678. Dices 5 postquam Concilium definivit attritionem ex metu pœnarum conceptam disponere ad gratiam Dei in Sacramento obtinendam: statim subjungit: *hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*; atqui timor ille Ninivitarum fuit conjunctus cum actu charitatis; alioqui enim non obtinuissent veniam peccatorum: ergo ex mente Tridentini ut attritio ex metu gehennæ disponat ad justificationem in Sacramento obtinendam similiter conjungi debet cum actu charitatis. R. Concilium non dicere Ninivitas obtinuisse veniam peccatorum, seu fuisse justificatos, sed misericordiam impetrasse, quia nempè Deus non intulit eis malum, quod per Prophetam comminatus fuerat. Certè misericordiam, de qua illic agitur, omnes Ninivitæ consecuti sunt: non est autem verisimile omnes, nullo excepto, fuisse perfectè contritos & justificatos. Quod si id concederetur dicendum tunc foret Concilium non uti hoc exemplo ut ostendat ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri talem dolorem, qualem illi habuerunt: alioqui enim requireret dolorem justificantem; quod ne ipsi quidem adversarii admittunt. Sed ut hoc exemplo probet contra hæreticos timorem gehennæ, & dolorem peccatorum ex isto timore conceptum, esse motum bonum ac utilem, quod ipsi negabant.

Pœnitentia Ninivitarũ ex timore concepta nõ fuit sufficiẽs ad eorum justificationem licet Dei misericordiam impetraverint.

679. Dices 6. deputati à Tridentino ad examinandam dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitam, teste Pallavicino lib. 12. c. 10. hist. Trid. ea quæ spectant ad attritionem sic expresserant. *illam autem contritionem quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commissis delictis*

Examinantur mutationes factæ in decreto de contritione, & referuntur in particulari.

exprimat, statuit hæc Sancta Synodus, & declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, ut quidam blasphemare non verentur, verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum verissimum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis quo pœnitens adjutus (cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat) viam sibi ad justitiam munit, & per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam disponit. Postquam autem Patres, ut refert Palavicinus cit. loco, super hac re deliberassent, judicarunt 1. tollenda ista duo verba, *& solum* 2. & ista quatuor, *qui servilis timor dicitur*, 3. quod maximè urgent adversarii, hæc quoque, *verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*. Unde hæc verba non amplius extant in citato cap. 4. atqui inquiunt, si Patres iudicassent attritionem conceptam ex solo metu gehennæ esse partem hujus Sacramenti, qualis secundum nos est, non jussissent prædicta verba expungi: ergo &c.

Aliqua ex illis mutationibus magis nocent adversariis, quam alia nobis.

680. R. 1. verba illa, *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*, fuisse etiam consensu Patrum deleta; hancque deletionem magis nocere adversariis, quam nobis noceant aliorum verborum expunctio. Ex eo enim quod dicta verba sint sublata manifestum est ex mente Patrum pœnitentem per solam attritionem absque aliquo motu dilectionis in Deum posse viam sibi ad justitiam parare, & ad Dei gratiam in Sacramento, ut jam habet Tridentinum impetrandam disponere.

Adferuntur rationes ob quas Concilium videtur fecisse prædictas mutationes.

681. Resp. 2. directè, ly *solum* fuisse meritò expunctum; quia attritio non tantum potest niti duobus motivis ibi expressis; sed etiam quibuscumque aliis à charitatis motivo distinctis, 2. hæc etiam verba, *qui servilis timor dicitur*, meritò etiam deleta: quia timor servilis sæpè accipitur pro timore habente sibi annexum interiorem affectum ad peccatum: ut ergo Tridentinum ostenderet se agere de metu istum etiam affectum excludente, jussit deleri dicta quatuor verba: & hæc reliquit, *si voluntatem peccandi excludat*. 3. hæc verba, *verum etiam sufficere ad hujus Sacramenti*

cramenti constitutionem, sublata, vel quia ista loquutio erat impropria: non enim propriè dicitur partem sufficere ad constitutionem totius. Vel ne istis verbis damnaretur sententia Scoti totam hujus Sacramenti essentiam constituentis in Sacerdotis absolutione: actus autem pœnitentis solum rèquirentis ut præviam dispositionem. Vndè satis fuit Tridentino dixisse attritionem disponere ad gratiam in Sacramento obtinendam.

682. Ad id autem quod dicit Palavicinus loco citato Hist. Trid. videlicet hanc mutationem factam ad instantiam Episcopi Tudetani Concilium admonentis variare Doctores circa sufficientiam attritionis, R. ab aliis allatas etiam verisimilius nostras rationes, eum essent maximè obviæ. Palavicinum autem tantum meminisse rationis à Tudetano allatæ; quia id magis favebat sententiæ suæ de insufficientia attritionis. Cæterum etiam dato quod prædicta verba sublata sint propter rationem Tudetani, nihil aliud indè sequitur, quam quod sufficientia attritionis non sit expresse à Tridentino definita. Cum quo manet quod ea dixerit, ex quibus probabilissimè id infertur.

Manet semper quod ex iis quæ relicta sunt probabilissime deducatur doctrina de sufficientia attritionis.

Præcipua objectio à ratione petita est hæc; quod attritio non videatur excludere voluntatem peccandi; non possit actus aliquis proximè disponere ad justificationem obtinendam, nisi voluntatem peccandi excludat. Quare antequam satisfaciam isti objectioni, argumento efficaci probabo attritionem solo gehennæ metu nixam posse verè excludere voluntatem peccandi.

683. Hanc probationem sic expono: quisquis vult finem, necessariò vult media ad finem necessaria: ergo quisquis vult vitare gehennam, necessariò vult media ad gehennam vitandam necessaria: atqui depositio omnis affectus ad peccatum mortale est medium necessarium ad vitandam gehennam: ergo quisquis vult vitare gehennam, necessariò vult deponere affectum omnem ad peccatum mortale. Iam autem qui dolet de peccatis ob metum gehennæ, vult vitare gehennam, ergo vult deponere affectum

Probatur argumento efficaci attritionem ex metu gehennæ conceptā posse excludere.

omne ad mortale peccatum. Vel sic quisquis vult vitare gehennam: vult etiam vitare quidquid est inductivum gehennæ; alias vellet vitare gehennam, ut supponitur: & non vellet, quia nollet vitare quod est inductivum gehennæ; quod est saltem virtualiter nolle vitare gehennam. Atqui affectus omnis ad peccatum grave est inductivum gehennæ: ergo &c.

Æquè excludit affectum ad peccatum quam actum peccati.

Confirm. timor pœnæ juxta adversarios cohibet saltem externum peccatum, v.g. timor patibuli cohibet externum furtum; ergo timor gehennæ cohibet etiam internum peccatum, seu affectum ad peccatum. Prob. conseq. quia ideò timor pœnæ cohibet externum peccatum; quia propter illud incurritur pœna: ergo timor gehennæ cohibet etiam internum peccatum; quia propter illud incurritur gehenna.

Non potest quis ex metu gehēnæ velle se in eo statu ponere in quo vitaret gehennā si moreretur nisi deponat affectum ad peccatum.

684. Dices 1. potest quis velle vitare gehennam & tantum postea adhibere media necessaria ad illam vitandam, v.g. tantum postea deserere peccatum, idque in multis peccatoribus accidit, qui permanentes in peccato proponunt postea illud deserere ad vitandam gehennam. Ratio est quod volitio finis etiam efficax non inferat necessariò applicationem mediorum, nisi quando urget obtentio finis: R. id quidem verum esse. Sed etiam verum est eum qui ex metu gehennæ vult se in eo statu ponere, in quo vitaret gehennam, si moreretur, debere velle hic, & nunc deserere peccatum, & omnem erga illud affectum exuere; alioqui enim vellet istum statum, ut supponitur: & non vellet, quia non vellet id quod necessarium est ut esset in tali statu. Iam autem qui ex metu gehennæ dolet de peccatis suis, utique vult se in eo statu ponere, in quo vitaret gehennā si hic, & nūc moreretur; adeoq; in tali pænitente metus gehennæ verè excludit omne peccatū, & ipsam etiam voluntatem peccandi. Nec aliud volumus, cum dicimus metum gehennæ non compati secum voluntatem peccandi quod diligenter observandum est.

685. Dices 2. quod fit aut omittitur ex metu, fit aut ommittitur invitè, estque involuntarium secundum quid, ut communiter post Aristótelem docent Phylo-

Philosophi: sed ideo fit, aut omittitur invitè, estque involuntarium secundum quid? quia remanet affectus ad contrarium ejus, quod fit aut omittitur ex metu: ergo qui ex metu gehennæ omittit peccare retinet affectum ad positionem peccati.

Explicatur quandonam illud quod fit aut omittitur ex metu sit involuntarium secundum quid.

R. dist. ma. quod fit aut omittitur ex metu, fit aut omittitur invitè, estque involuntarium secundum quid, quando ad vitandum malum, quod timetur, non est necessaria depositio affectus ad contrarium ejus quod fit aut omittitur ex metu. conc. Si in eum finem necessaria sit depositio affectus: nego. Iam verò ut vitetur gehenna, quæ timetur, sive ut quis se in eo statu ponat, in quo vitaret gehennam, si moreretur, necesse est non tantum ut omittat actum peccati sed etiam ut deponat omnem affectum erga peccatum. Non potest ergo velle hunc statum ad vitandam gehennam, nisi exuat affectum ad peccatum. Ita si ad vitandum suspendium non satis esset vitare furtum, sed etiam exuendus esset affectus erga illud; nullus posset velle efficaciter vitare suspendium, nisi etiam exueret affectum erga furtum. Similiter si ad vitandum naufragium non satis esset projicere merces in mare, sed insuper necessarium foret omnem etiam affectum erga illas deponere: non posset quis velle efficaciter vitare naufragium, & ex illius metu projicere merces in mare, nisi etiam ex eodem metu abjiceret omnem affectum erga illas; ac proindè tunc nec vitatio furti, nec projectio mercium esset involuntaria secundum quid, quia tunc nullus affectus sive ad furtum, siue ad merces remaneret, ratione cujus sive vitatio furti, sive projectio mercium dici posset involuntaria secundum quid.

Si ad vitandum suspendium exuendus esset affectus ad furtum, non posset hic affectus remanere cum voluntate vitādi suspendium.

686. Hoc igitur Philosophiæ dictum, metus causat involuntarium secundum quid, sive quod fit ex metu est involuntarium secundum quid debet intelligi de metu pœnæ aut damni alicujus temporalis, ad cujus vitationem, non sit necesse deponere affectum ad oppositum ejus quod omittitur, aut fit ex metu. Et quia hoc semper accidit respectu pœnæ ab hominibus infligendæ, qui, cum in animum delinquentis non penetrent, tantum puniunt externum opus ma-

Explicatur quandonam verū sit hoc Philosophię dictum: metus causat involuntariū.

lum, ideo ordinariè in eo, qui ex metu talis pœnæ abstinet à malo, remanet affectus erga illud; ac propterea dicitur quod metus causet involuntarium secundum quid. Non ita accidit in eo qui ex metu gehennæ vult se in eo statu constituere, ut vitaret gehennam, si hic & nunc moreretur; quia ad illud non tantum necesse est abstinere ab externo opere peccati, sed etiam deponendus est omnis affectus erga illud.

Timor gehennæ causat indirectè & mediatè displicentiã peccati secundum se.

687. Dices 2. timor gehennæ non causat displicentiam peccati secundum se, sed tantum ut est inductivum gehennæ, ergo non tollit affectum ad peccatum secundum se. Prob. conseq. quia affectus ad peccatum secundum se non expellitur nisi per displicentiam peccati secundum se: unum enim contrariorum non expellitur nisi per suum contrarium. R. dist. conseq. ergo non tollit directè & immediatè affectum ad peccatum secundum se, conc. Nec plus probat ratio allata. Non tollit indirectè & mediatè, nego; cum enim affectus ad peccatum secundum se inducat in gehennam: efficax autem timor gehennę, sensu supra explicato num. 683. excludat illud omne quod inducit in gehennam; consequenter indirectè saltem, & mediatè excludit etiam affectum ad peccatum.

Qui dolet de peccato ex solo metu gehennæ nõ habet virtualiter hunc actum, vellem peccare si nõ timerem gehennam.

688. Dices 3. qui dolet de peccato & ab eo abstinet ex solo metu gehennæ, habet virtualiter hunc actum, *vellem peccare, si non timerem gehennam*: quia reuera sic affectus est, ut non doleret de peccato, nec ab eo abstineret; si non timeret gehennam: ergo remanet in illo affectus ad peccatum. R. dist. ant. si ly *solo* sumatur cum positiva exclusione aliorum motivorum ad non peccandum, transeat. Si ly *solo* sumatur præcisivè ita ut tantum præscindatur ab aliis motivis, qualiter hic sumitur, quod diligenter observandum est, nego. Vi quidem istius actus non esset detestaturus peccatum, si abesset iste metus; quia nempe tunc non existeret iste actus: posset tamen adhuc illud detestari ob alia motiva, quæ possent se offerre. Et dato quod revera sic esset affectus ut peccaret si abesset metus gehennæ; non posset tamen propte-

propterea dici habere virtualiter hunc actum: vellem peccare si non timerem gehennam: sicut ex eo quod aliqui ita sint affecti, ut reipsa peccarent si essent in tali occasione peccandi, non propterea tamen dici possunt habere virtualiter hunc actum, vellem peccare, si essem in tali occasione. Per actus autem conditionate futuros, qui essent si, &c. nemo redditur bonus aut malus.

689. Dices 4. qui odit peccatum propter gehennam, magis odit gehennam quam peccatum, juxta illud axioma, *propter quod unumquodque est tale, & illud magis*: ergo vi istius actus paratus est potius peccare, quam pati gehennam; ergo remanet affectus ad peccatum. R. dist. ant. magis odit gehennam quam peccatum hoc sensu quod primo, & per se moveatur in fugam gehennæ, & solum ratione hujus in fugam peccati, quantum est ex vi istius actus; conc. Sed tunc nulla est consequentia. Magis odit peccatum, quam gehennam hoc sensu, quod malum gehennæ comparet cum malo peccati, & illud malum præferat huic malo, nego. In isto enim actu nulla intervenit comparatio. Quod autem vi istius actus magis moveatur à malo gehennæ, quam à malo peccati, non est quod judicet gehennam esse majus malum, quam peccatum, & malum gehennæ præferat malo peccati sed inde oritur quod malùm gehennæ, utpotè sensum afficiens, magis feriat imaginationem, quam malum peccati, quod est intellectuale.

Quo sensu magis odio habeat gehennam quã peccatũ, qui peccatũ odit propter gehennam.

690. Dices 5. qui detestatur peccatum propter gehennam, non detestatur illud supra omne malum? quia non detestatur illud supra gehennam: atqui peccatum detestandum est supra omne malum: ergo &c. R. dist. ma. non detestatur illud supra gehennam explicitè, & formaliter: conc. implicitè, & virtualiter: nego: cum enim actus, quo mallet peccare quam pati gehennam: sit inductivus gehennæ, non potest generaliter detestari omne peccatum ex metu gehennæ, nisi implicitè, & virtualiter istum etiam actum, quo maluisset peccare quam pati gehennam, detestetur; ac proindè nisi implicitè, & virtualiter præferat malum peccati malo gehennæ. Non potest quidem

Qui ex metu gehennæ detestatur peccatum, implicitè, & virtualiter detestatur peccatũ supra ipsam gehennam.

quidem dictum actum, quo maluisset peccare quam pati gehennam, immediatè, & formaliter ex metu gehennæ retractare per electionem gehennæ potius quam peccati: alioqui enim vellet duo contradictoria, nempè vitare gehennam, & pati gehennam potius quam peccare. Potest tamen mediatè, & virtualiter dictum actum ex metu gehennæ retractare, in quantum ex metu hegennæ potest, & debet, ut metus sit efficax, velle servare omnia Dei præcepta, vitare omne peccatum, &c. in istis autem actibus involuitur retractatio omnis peccati, adeoque, & peccati, quo maluisset peccare, quam pati gehennam. Præterea ex metu gehennę potest quis sibi imperare actum amoris, aut contritionis, urgente præsertim præcepto ad istos actus; quia tunc necessarii sunt ad vitandam gehennam, sive ut quis constituatur in eo statu, in quo vitaret gehennam, si moreretur: clarum autem est in actu amoris, aut contritionis involvi retractationem dicti actus, quo quis maluisset peccare, quam pati gehennam: & consequenter ex metu gehennæ, mediatè, saltem, & virtualiter, posse oriri dictam retractationem.

Ex metu gehennæ potest mediatè & virtualiter retractari Actus quo quis maluisset peccare quam pati gehennam.

691. Dices 6. qui ordinat majus bonum ad minus bonum inordinatè agit: sed qui proponit nō peccare propter solum metum gehennæ, ordinat majus bonum ad minus bonum, videlicet vitationem peccati ad vitationem gehennæ: ergo &c. R. inordinatum quidem esse majus bonum ordinare ad minus sic ut majus bonū destruatur propter minus, aut ei absolutè postponatur non tamen esse inordinatum ex motivo seu desiderio minoris boni amplecti majus: qua ratione vitatio peccati ordinatur ad vitationem gehennę ex metu gehennæ.

692. Dices 7. dolor de peccatis ex metu gehennæ fundatur in amore proprio; sive in amore quo quis vult sibi benè esse; sed amor proprius est vitiosus; ergo &c. R. dari amorem proprium ordinatum; & talem esse amorem illū quo quis vult sibi benè esse per fugam gehennæ. Nec refert quod amor iste sit naturalis, ac proindè non videatur dolor supernaturalis de peccatis, qualis ad Sacramentum requiri-

Amor proprius quo quis vult sibi bene esse per fugā gehennæ non est inordinatus.

tur

tur posse eo fundari: quia dolor iste de peccatis ex metu gehennæ tantum remotè fundatur in isto amore naturali: proximè autem nititur timore gehennæ, quod motivum est supernaturale, cum gehenna non cognoscatur nisi per fidem.

693. Ex his quæ dicta sunt facile erit solvere, quæ ex Augustino adferuntur, ad probandum remanere voluntatem peccandi in eo qui ex solo metu pœnæ non peccat: quorum præcipua hic subjicio, Lib. de nat.& grat.cap.57. sic loquitur: *Sub legè enim est qui timore supplicii, quod lex minatur non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, necdum liber nec alienus à voluntate peccandi, in ipsa enim voluntate reus est; quia mallet, si fieri posset non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat.* Idem asserit Epist.44 *inaniter putat victorem se esse peccati, qui timore pœnæ non peccat, quia licet non impleatur foris negotium malæ cupiditatis: ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis;* Ibidem *inimicus ergo justitiæ est qui pœnæ timore non peccat: Amicus autem erit si ejus amore non peccet: tunc enim verè timetur peccare: Nam qui gehennam metuit non peccare metuit sed ardere.* Concion. autem 17 in Psal. 118. sic habet. *qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit profecto invitus facit qui autem invitus facit, si fieri posset mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam non vellet esse non est amicus sed potius inimicus.* Et lib.1.ad Bonif cap.9. *in ipsa*, inquit, *intus voluntate, peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.* Denique tract.9 in Epist. Ioan.circa med. timorem quo quis abstinet à peccato comparat cum timore uxoris adulteræ, quę se intus oblectat nequitia adulterii; ipsum tamen adulterium non committit, quia timet maritum.

Adferuntur aliquot Augustini loca quibus asserit per timorē gehennæ non expelli affectum ad peccatum.

Augustino consentit Doctor Angelicus 1.2 qu. 107.a.1. ad 2.ubi sic scribit: *lex vetus dicitur cohibere manum non animum; quia qui timorè pœnæ ab aliquo peccato abstinet non simpliciter ejus voluntas recedit à peccato, sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet à peccato.* Et in 4.dist.20. quæst.1.a.1. dicit Antiochum non habuisse veram pęnitentiam,

Adferuntur in eundem finem aliqua loca ex Doctore Angelico.

quia

quia non ex amore justitiæ de peccatis suis dolebat, sed timore pœnæ, quam expectabat. Et 1.2.q.6.a.7. àd.2. *qui*, inquit, *per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur*. Et infra *timidus agit contra id quod etiam nunc secundum se vult*.

Prædicta Augustini & S.Thomæ loca intelligenda sunt de timore strictè servili.

694. Resp. hæc, & similia loca intelligenda esse de timore pœnarum strictè servile positivè excludente amorem justitiæ per internum affectum ad peccatum. Sive ut loquitur S.Thomas 2.2.qu.19.a.4. ad 1. *de timore servili in quantum servilis est*. Non autem de timore latè servili, seu servili tãtum materialiter, quo præcisè timetur pœna, & propter timorem pœnæ abstinetur a peccato. Augustinum autem citatis locis, & similibus agere de timore strictè servili satis manifestè colligitur, 1. ex eo quod plerumque alludat ad legem veterem, quæ à plerisque observabatur ex timore pęnarũ strictè servili. 2. ex eo quod timorẽ istum peccandi comparet cum timore uxoris, quæ licet in animo oblectet se adulterio; non tamen audet illud comittere propter metum mariti. Eadem responsio adhibenda est ad ea loca quæ ex Doctore Angelico allata sunt, & alia quæ exaliis Patribus possunt adferri.

Ostenditur Augustinum variis locis agnoscere timorem gæhénæ excludentem affectũ ad peccatum.

695. Eundem verò Augustinum agnoscere etiam aliquem timorem gehennæ excludentem affectum ad peccatum satis clarè deducitur ex locis seqq. in Psal.127. *timet ne mittatur in gehennam; bonus est, & utilis iste timor*. Quomodo bonus, & utilis esset iste timor si esset strictè servilis, id est talis, ut excluderet amorem justitiæ, & per eum plus timeretur pœna, quam peccatum? De verbis Apost. Serm. 13. *timor servus est, charitas, libera; & ut sic dicamus timor servus est charitatis: ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Domina ventura locum fac vel timore pœnæ si necdum potes amore justitiæ.* Potestne timor retinens affectum ad peccatum dici servus charitatis, quæ per peccatum destruitur? potestne efficere ne diabolus cor possideat, si id retineat quo diabolus cor possidet? tract. 9. in Epist. Ioan. *opus est ergo ut intret timor primò, per quem*

veniat charitas ; timor medicamentum , charitas sanitas. Ibid. *si nullus est timor non est quo intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Sic timor primò occupat mentem ; non autem ibi remanet, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.* Quomodonam timor preferens pœnam peccato, & affectum ad illud retinens, potest dici medicamentum,& necessarius,ut introducatur charitas? denique lib. de grat. & lib.arb. *cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est donum Dei.* Et infra *non quo timore Petrus Christum negavit ; sed illius timoris spiritum accipimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: eum timete, qui habet potestatem animam, & corpus perdere in gehennam.* Hortaturne ibi Christus nos ut timeamus Deum timore strictè servili excludente amorem justitiæ? absit.

Si timor gehennæ non excluderet affectum ad peccatum nõ posset charitatem introducere.

§. V.

Refutatur Carolus ab Assumptione.

696. EX his collige videri à veritate omninò alienum id quod post Iansenium docuit P. Carolus ab Assumptione in Opusculo suo de contritione cap. 1. §. 4. videlicet eum peccare, qui ex solo timore pœnæ operatur. Hancque doctrinam contrariam esse Scripturæ, Tridentino, Patribus ac rationi.

Confutatur opinio P. Caroli ab Assumptione asserentis eũ peccare qui ex solo timore operatur.

Quod sit contraria Scripturæ patet ex eo quod Scriptura sæpius ex sola pœnarum comminatione homines excitet ad servanda mandata ad pœnitentiam agendam. Ita Deus Gen. 2. solam mortis pœnam Adamo proposuit, ut illum avocaret à comestione fructus vetiti. Ita passim in Deuteronomio aliisque libris antiqui Testamenti sola pœnarum propositione populum suum ad legis custodiam, ac pœnitentiam excitat. Ita Christus in novo Testamento Lucæ 13. adfert idem pœnitentiæ motivum: *nisi*, inquit, *penitentiam egeritis, similiter peribitis.* Ex Matt. 7. ad

bona

bona opera fideles hortatur eo eodem motivo: *omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

Cōtraria est Scripturæ, & Tridentino.

697. Quod etiam adversetur Tridentino, liquet ex eo quod sess. 14 cap. 4. definiat attritionem ex metu gehennæ conceptam, *non solum non facere ad hominem hypocritam, & magis peccatorem sed etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum.* Quod sanè esset falsum si peccaret is, qui ex solo metu gehennę doleret de peccatis. Nec dici potest attritionem; quam illic laudat Tridentinum, non niti solo metu gehennæ, sed per hæc verba, *si voluntate peccandi excludat* involvi aliquem amorem justitiæ. Id enim sufficienter supra refutatum est n.660. & 661.

Sanctis quoque Patribus repugnat ac nominatim Augustino.

698. Quod pariter repugnet Patribus manifestum est ex eo quod non rarò solum gehennæ motivum proponant ut peccatores excitent ad pœnitentiam, ad præceptorum observationem, &c. ac nominatim Augustinus Ser. 13. cit. de verbis Apost. expressè dicat: *fac vel timore pœnæ si nondum potes amore justitiæ*, ubi per hanc exclusionem, *si necdum*, &c. clarum est ipsum agere de solo timore pœnæ. Si ergo peccat, qui ex solo timore pœnæ operatur, hortatur ad peccandum, dum dicit *fac vel timore pœnæ*, *&c.*

Ejus etiam fallitas efficaci ratione demonstratur.

699. Quod rationi quoque opponatur, hac brevi ratiocinatione demonstratur: non peccat qui bonum operatur ex bono motivo; sed qui dolet de peccatis, servat mandata, &c. ex solo metu gehennæ, bonum operatur ex bono motivo: nam dolere de peccatis, servare mandata, &c. bonum est, ut per se patet. Et bonus etiam est timor gehennę, ut definit Tridentinum, ergo &c. Idem demōstratur ex absurdo quod ex contraria sententia sequitur, videlicet peccaturū concionatorem qui auditoribus suis sola inferni supplicia proponeret, ut eos ad pœnitentiam aut legis divinæ observationem excitaret: quia tunc natum est auditores ex hoc solo motivo dolere de peccatis, proponere observationem mandatorum, &c. cum, ut suppono nullum aliud motivum ipsis tunc occurrat. Si igitur peccat qui ex solo metu pęnarum dolet ac proponit: consequenter peccat etiam cōcionator

nator quando hoc solum adfert motivum: quod tamen certo falsum est.

700. Objectiones quæ peti possunt, ex eo quod timor pœnarum sit servilis annexum habens affectum ad peccatum, sufficienter supra solutæ sunt. Rursus tamen hic moneo in hac aut simili propositione, non peccat qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis, proponit servare mandata, &c. ly solo non sumi exclusivè per positivam rejectionem aliorum motivorum; sed tantum præcisivè, ut abstrahatur ab alijs motivis, eo quod v.g. non occurrant tunc animo, ac proindè verè solus timor tunc moveat. Positiva enim rejectio aliorum bonorum motivorum, ac præsertim charitatis esset inordinata, & vitiosa. Præcisio autem nullo modo dici potest talis: alioqui enim semper peccaret; qui in actionibus suis præscinderet à motivo charitatis; licet ex alio motivo bono ageret, v.g. ex desiderio æternæ beatitudinis; spe præmii, &c.

Ly solo non debet sumi exclusivè per positivã rejectionem aliorum motivorum, sed præcisivè.

701 Non minus exotica, & falsa est alia doctrina ejusdem P. Caroli ab Assumptione, quam tradit in Pentalogo suo diaphorico, in quo docet internam contritionem peccatorum non esse partem materialem hujus Sacramenti, sed tantum dispositionem ad ejus effectum. Externam autem contritionem verbis manifestatam esse materialem illius partem: seu partem materiæ hujus Sacramenti non esse contritionem cordis, sed oris. Hæc sunt ejus verba pag. 6. *Contritio, ut est pœnitenti à Deo interius inspirata rationem habet dispositionis, ut est absolventi à pœnitente exterius manifestata materiæ induit rationem. Brevius contritio ut est in corde est dispositio: ut est, in ore vel in aliquo signo, est pars materiæ*

Exponitur falsa Doctrina P. Caroli ab Assumptione quod interna cõtritio non sit pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Ex hac falsa doctrina deducit hoc falsum consequens, confitentem omnia peccata sua sine interno eorum dolore, & sic absolutum non debere postea istorum peccatorum confessionem iterare; sed tantum istud peccatum fictionis, sive indebitę dispositionis confiteri: tuncque si adsit internus dolor requisitus de peccatis antea sacrilegè confessis, receptum effectum præcedentis absolutionis, sive remissio-

Exponitur etiam falsũ consequens, quod indè deducit.

missionem istorum peccatorum, quæ sine interno dolore prius fuerat confessus.

Refutatur prædicta doctrina authoritate Cōcilii Florentini, & Tridentini.

702. Requiri internum dolorem ut partem essentialem Sacramenti. Prob. 1. ex Florent. in decr. de Sacram. ubi satis clarè id definit his verbis: *quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes quarum prima est cordis contritio, &c.* Non video quomodo dictus author asserens contritionem quæ est in corde habere tantum rationem dispositionis ad effectum hujus Sacramenti, non autem partis materialis, non contradicat huic definitioni.

2. Ex Tridentino sess. 14. cap. 2. ubi sic habet: *sunt autem quasi materia huius Sacramenti: ipsius pœnitentis actus, nempè confessio, contritio, & satisfactio*: atqui nomine contritionis simpliciter positæ non potest intelligi contritio externa absque interna: quia externa absque interna non est veri nominis contritio. Confir. quia ibid. cap. 4. explicans naturam contritionis, quam cap. 3. dixerat esse partem hujus Sacramenti, docet illam debere esse conjunctam cum proposito non peccandi: atqui sola contritio externa stat cum interno affectu ad peccatum: ergo nomine contritionis, quam dixit esse partem hujus Sacramenti, non intelligit contritionem externam sine interna.

Nō est verisimile Christum elevasse ad esse sacramentale dolorem fictum.

703. 3. Ratione: quia non est verisimile Christum elevasse ad esse sacramentale dolorem fictum & mendacem: atqui dolor externus sine interno est dolor fictus, & mendax; cum vere mentiatur, qui exterius dicit se dolere de peccatis, si sciat se non dolere: ergo, &c.

Mirum sanè est dictum Patrem Carolum nec istis Cōcilijs nec isti rationi occurrere cum tamen adeò efficaciter doctrinam ejus destruant: nec assertionem suam adeò insolitam in re tanti momenti ullo alio argumento stabilire, quam authoritate D. Thomæ male intellecta, ut jam ostendam.

704. En loca quæ ex eo producit in 4. dist. 14. qu. 1. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1. sic habet *in illis ergo Sacramentis quæ sine actu nostro complentur, est materia quæ*

causat

causat & significat quasi medicina exterius apposita : in illis autem Sacramentis , quæ actum nostrum requirunt , non est talis materia , sed isti actus exterius apparentes hoc idem faciunt , quod materia in aliis Sacramentis . Scribens autem ad Hannib. in 4. dist. 14. sic loquitur : *secundum Hugonem Sacramentum est in quo divina virtus sub tegumento rerum sensibilium secretius operatur salutem . Cum ergo divina virtus in pœnitentia sub tegumento rerum sensibilium id est actuum extrinsecorum salutem operetur , pœnitentia est Sacramentum* p. 3. q. 84. a. 1. post relatum S. Gregorium dicit : *manifestum est autem , quod in pœnitentia ita res gesta sit quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris pœnitentis quam ex parte Sacerdotis absolventis ; nam peccator pœnitens per ea quæ facit , & dicit ostendit cor suum à peccato recessisse &c.* Et ibid. ad 1. *nomine corporalium rerum intelliguntur largè etiam ipsi exteriores actus sensibiles ; qui ita se habent in hoc Sacramento , sicut aqua in Baptismo &c.* Denique in 4. dist. 17 q. 3 a. 4. quæstiunc. 1. in O. sic scribit ; *confessio etiam potest esse in eo qui non est contritus quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere , & clavibus Ecclesiæ subiicere se & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum , tamen recedente fictione percipere incipiat sicut etiam est , & in aliis Sacramentis . Vndè non tenetur iterare confessionem , qui fictus accedit ; se tenetur postmodum fictionem suam confiteri .*

Referuntur loca quæ adfert ex S Th. ad stabiliendam doctrinam suam.

Vltimus locus difficilis est.

705. R. primis quatuor locis nihil prorsus haberi quod faveat ejus opinioni : in illis enim nihil aliud asserit Doctor Angelicus nisi actus externos pœnitentis habere quamdam rationem materiæ in Sacramento Pœnitentiæ ; quod verum est , & nos etiam asserimus . Sed nullo modo in illis docet solum externum dolorem pœnitentis sive externum absque interno esse materiam hujus Sacramenti , ac posse illud habere essentialiter perfectum absque interna contritione peccatorum . Vtrumque ex ejus mente dicendum est, & dolorem externum prout signum est interni; & internum prout significatur per externum esse partem materialem hujus Sacramenti. Quemad. modum enim externus , & internus dolor faciunt

Tribus primis locis sic asserit requiri externam cõtritionem ut non excludat , internam sed potius supponat.

unum moraliter, ita per modum unius constituunt partialem materiam hujus Sacramenti.

Adferuntur varia loca ex Doctore Angelico in quibus clarè requirit internam contritionem.

706. Internum autem etiam ab eo requiri ex pluribus locis colligitur 1. in 4. dist. 3 q.1. a.2. quæstiunc. in O. sic habet: *quia hoc Sacramentum* (Extremæ unctionis) *non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti ritè peractis: sicut character in Baptismo & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccatorum in pœnitentia existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti pœnitentiæ*. Nomine autem contritionis non intelligere illic externam tantum, sed etiam internam patet ex eo quod agat de contritione vi cujus cum Sacramento habetur remissio peccatorum. 2 ibid. dist. 17. q 2.1. quæstiunc.2. ad 1. apertè supponit contritionem internam simul cum externa esse partem Sacramenti pœnitentiæ; sic enim illic loquitur: *hic dolor* (videlicet sensibilis) *potest pertinere ad contritionem, in quantum est pars Sacramenti; quia Sacramenta non solum in interioribus actibus sed etiam in exterioribus, & in rebus sensibilibus nata sunt esse*. 3.q.48. suppl. a.2. ad 1. sic scribit: *in Sacramento pœnitentiæ non solum est aliquid ex parte ministri scilicet absolutio, & satisfactionis injunctio; sed etiam ex parte ipsius qui suscipit Sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti; sicut contritio & confessio*. Nomine autem contritionis simpliciter positæ non potest intelligi externa, cum non sit vera contritio. Denique in Opusc.5. de Sacramentis Ecclesiæ apertè ei contradicit his verbis: *quartum Sacramentum est pœnitentia; cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui dicuntur tres pœnitentiæ partes, quarum prima est cordis contritio*. Quid clarius.

Clarè id docet dum dicit primam partem esse cordis contritionem.

Explicatur difficilis locus S.Th. cōtra nos postremo loco allatus.

707. Id quidem, quod objectum est postremò loco, difficile est; sed cum locis pluribus jam allatis clarè asserat contritionem internam esse de essentia hujus Sacramenti; ne sibi contradicat benignè exponendum est id quod habet objecto loco, sicut non asserat tunc haberi Sacramentum, cum ista confessio sit absque contritione, cum expressè contrarium doceat locis jam allatis: sed quod tantum velit istam con-

confessionem posse quodammodo reviviscere, & concurrere ad Sacramentum pœnitentiæ, si nempè pœnitens eidem postea Sacerdoti confiteatur, & accuset se de contritionis defectu in priori confessione, & Sacerdos adhuc memor sit peccatorum in ea declaratorum, tunc enim non est necesse ut iterum distinctè confiteatur ista peccata, sed sufficit si generatim de illis se accuset; ita ut tunc prior distincta peccatorum confessio quodammodo reviviscat, & concurrat ad validitatem hujus Sacramenti. Certè si prius cum sacrilega ista confessione habitum fuisset verum Sacramentum; quod postea ad effectum suum revivisceret sublatu fictione seu declarato contritionis defectu: consequenter dicendum esset, si quis tota vita plusquam millies fuisset ita sacrilegè confessus: & in morte accusaret se de istis sacrilegis confessionibus: quod tunc omnia ista Sacramenta sacrilegè suscepta reviviscerent ad effectum suum producendum; ac proindè reciperet omnes gratias, quas recepisset si debitè fuisset confessus: & vi Sacramentorum sacrilegè susceptorum continuò tunc perveniret ad magnam sanctitatem per tot gratiarum receptionem: quod omninò videtur absurdum & falsum; adeòque nullo modo Doctori Angelico tribuendum.

Quo sensu dicat confessionem factã absq; dolore prodesse ad fructum absolutionis recedente fictione.

708. Quænam autem fuerit mens ejus circa necessitatem contritionis, & actus charitatis ad Sacramentum Pœnitentiæ controvertitur: videtur probabilius eum stetisse pro sufficientia attritionis: idque colligitur ex locis sequentibus.

Examinatur quænam fuerit mens S. Thomæ circa necessitatem contritionis.

Primo enim in 4 dist. 6. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 5. sic scribit: *ad hoc quod homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens*. Subsumo atqui ealem est, quoad hoc, ratio Baptismi & Sacramenti Pœnitentiæ: ergo &c 2 ibid dist. 17. q 3. a. 5. quæstiunc. 1. in O. sic habet: *in actu confessionis & absolutionis gratia augetur, & etiam remissio peccatorum daretur, si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset*. Atqui dolor non sufficiens ad contritionem, est tantum attritio: ergo &c. 3. ibid. dist. 22. q. 2. a. 1.

Adferuntur varia loca quibus admittit sufficere attritionem.

quæstiunc. in O. sic loquitur: *remissio peccatorum aliquando tempore præcedit Sacramentum, quando scilicet præmittitur perfecta contritio. Aliquando autem in ipso Sacramento efficitur; quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus, & non plenè contritus; si obicem non ponat in ipsa confessione & absolutione sibi gratia & remissio peccatorum datur*. 4.3.p.q.80 a.4.ad 2. dicit hoc Sacramentum esse institutum per modum medicinæ ad peccatum tollendum: ergo censet non prærequiri ad illud contritionem, seu dolorem de peccatis propter Deum super omnia dilectum: alioqui enim nunquam tolleret peccatum, sed semper præsupponeret sublatum: ac proindè malè hoc Sacramentum compararet medicinæ, hæc enim non supponit malum sublatum; sed applicatur ad illud tollendum. Vide eundem in suppl.q.10.a.1. & q.18.a.1.

Ostenditur Doctorē Angelicum per attritionem non intelligere contritionem minus intensam.

709. Nec dici potest ad hæc loca explicanda S.Doctorem prædictis locis per attritionem intelligere contritionem minus intensam, & requirere certam intensionem contritionis ad hoc ut per eam justificetur peccator ante absolutionem Sacerdotis: id enim manifestè repugnat doctrinæ, quam tradit in 4.dist. 17.q.2.ad quæstiunc.3. in O. his verbis; *quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam*, ergo per attritionem prædictis locis non intelligit contritionem minus intensam; cum loco jam citato afferat per contritionem quantumcumque parvam tolli omnem culpam; in illis autem supponat per attritionem, de qua agit, non tolli peccata ante susceptionem Sacramenti pœnitentiæ. Ex quibus patet Doctorem Angelicum satis clarè nobiscum sentire.

Adferuntur loca, in quibus ad pœnitentiam requirit actus charitatis.

710. Dices variis locis ad veram pœnitentiam requirit actum charitatis, atqui non possunt peccata remitti etiam in Sacramento absque vera pœnitentia ut certum est ergo &c. Prob.major 1 ex 3.p.q.85. a.2 ad 1. ubi docet displicentiam peccati immediatè pertinere ad charitatem 2. ibid.a.5.in O. inter actus pœnitentiæ numerat *motum charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia*. 3.ibid.q.89 a.3.in O. *non potest*, inquit, *esse pœnitens*,

bitens; qui de uno peccato pœnitet, & non de alio: si enim displiceret ei illud peccatum, quod est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ sequeretur, quod de omnibus peccatis doleret. 4. in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. in O. expressè dicit confessionem non valere sine charitate.

711. Ad 1. 2. & 3. locum R. Doctorem Angelicum in illis agere de pœnitentia, non ut est pars Sacramenti, sed ut est virtus. Et verum est ad Pœnitentiam ut virtus est, ad hoc ut per eam remittantur peccata extra Sacramentum, requiri actum charitatis. Quando autem 3. loco dicit ad rationem veræ pœnitentiæ requiri actum charitatis, per ly *vera* intelligit *perfecta*, quæ nempè verè sufficiat ad remittenda peccata extra Sacramentum. Non posse autem illic sumi ly *vera* prout opponitur *falsa*, patet ex eo quod certum sit requiri hoc sensu veram pœnitentiam ad Sacramentum pœnitentiæ; cum tamen S. Thomas agnoscat ad hoc Sacramentum sufficere Pœnitentiam quæ non possit remittere peccata absque Sacramento; ac proindè quæ sit absque actu charitatis, cum afferat supra per quamlibet veram contritionem, quantumque parvam, adeoque & per quemlibet actum veræ charitatis deleri omnem culpam.

In tribus primis locis agit de pœnitentia ut virtus est, & sufficit ad remittēda peccata extra Sacramentum.

712. Ad 4. R. S. Doctorem illic considerare confessionem, non prout est pars Sacramenti, sed ut est actus meritorius ut patet ex ipso textu; non est autem meritoria absque charitate habituali; unde meritò dicit confessionem in ordine ad istum finem non valere sine charitate, cum quo stat quod valeat in ordine ad constituendum Sacramentum.

Postremò loco considerat confessionem, ut est actus meritorius.

Petes an sententia nostra de sufficientia attritionis ex metu gehennæ ad Sacramentum Pœnitentiæ sit satis certa ad hoc, ut in praxim redigatur, deturque absolutio ei, qui tantum apparet attritus seu dolere ex metu gehennæ?

Sententia de sufficientia attritionis est aliquo modo moraliter certa.

713. R. si quis conatus sit elicere actum contritionis, & dubitet an verè sit contritus, eo quod non sentiat se adeò tangi motivo charitatis, quo niti debet contritio; experiatur autem se ex metu gehennæ

efficaciter moveri ad dolorem & detestationem peccatorum suorum; videri in hoc casu sufficienter certam, ut talis securus sit in conscientia de validitate suæ confessionis, nec teneatur ad illam iterandam. Similiter posse Confessarium tuta conscientia absolvere Pœnitentem, quem excitavit ad actum contritionis, licet dubitet an sit verè contritus, eo quod v.g. ob ruditatem aut aliundè non videatur satis penetrare motivum contritionis, aut ab illo tangi: appareat autem multum moveri ex metu gehennæ ad peccata sua deflenda & detestanda, vitamque emendandam.

Hæc tamen moralis certitudo non excludit probabilitatem alterius Sententiæ.

714. Ratio utriusque est quod sententia de sufficientia attritionis, sit valdè probabilis, & multò probabilior opposita, ut satis patet ex probationibus conclusionis & solutione objectionum; & consequenter videatur aliquo modo moraliter certa: ac proindè saltem sufficiens in utroque casu proposito ad conscientiæ securitatem. Nec refert quod opposita sententia sit probabilis: quia probabilitas unius sententiæ, si multò minor sit probabilitate sententiæ oppositæ, non impedit moralem aliquam alterius certitudinem. Ratio est, quod moralis certitudo patiatur latitudinem, deturque una major altera; debeatque esse maxima aut omnimoda qualis v.gr. est moralis certitudo de existentia Vrbis Romanæ, ad hoc ut excludat omnem probabilitatem alterius sententiæ.

Non est paritas inter moralē certitudinem, & Physicam.

715. Dices: non stant simul aliquid esse physicè certum, & oppositum esse physice probabile: ergo nec stant simul aliquid esse moraliter certum, & oppositum esse moraliter probabile; ergo si sententia adversariorum de insufficientia attritionis sit moraliter probabilis; nostra de illius sufficientia non est moraliter certa. R. neg. conseq. disparitas est quod certitudo physica non videatur admittere latitudinem, sicut admittit certitudo moralis in qua certo datur majus & minus. Quod si etiam aliqua latitudo admittatur in physica certitudine; tunc pariter simul stare poterunt aliquid esse physicè certum; & oppositum esse aliquo modo probabile.

216. Quam-

216. Quamvis autem sententia nostra de sufficientia attritionis ex metu gehennæ sit aliquo modo moraliter certa ob notabilem excessum probabilitatis ejus supra probabilitatem alterius: quia tamen non est omninò certa & in praxi curandum est, ut quo potest certiori modò consulatur validitati absolutionis, præsertim quando id facile fieri potest; ideò in praxi excitandi sunt pœnitentes ad actum contritionis, quando rationabile dubium est an sint contriti; cum facilè sit id facere, sitque securius pro validitate Sacramenti, & utilius pœnitenti. Quando tamen pœnitentes valdè rudes sunt, aut inveterati peccatores, planè expedit illis etiam proponere motivum gehennæ; quia tales solent efficacius per hoc motivum induci ad dolorem & detestationem peccatorum, quam per motivum charitatis, quod sæpè non satis penetrant. Quamquam & hoc motivum non sit omittendum, sed priori adjungendum. Id autem maximè servandum est in articulo mortis, non tantum ob aliquam probabilitatem alterius sententiæ; sed etiam quia sicut tunc urget præceptum charitatis de Deo super omnia diligendo: ita etiam videtur urgere præceptum perfectæ contritionis. Imò non videtur posse fieri, ut quis memor peccatorum suorum Deum amet super omnia, & non doleat de peccatis propter Deum summè dilectum.

Quia sententia nostra nō est omni modo certa in praxi procuranda est contritio.

Quando Pœnitentes sunt valdè rudes, aut inveterati peccatores non est omittendum motivum gehennæ.

717. Dices: ut pœnitens certò licitè absolvatur sufficit quod probabiliter aut saltem probabilius appareat benè dispositus: sed cum sola attritione non tantum probabiliter, sed etiam probabilius apparet benè dispositus, cum sententia de sufficientia attritionis sit probabilior: ergo &c. R. dist. ma. si probabilitas versetur circa existentiam actus, qui ex specie sua certò sufficiat ad debitam dispositionem: conc. si versetur circa speciem actus, qui tantum probabiliter aut probabilius ex specie sufficiat: nego. Disparitas est quod non possit haberi certitudo de existentia actus ex specie sua certò sufficientis v gr de existentia contritionis; quia tantum haberi possunt probabilia indicia de illius existentia; ac proindè

Probabilitas de existentia contritionis sufficit ad absolutionem, non autem probabilitas de sufficiētia attritionis.

Ideò in praxi excitandus pœnitens ad contritionem.

possit & debeat absolvi pœnitens qui illa indicia exhibet, maximè si sint valdè probabilia. Possit autem haberi, & de facto habeatur certitudo, quod aliquis actus, v.g. contritio, ex specie sua sufficiat ad debitam dispositionem: cum ergo facilè sit pœnitentem ad istum actum excitare, videtur in praxi id faciendum, ut certius consulatur validitati Sacramenti.

Idque conformius est censuræ ab Innocentio latæ in primam, inter damnatas, propositionem.

718. Idque videtur conformius censuræ nuper latæ ab Innocentio XI. in hanc propositionem: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio &c.* Quamvis enim in ea fiat tantum mentio opinionis probabilis, non probabilioris, qualis est sententia de attritionis sufficientia, nihilominus ratio propter quam hæc propositio censura notatur, videtur etiam habere locum respectu opinionis probabilioris: ideò enim censura perstringitur, quia sequens opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore exponit Sacramentum periculo nullitatis absque necessitate, ut suppono, quod illicitum est. Atqui etiam sequens opinionem probabiliorem de valore Sacramenti, relicta tutiore, exponit quoque, Sacramentum periculo nullitatis, absque necessitate, ut pariter suppono: ergo &c.

Hujus tamen propositionis damnatio nihil detrahit sententiæ de sufficientia attritionis.

719. Quia tamen in nostro casu sententia affirmans sufficientiam attritionis, longè probabilior est opposita, ita ut sit aliquo modo moraliter certa, ut paulò ante diximus; ideò à multis putatur sufficienter certa, ut in praxim redigatur tuta conscientia. Idque confirmant ex eo quod summi Pontifices scientes ita multò communius doceri, non tamen prohibeant hujus doctrinæ usum: quod tamen deberent facere si attritio ex solo metu gehennæ esset moraliter dubia.

Accedit quod Innocentius XI., hanc propositionem inter cæteras damnavit, *probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam*. Sententiam autem afferentem sufficientiam attritionis supernaturalis ex metu gehennæ non attigerit, licet etiam fuerit ad examen proposita: unde videtur omninò illam,

illam ut ante, integram reliquisse. Quia tamen hoc non obstante semper manet illud, quod hæc sententia non sit omnino certa: ac proindè, quod Sacerdos eam in praxim redigens aliquo saltem modo exponat Sacramentum periculo nullitatis; ideo in praxi debet pœnitentem, si rudis, & minus instructus appareat, excitare ad actum contritionis, ut certius consulat valori Sacramenti: idque, ut dixi, conformius videtur censuræ nuper latæ ab Innocentio XI. in prædictam propositionem, quæ prima est inter damnatas.

Nihilominus excitandus est pœnitēs ad cōtritionem, ut certius consulatur valoris Sacramenti.

720. Petes an Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, & informæ ex parte doloris, qui nempè sufficiat ad ejus validitatem, & non ad ejus effectum videlicet gratiam justificantem, quæ est velut forma extrinseca Sacramenti; unde sine illa dicitur informe?

Sacramentū Pœnitentiæ non potest esse validum & informe.

Dixi ex parte doloris: quia satis videtur constarè non posse esse tale ex parte absolutionis aut confessionis: vel enim absolutio cōfertur ab habente legitimam potestatem cum debita intentione: vel non. Si primum sufficit ad Sacramenti valorem, & effectum. Secundum, ad neutrum sufficit. Similiter confessio, vel est formaliter integra, vel non. Si primum, sufficit ad utrumq; Si secundum, ad neutrum sufficit.

Tota ergo difficultas est, an saltem non possit esse validum, & informe ex parte doloris, id enim multi affirmant, ut Palud. Capreol. Cajet. Sotus, Canus, & alii communiter Thomistæ: ad quos è nostris accedunt Valent. Tolet. Suares. Lugo, &c. negant autem Gabr. Adrian Vasq. Sa. Laim. Con. Amicus, & alii è nostris communius. Quorum sententia videtur verior.

721. Prob. quia non potest dari dolor sufficiens ad valorem Sacramenti, quin etiam sufficiat ad ejus effectum: ergo non potest hoc Sacramentum ex parte doloris esse validum, & carere affectu. Prob antecedens ex Flor. & Trid. non solum nihil distinguentibus inter dolorem requisitum ut partē essentialem hujus Sacramenti, & ut dispositionem ad ejus effectum; sed aperte eundem dolorem ad utrumque

Dolor requisitus ad valorem Sacramēti sufficit etiam ad ejus effectum, idquē ostēditur ex Florentino, & Tridētino

que requirentibus, ut patet ex his verbis Flor. *Cujus* Sacramenti Pœnitentiæ) *quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de catero.* Et adhuc clarius ex Trid. sess. 14. ca. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*: quibus manifestè requirit eosdem actus ad substantialem hujus Sacramenti integritatem, & effectum. Quod confir. ex c. 4. ubi explicans naturam contritionis, quam c. 3. dixerat esse partem Sacramenti, docet debere esse conjunctam *cum proposito non peccandi de catero esse donum Dei, & disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam.*

Confirmatur ex eo quod Sacramentum pœnitentiæ sit essentialiter recōciliativum.

722. Confir. 1. quia hoc Sacramentum ex sua institutione est essentialiter reconciliativum, ut patet ex Trid sess. 14. c. 3. ergo dolor de peccatis, qui est ejus pars, est sufficiens ad remissionem peccatorum: alioqui enim nō foret proportionatus ejus fini; quod esset inconveniens. 2. Quia si ad valorem ex parte pœnitentis non requirantur actus, qui sint dispositio sufficiens ad effectum, nulla erit ratio, cur (quod tamen negant omnes adversarij) non possit etiam esse validum, & informe cum actuali affectu ad peccatum mortale; quandoquidem negatio talis affectus non sit pars intrinseca Sacramenti; & cum tali affectu haberi possit confessio peccatorum cum dolore, & proposito isti confessioni adæquato.

Dolor non extendens se ad oblita nūquam retractata, est etiam insufficiens ad valorem hujus Sacramenti.

723 Hinc dolor supernaturalis, & efficax cum proposito sibi proportionato, extendens se ad omnia & sola peccata confessa, nullo modo ad oblita, quæ nunquam fuerunt retractata, non solum est insufficiens ad hujus Sacramenti effectum: sed ex nostris probationibus etiam ad ejus substantiam; ac proinde eo casu Sacramentum non est validum, & informe (vt volunt Suar. Tan. & alii) sed nullum.

724. Vnde, quamvis dolor præcisè adæquatus confess.

confessioni formaliter integræ probabiliter sufficiat ad valorem hujus Sacramenti, quando in pœnitente non latet aliquod peccatum omnino irretractatum ejus effectum impediens; non sufficit tamen, quando adest tale impedimentum; quia eo casu ad effectum necessaria est aliqua saltem virtualis istius peccati retractatio; cùm non possit remitti unum peccatum sine alio, nec ullum irretractatum, & consequenter, ut ex nostris probationibus constat, etiam ad valorem.

725. Quare etsi ad valorem hujus Sacramenti sufficiat confessio formaliter integra, non tamen sufficit dolor, ut sic loquar, formaliter integer, id est de omnibus, & solis peccatis post diligens examen memoriæ occurrentibus. Ratio disparitatis est, quod de lege ordinaria nullum peccatum remitti possit sine aliqua retractatione: possit autem absque omni confessione reali, quæ sæpe est homini impossibilis. Adde quod alioqui à pari sequeretur talè dolorem etiam ad effectum sufficere, sicut sufficit confessio formaliter integra: quod fundamentum adversariorum directè everteret, & à nullo admitti potest.

Nullum peccatū remittitur absque aliqua retractatione.

726. Concurrit itaque dolor, etiam quatenus se extendit ad peccata oblita, aut justam ob causam in confessione non declarata, nō solum ut dispositio ad effectum necessaria, sed etiam ut pars Sacramento essentialis, & intrinseca: sic ut deficiente ista extēsione non solum effectus non ponatur; sed nec ipsum Sacramentum subsistat. Iste autem dolor, etiam quatenus se extendit ad peccata in confessione non expressa, redditur sufficienter sēsibilis, ut sit pars hujus Sacramenti per ipsam confessionem: cùm enim per hanc pœnitens profiteatur se velle reconciliari Deo, etiam profitetur se dolere ut oportet de omnibus peccatis sive cōfessis sive inculpabiliter omissis. Qua etiam ratione propositum non peccandi de cætero sufficienter redditur sensibile, licet per confessionem ullo modo exprimatur.

Dolor extēdens se ad peccata oblita est etiam ut talis pars Sacramenti.

Estquoq; ut talis sufficienter sensibilis per ipsam confessionem.

627. Quamvis retractatio virtualis peccati obliti facta per actum prosecutionis, v.g. amoris Dei super omnia, desiderii reconciliationis cum Deo, propositi uni-

universaliter efficacis, &c. quæ est sufficiens ad effectum hujus Sacramenti, non possit esse illius pars formaliter, & propriè; cùm non sit dolor formalis; potest tamen esse conditio sine qua non, & complemẽtum necessarium partis essentialis. Vti enim juxta adversarios negatio actualis affectus peccaminosi non est propriè pars Sacramenti, & tamen necessario requiritur ad ejus substantiam tanquam conditio, quam necessario connotat dolor, ut sufficiat ad valorem: ita etiam retractatio peccati per actum prosecutionis etsi non possit propriè esse pars, potest tamen esse conditio necessariò, & essentialiter requisita ad hoc ut dolor de solis confessis, qui alioqui esset insufficiens ad effectum Sacramenti; & consequenter etiam ad ejus valorem: ac proinde ea deficiente, in casu doloris specialis ad peccata inculpabiliter omissa nullo modo se extendentis, & nõ solum deest dispositio ad effectum sed pars essentialiter requisita ad substantiam, adeoque Sacramentum eo casu non est validum, & informe, ut volunt adversarii, sed nullum. Similiter propositum qua tale non est formaliter dolor nec pars doloris, est tamen necessariò ejus complementum in esse partis sufficientis.

Retractatio virtualis peccati obliti non potest propriè dici pars hujus Sacramenti.

Est tamen conditio sine qua non.

Eodem modo dicendum de retractatione peccati obliti per actum à multo tempore elicitum absque ordine ad confessionem, adeoq; in eam nullo modo influentem, & consequenter in potentem concurrere per modum partis; quod nempe possit concurrere per modum conditionis sine qua non. Item de dolore peccatorum ante Baptismum commissorum, nec per hunc remissorum defectu dispositionis

Idem dicendum de retractatione peccati obliti per actum pridem elicitum.

Defectus actuum fidei de Deo justificatore, & spei veniæ ad remissionem peccatorum, & consequenter ad hujus Sacramenti effectum necessario requisitorum, non solum reddit hoc Sacramentum informe, ut contendunt adversarii, sed nullum: quia isti actus non sunt pars hujus Sacramenti, sine illis tamen stare nequit hoc Sacramentum; eo quod sine illis haberi non possit supernaturalitas, & efficacia doloris ac propositi ad hujus Sacramenti substantiam

tiam

tiam essentialiter requisita; ac proinde isti actus sunt connotatum necessario prærequisitum ad sufficientiam partis ejus materialis: undè dici possunt illius pars præsuppositivè, licet non formaliter.

Defectus actuum fidei, & spei non reddit hoc Sacramentũ informe, sed nullum.

728. Fatemur quidem hoc Sacramentum fore validum, & informe, casu quo a pœnitente committatur peccatum in extrinseco instanti terminativo absolutionis, quo Sacramentum deberet causare suum effectum: foret enim validum, quia ante istud instans posita essent omnia ad substantiam requisita: informe autem; quia per istud peccatum impediretur à suo effectu eo instanti producendo: verum præterquam quod sit valdè incertum utrum Sacramenta eo præcisè instanti causent effectum suum, iste casus est moraliter impossibilis, licet non metaphysicè, nostra autem conclusio est intelligenda moraliter.

Cur potius alia Sacramenta possint esse valida, & informia.

729. Neque obstat, quod Baptismus, & alia Sacramenta, saltem imprimentia characterem, possint esse valida, & informia: nam inter illa, & Sacramentum Pœnitentiæ manifesta est disparitas; quod nempe alia Sacramenta non includant intrinsece ut partem sibi essentialem, dispositionem ex parte suscipientis requisitam ad eorum effectum ac proindè ea deficiente possint habere omnia sibi essentialia, adeoque esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum: at verò Sacramentum pœnitentiæ ut partem essentialem includat dispositionem ex parte suscipientis requisitam ad ejus effectum: unde fit ut non possit esse validum, quin simul sit efficax.

Adde quod argumentum ab aliis Sacramentis ductum evidenter nimium probet, nempe posse haberi hoc Sacramentum cum actuali affectu ad aliquod mortale sicut potest haberi Baptismus quod nemo admiserit is. Docet quidem S. Th. in 4. dist. 17. qu. 3. a. 4. qu. 1. ubi docet contritionem esse de essentia hujus Sacramenti: unde sequitur non posse esse validum sine dispositione sufficienti ad suum effectum.

§. VI.

§. VI.

De Confessione Sacramentali,

> Quid sit cõfessio Sacramentalis.

730. CONfessio Sacramentalis est legitima accusatio pœnitentis de peccatis proprijs facta Sacerdoti, ad eorum absolutionem virtute clavium obtinendam.

> Fide certum est eam præceptam esse jure divino ut patet 1. ex Ioannis 20. quorum remiseritis &c. 2. Ex pluribus Conciliis iisque antiquissimis.

Iure divino præcepta est confessio omnium mortalium post Baptismum admissorum. Est de fide. Prob 1. ex scrip. Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis retenta sunt.* Ex quibus verbis teste Tridentino sess. 14. cap. 5. *universa Ecclesia semper intellexit institutum esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis necessariam existere*. Et merito ita intellexit: quia alioqui potestas peccata retinendi istis verbis concessa Apostolis eorumque successoribus non posset ad usum redigi: nam secluso isto præcepto mortalium remissio non penderet à Sacerdotis absolutione. Ita non possunt venialia retineri; quia eorum remissio obtineri potest independenter à Sacramentali absolutione. Prob. 2. ex antiquissimis Conciliis apud Bellarm. lib. 3. de pœnitencia cap. 5. videlicet Carthag. 3. & Laodic. ante annos mille, & centum celebratis. Cabilon. 2 ante annos 800. in quo can 32. habetur: *sed hoc emendatione indigere perspeximus quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt*, & paulò post *solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut plena sit confessio.* Item ex Later. Constant. Florent. Et denique Trident. sess. 14. cap 5. & can. 6. & 7.

> 3. Ex unanimi Patrum consensu ac nominatim

731. Prob. 3. ex communi PP. consensu quos per omnes Ecclesiæ ætates digestos reperies apud eund. Bellarmino lib. cit. cap 6. hæc sunt verba Cypriani Serm. 5. de lapsis: *confiteantur singuli quæso vos, delictum suum dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est dum admitti confessio potest: dum satisfactio, & remissio per Sacerdotem facta; Deo grata est.* Basilius in regulis

brevio-

brevioribus, reg 228. necessitatem confessionis his verbis asserit: *necessariò eis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*, hoc est, Sacerdotibus. Eandem necessitatem adstruit Ambr. lib. 2. de pœnit. cap 6. ubi sic habet: *si vis justificari fatere delictum tuum, solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum*; Chr. faciendam esse distinctam peccatorum confessionem tradit homil. 3 in Epist. ad Hebr. *ne nos*, inquit, *tantum dicamus peccatores? sed etiam peccata recenseamus speciatim unumquodque enumerantes*. Et hom. 33. in Ioan. ait, *in peccatis quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur: Deum dumtaxat, ut docet formidemus, qui nunc opera nostra videt: & tunc quos in præsentia non pœnitet, damnabit*. Et lib. 2. de Sacerdotio sic habet *sibi persuadeant curationi Sacerdotum sese submittere oportere*. Denique homil. 80. in Genes. agens de faciendis hebdomada sancta: *facienda est*, inquit, *diligens & pura confessio peccatorum*: Augustinus autem homil. 49. inter 50. ante med. expresse asserit non satis esse agere pœnitentiam in corde, sed illam agendam esse ut agitur in Ecclesia, videlicet per sacramentalem confectionem. Hæc sunt ejus verba: *agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia .... nemo sibi dicat: occultè ago novit Deus, quia in corde ago, ergo sine causa dictum est: quæ solventur in terra, erunt soluta in cælo? ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi &c.*

Cypr. Basil. Amb. Chrysost. & Aug.

Notãda nominatim sũt verba Augustini

732. Prob. 4. ex perpetuo Ecclesiæ usu non solum latinæ sed etiam græcæ, quæ ut declarat Bellar. lib. cit. cap. 5. confessionem ut jure divino necessariam semper vsurpavit, cum hoc solo abusu, ut ostendit Arcudius lib. 4. ca. 2. quod ejus Presbyteri nunquam ferè confiteantur, nisi in articulo mortis, ne videlicet juxta canones officio, & sacerdotio priventur, si fortè inciderint in fornicationem. Ex hoc autem perpetuo Ecclesiæ usu efficacissimum ducitur argumentum pro confessione jure divino necessaria: nunquam enim consuetudo confessionis omnium peccatorum etiam occultorum, & maximè pudendorum adeò dif-

Ex perpetuo Ecclesiæ usu tam græcæ quam latinæ.

difficilis, & humanæ superbiæ ita repugnantis universaliter induci potuisset, nisi de ea Christi præceptum per ipsos Apostolos traditum accepisset Ecclesia.

Ex hoc usu ducitur validum argumentum.

Atque ex his patet mentiri Calvinum aliosque hæreticos dum asserunt confessionem auricularem non fuisse præceptam ante decretum. Innoc.3. in Concilio Lateranensi celebrato sub annum Christi 1214. Innocentius enim non induxit necessitatem confitendi, ut ex concilijs, & PP. supra citatis manifestum est: sed solum constituit ut præceptum confessionis, quod sine temporis determinatione lapsos in mortale obligabat, saltem semel in anno impleretur.

Nectarius non sustulit cōfessionem Sacramentalem secretā, sed tantum publicā; Idque occasione scandali inde orti.

733. Dices, Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus Chrysostomi immediatus prædecessor confessionem in Ecclesia sua abrogavit; ut testantur Socrates, & Zozomenus in Ecclesiastica sua Historia. Quod etiam fecerunt ejus exemplo alii Episcopi orientales ut refert Nicephorus lib 12. cap. 28. atqui nunquam id fecisset si fuisset jure divino præcepta: ergo, &c.

R. Nectarium non sustulisse confessionem sacramentalem secretam; sed tantum publicam prohibuisse: idque occasione gravis cujusdam scandali orti ex publica confessione cujusdā mulieris, quæ ulterius, quam par erat, in cōfitendo progressa palam se accusaverat occulti flagitii cū diacono in ipso tēplo admissi. Quod autem addit Zozomenus eundem Nectarium reliquisse uniuscujusque conscientiæ ut ad sacram communionem accederet, vel non accederet: nō debet sic intelligi, quasi permiserit ut peccatores nulla confessione præmissa communicarent; sed tantum vult eum sustulisse morem arcendi illos à communione, donec fecissent confessionem & pœnitentiam publicam sibi impositā à presbytero pœnitentiario, qui in singulis civitatibus ad id erat constitutus, ut audita secreto pœnitentium confessione discerneret quænam peccata ad aliorum ædificationem prius expianda essent confessione, & pœnitentia publica quā ad cōmunionem accederent.

734. Dum

734. Dum ergo Chrysostomus, homil. 5. de Pœnit. & Confess. Laudans factum Nectarii addit: *cogitatione fiat delictorum exquisitio: absque teste sit hoc judicium: solus Deus confitentem videat*, & homil. 2. in Psal. 50. ait *non dico ut confitearis conservo tuo ne exprobret: dicite Deo, qui curat ea*. Non excludit Sacerdotem Dei Vicarium: sed solum improbat confessionem publicam; conformiter ad ea quæ habet in cap. 15. Lucæ concione 4. de Lazaro; *non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes &c.* quod si subinde etiam Sacerdotem Dei Vicarium excludat, ut hom. 31. in Epist. ad Heb. *delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria* & homil. 8. de pœnit. *intus in conscientia tua adstante nemine*: non loquitur de confessione Sacramentali ex divino præcepto suis temporibus facienda: sed de confessione quotidiana coram solo Deo per examen conscientiæ, & actum contritionis, ad quam ut valdè utilem fideles hortatur.

Chrysostomus solam quoque confessionem publicam improbat.

735. Hoc divino confessionis præcepto obligantur, omnes qui post Baptismum mortaliter peccaverunt, est de fide ex Trid. sess. 14. cap. 5. ubi expressè definit integram mortalium confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino esse necessariam.

Hoc divino confessionis præcepto obligantur omnes qui post Baptismum mortaliter peccaverũt.

Tenentur per se hoc præceptum implere saltem in articulo mortis; & præsenti illius periculo, v. gr. instante conflictu, navigatione periculosa, difficili partu &c. est communis & certa. Et ratio evidens est, quia in articulo aut periculo mortis adhibenda sunt media necessaria ad salutem; qualis est confessio sacramentalis post lapsum in mortale.

Obligantur etiam per se extra mortis articulum, aut præsens illius periculum aliquoties in vita illud implere; ita ut peccaret contra divinum hoc confessionis præceptum, qui post lapsum in mortale ad plures annos confessionem differret: ita communius DD. quia per se tenetur peccator aliquando redire in gratiam cum Deo, ut diximus cum egimus de præcepto pœnitentiæ, ut virtus est, & fatentur adversa-

Non tantum in mortis articulo, sed etiam extra illum.

rii: ergo etiam per se tenetur adhibere medium ad hunc finem à Deo institutum.

Non tantum in mortis articulo, sed etiam extra illum.

736. Quandonam autem præcisè urgeat hoc præceptum, difficile est definire: ideò meritò Ecclesia præcepto suo determinavit, ut non differatur confessio ultra annum unum. Ita statutum est cap. omnis utriusque sexus de pœnit.& remiss. hæc sunt hujus præcepti verba; *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti*. Per annos discretionis intellige eam ætatem in qua est sufficiens usus rationis ad peccandum mortaliter. Per peccata intellige mortalia; nam venialia non sunt obnoxia confessioni. Vndè qui intra annum nullum mortale admisit, per se loquendo, isto anno non obligatur hoc præcepto; nam sicut præceptum divinum est tantum de confitendis mortalibus, iisque necdum clavibus subjectis: ita & Ecclesiasticum, cum sit tantum determinatio divini circa tempus quo debet impleri.

Fideles omnes tenentur singulis annis semel cõfiteri proprio Sacerdoti.

Dixi *per se loquendo*; quia praxis Ecclesiæ est, ut omnes confiteantur ad vitandum scandalum, quod ex confessionis omissione posset oriri. Vnde talis etiam deberet sistere se Sacerdoti, & confiteri venialia aut mortalia alias remissa.

Habens sola venialia teneretur etiã ad confessionem ad vitandum scandalum.

737. Præceptum hoc per se loquendo non respicit ullum determinatum anni tempus, v g. Pascha, aut Quadragesimam; sed impleri potest quovis anni tempore. Ita DD.communiter. Et probatur ex verbis præcepti, quæ præcisè exigunt ut confessio fiat semel in anno absque determinatione certi temporis. Cum tamen paulò post dum præcipitur annua communio, determinetur pro ea tempus Paschale, ex qua differentia satis patet communionem alligari ad certum tempus, non verò confessionem.

Dixi *per se loquendo*, quia habens mortalia tempore Paschali obligatur ad tunc confitendum ratione communionis tunc faciendæ: & meritò Pastores tunc à suis Parochianis exigunt testimonium confessionis; quia tempus Paschale aut Quadragesimale illi vicinum maximè aptum est ad implendum præ-

Et si præceptum confessionis non respiciat ullum tempus determinatũ meritò tamẽ

ceptum

ceptum confessionis annuæ. Idque conforme est Tridentino sess. 14. cap. 5. sic loquenti: *In universa Ecclesia observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesima: quem morem hac S. Synodus maximè probat & amplectitur tanquam pium & maximè retinendum.*

exigitur confessio tempore Paschali.

738. Satisfit huic præcepto per confessionem factam regularibus privilegiatis: est communis & certa. Prob. 1. ex Bulla Leonis X. quæ incipit, *dum intra mentis arcana*, ubi expressè dicitur, quod talibus religiosis confitentes satisfaciant constitutioni *omnis utriusque sexus*, 2. ex Bulla Pauli III. quæ incipit, *licet debitum*, in qua idem privilegium datur Societati nostræ. 3. ex Bulla Clementis VIII. cujus initium est *significatum fuit nobis*, quæ fuit Edita anno 1592. ad finiendam controversiam Duaci excitatam à Pastoribus palam concionantibus non satisfieri dicto præcepto per confessionem factam apud dictos regulares.

Satisfit præcepto per confessionem factam regularibus privilegiatis.

739. Dices 1. cap. *omnis utriusque sexus* præcipitur ut quilibet fidelis semel in anno *confiteatur proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia*: atqui proprius Sacerdos est solus Parochus: ergo &c. R. proprium Sacerdotem non esse solum Parochum, sed etiam Episcopum Diœcesanum & summum Pontificem: regulares autem privilegiati audiunt confessiones de licentia summi Pontificis: Vndè non excluduntur dicto cap. *utriusque sexus omnis*. Itaque *proprio in isto capitulo* non opponitur communi sed alieno: alioquì enim non satisfacere qui confiteretur Episcopo suo aut summo Pontifici quod certò falsum est.

Proprius Sacerdos non tantum est parochus, sed etiam Episcopus & summus Pontifex.

740. Dices 2. Martinus V. in extravag. quæ incipit *ad uberes fructus*, ait: *volumus quod hi qui confitentur mendicantibus, confiteantur in Paschate semel in anno Sacerdotibus parochialibus*. R. 1. illam extravagantem nunquam fuisse usu receptam, ut testatur Vasquez, 2. illam fuisse quoad hoc abrogatam per sequentes Pontifices, ac nominatim per Leonem X. expressè contrarium asserentem citata Bulla, idque approbante Concilio Lateranensi, quod sub ipso habitum

Extravagantes Martini V. & Sixti IV. abrogatæ sunt per subsequentes Pontifices.

 est.

est. Idem dicendum de extravagante Sixti IV. quæ incipit, *vices de treuga & pace*, in qua præcipit ne mendicantes deinceps in concionibus doceant parochianos non obligari ad confitenda peccata sua in paschate Parocho suo.

Non satisfit præcepto per confessionem voluntariè invalidam.

741. Non satisfit huic præcepto per confessionem voluntariè invalidam, sive sit talis vel ex defectu sufficientis doloris, vel propositi emendationis, vel integritatis. Quia Ecclesia censenda est præcepisse confessionem validam, cum finis hujus præcepti sit reconciliatio peccatoris cum Deo, quæ non potest haberi per confessionem invalidam. Unde meritò damnata est ab Alexand. VII. hæc propositio, *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

742. Dices 1. cap. *omnis utriusque sexus* solum præcipitur confessio peccatorum nulla facta mentione doloris aut propositi emendationis: ergo qui confitetur omnia peccata sua, satisfacit isti præcepto. R. illic præcipi confessionem in ordine ad reconciliationem peccatoris cum Deo, quæ haberi non potest absque dolore sufficienti & proposito emendationis.

Actus interni possunt saltem indirectè ab Ecclesia præcipi.

743. Dices 2. contritio cordis, & voluntas emendandi se sunt actus interni: atqui Ecclesia non præcipit actus internos: ergo &c. R. 1. actus istos internos requisitos esse à Christo: Ecclesiam autem præcipere ut singulis annis fiat id quod Christus ad hoc Sacramentum requisivit, adeòque saltem implicitè actus illos præcipere. 2. posse Ecclesiam indirectè præcipere actus internos, quatenus scilicet necessarii sunt ad finem, quem intendit, obtinendum.

744. Dices 3. cap. *quod quidam*, de pœnit. & remiss. dicitur admittendam esse confessionem eorum, qui dicuntur se à peccatis abstinere non posse. R sensum non esse quod talis confessio sit admittenda tanquam sufficiens ad præcepti impletionem: sed quod tales sint audiendi ut possint eis suggeri media aliqua ad resipiscendum.

Dixi in conclusione *per confessionem voluntariè invalidam*;

lidam: quia ratio major dubitandi est, an saltem non satisfaciat per confessionem involuntariè, adeòque inculpabiliter invalidam; quia v.gr. pœnitens conatus quidem est habere dolorem sufficientem, sed illum non habuit. Vel quia Sacerdos ipsum invalidè absolvit, ob defectum intentionis, aut jurisdictionis. Videtur tamen hoc etiam casu dicendum non impleri præceptum, quia neque tunc habetur finis præcepti, videlicet reconciliatio cum Deo per Sacramentum Pœnitentiæ. Unde si ei innotesceret invaliditas confessionis, teneretur ad eam iterandam.

Nec satisfit præcepto per confessionem involuntariò nullam.

745. Petes an supposito quod detur Sacramentum validum simul & informe, satisfiat per illud præcepto? Resp. neg. dato quod non reviviscat, quia tunc non habetur finis propter quem receptio ejus præcipitur. Quod si reviviscerer, dicendum tunc præceptum completè implendum, quando poneretur id quod necessarium esset ad reviviscentiam.

Nec satisfieret per confessionem validam sed informem.

746. Secreta peccatorum confessio fuit in usu ab ipso Ecclesiæ exordio: & hæc sola fuit præcepta; licet etiam primis sæculis in usu fuerit confessio publica. Hæc conclusio manifestè traditur à Tridentino sess. 14. cap. 5. post med. his verbis. *Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplo, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum; nec satis consultè humana aliqua lege perciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum sanctissimis & antiquissimis patribus magno unanimique consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse docere non verentur.*

Secreta peccatorum cōfessio fuit in usu ab ipso Ecclesiæ exordio.

Ipsa etiam ratio evincit solam confessionem secretam fuisse à Christo præceptam: quia onus publi-

que requirentibus, ut patet ex his verbis Flor. *Cujus* Sacramenti Pœnitentiæ) *quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Et adhuc clarius ex Trid. sess. 14. ca. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti Pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*: quibus manifestè requirit eosdem actus ad substantialem hujus Sacramenti integritatem, & effectum. Quod confir. ex c.4. ubi explicans naturam contritionis, quam c.3. dixerat esse partem Sacramenti, docet debere esse conjunctam *cum proposito non peccandi de cætero esse donum Dei, & disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam*.

Confirmatur ex eo quod Sacramentum pœnitentiæ sit essentialiter recōciliativum.

722. Confir. 1. quia hoc Sacramentum ex sua institutione est essentialiter reconciliativum, ut patet ex Trid. sess. 14. c.3. ergo dolor de peccatis, qui est ejus pars, est sufficiens ad remissionem peccatorum: alioqui enim nō foret proportionatus ejus fini; quod esset inconveniens. 2. Quia si ad valorem ex parte pœnitentis non requirantur actus, qui sint dispositio sufficiens ad effectum, nulla erit ratio, cur (quod tamen negant omnes adversarij) non possit etiam esse validum, & informe cum actuali affectu ad peccatum mortale; quandoquidem negatio talis affectus non sit pars intrinseca Sacramenti; & cum tali affectu haberi possit confessio peccatorum cum dolore, & proposito isti confessioni adæquato.

Dolor non extendens se ad oblita nūquam retractata, est etiam insufficiens ad valorem hujus Sacramenti.

723 Hinc dolor supernaturalis, & efficax cum proposito sibi proportionato, extendens se ad omnia & sola peccata confessa, nullo modo ad oblita, quæ nunquam fuerunt retractata, non solum est insufficiens ad hujus Sacramenti effectum: sed ex nostris probationibus etiam ad ejus substantiam; ac proinde eo casu Sacramentum non est validum, & informe (ut volunt Suar. Tan. & alii) sed nullum.

724. Unde, quamvis dolor præcisè adæquatus conf.

confessioni formaliter integræ probabiliter sufficiat ad valorem hujus Sacramenti, quando in pœnitente non latet aliquod peccatum omnino irretractatum ejus effectum impediens; non sufficit tamen, quando adest tale impedimentum; quia eo casu ad effectum necessaria est aliqua saltem virtualis istius peccati retractatio; cùm non possit remitti unum peccatum sine alio, nec ullum irretractatum, & consequenter, ut ex nostris probationibus constat, etiam ad valorem.

725. Quare etsi ad valorem hujus Sacramenti sufficiat confessio formaliter integra, non tamen sufficit dolor, ut sic loquar, formaliter integer, id est de omnibus, & solis peccatis post diligens examen memoriæ occurrentibus. Ratio disparitatis est, quod de lege ordinaria nullum peccatum remitti possit sine aliqua retractatione: possit autem absque omni confessione reali, quæ sæpe est homini impossibilis. Adde quod alioqui à pari sequeretur talè dolorem etiam ad effectum sufficere, sicut sufficit confessio formaliter integra: quod fundamentum adversariorum directè everteret, & à nullo admitti potest.

Nullum peccatū remittitur absque aliqua retractatione.

726. Concurrit itaque dolor, etiam quatenus se extendit ad peccata oblita, aut justam ob causam in confessione non declarata, nō solum ut dispositio ad effectum necessaria, sed etiam ut pars Sacramento essentialis, & intrinseca: sic ut deficiente ista extēsione non solum effectus non ponatur; sed nec ipsum Sacramentum subsistat. Iste autem dolor, etiam quatenus se extendit ad peccata in confessione non expressa, redditur sufficienter sēsibilis, ut sit pars hujus Sacramenti per ipsam confessionem: cùm enim per hanc pœnitens profiteatur se velle reconciliari Deo, etiam profitetur se dolere ut oportet de omnibus peccatis sive cōfessis sive inculpabiliter omissis. Qua etiam ratione propositum non peccandi de cætero sufficienter redditur sensibile, licet per confessionem ullo modo exprimatur.

Dolor extēdens se ad peccata oblita est etiam ut talis pars Sacramenti.

Estquoq; ut talis sufficienter sensibilis per ipsam confessionem.

627. Quamvis retractatio virtualis peccati obliti facta per actum prosecutionis, v.g. amoris Dei super omnia, desiderii reconciliationis cum Deo, propositi uni-

Retractatio virtualis peccati obliti non potest propriè dici pars hujus Sacramenti.

universaliter efficacis, &c. quæ est sufficiens ad effectum hujus Sacramenti, non possit esse illius pars formaliter, & propriè; cùm non sit dolor formalis; potest tamen esse conditio sine qua non, & complemẽtum necessarium partis essentialis. Vti enim juxta adversarios negatio actualis affectus peccaminosi non est propriè pars Sacramenti, & tamen necessario requiritur ad ejus substantiam tanquam conditio, quam necessario connotat dolor, ut sufficiat ad valorem: ita etiam retractatio peccati per actum prosecutionis etsi non possit propriè esse pars, potest tamen esse conditio necessariò, & essentialiter requisita ad hoc ut dolor de solis confessis, qui alioqui esset insufficiens ad effectum Sacramenti; & consequenter etiam ad ejus valorem: ac proinde ea deficiente, in casu doloris specialis ad peccata inculpabiliter omissa nullo modo se extendentis, & nõ solum deest dispositio ad effectum sed pars essentialiter requisita ad substantiam, adeoque Sacramentum eo casu non est validum, & informe, ut volunt adversarii, sed nullum. Similiter propositum qua tale non est formaliter dolor nec pars doloris, est tamen necessariò ejus complementum in esse partis sufficientis.

Est tamen conditio sine qua non.

Idem dicendum de retractatione peccati obliti per actum pridem elicitum.

Eodem modo dicendum de retractatione peccati obliti per actum à multo tempore elicitum absque ordine ad confessionem, adeoq; in eam nullo modo influentem, & consequenter in potentem concurrere per modum partis; quod nempe posit concurrere per modum conditionis sine qua non. Item de dolore peccatorum ante Baptismum commissorum, nec per hunc remissorum defectu dispositionis

Defectus actuum fidei de Deo justificatore, & spei veniæ ad remissionem peccatorum, & consequenter ad hujus Sacramenti effectum necessario requisitorum, non solum reddit hoc Sacramentum informe, ut contendunt adversarii, sed nullum: quia isti actus non sunt pars hujus Sacramenti, sine illis tamen stare nequit hoc Sacramentum; eo quod sine illis haberi non possit supernaturalitas, & efficacia doloris ac propositi ad hujus Sacramenti substan-

tiam

tiam essentialiter requisita; ac proinde isti actus sunt connotatum necessario prærequisitum ad sufficientiam partis ejus materialis: undè dici possunt illius pars præsuppositivè, licet non formaliter.

728. Fatemur quidem hoc Sacramentum fore validum, & informe, casu quo a pœnitente committatur peccatum in extrinseco instanti terminativo absolutionis, quo Sacramentum deberet causare suum effectum: foret enim validum, quia ante istud instans posita essent omnia ad substantiam requisita: informe autem; quia per istud peccatum impediretur à suo effectu eo instanti producendo: verum præterquam quod sit valdè incertum utrum Sacramenta eo præcisè instanti causent effectum suum, iste casus est moraliter impossibilis, licet non metaphysicè, nostra autem conclusio est intelligenda moraliter.

Defectus actuum fidei, & spei non reddit hoc Sacramentũ informe, sed nullum.

729. Neque obstat, quod Baptismus, & alia Sacramenta, saltem imprimentia characterem, possint esse valida, & informia: nam inter illa, & Sacramentum Pœnitentiæ manifesta est disparitas; quod nempe alia Sacramenta non includant intrinsece ut partem sibi essentialem, dispositionem ex parte suscipientis requisitam ad eorum effectum ac proindè ea deficiente possint habere omnia sibi essentialia, adeoque esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum: at verò Sacramentum pœnitentiæ ut partem essentialem includat dispositionem ex parte suscipientis requisitam ad ejus effectum: unde fit ut non possit esse validum, quin simul sit efficax.

Cur potius alia Sacramenta possint esse valida, & informia.

Adde quod argumentum ab aliis Sacramentis ductum evidenter nimium probet, nempe posse haberi hoc Sacramentum cum actuali affectu ad aliquod mortale sicut potest haberi Baptismus quod nemo admiseritis. Docet quidem S. Th. in 4. dist. 17. qu. 3. a. 4. qu. 1. ubi docet contritionem esse de essentia hujus Sacramenti: unde sequitur non posse esse validum sine dispositione sufficienti ad suum effectum.

§. VI.

§. VI.

De Confeſſione Sacramentali,

Quid ſit cõfeſſio Sacramentalis.

730. Confeſſio Sacramentalis eſt legitima accuſatio pœnitentis de peccatis proprijs facta Sacerdoti, ad eorum abſolutionem virtute clavium obtinendam.

Fide certum eſt eam præceptam eſſe jure divino ut patet 1. ex Ioannis 20. quorum remiſeritis &c. 2. Ex pluribus Conciliis iiſque antiquiſſimis.

Iure divino præcepta eſt confeſſio omnium mortalium poſt Baptiſmum admiſſorum. Eſt de fide. Prob 1. ex ſcrip. Ioan. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis retenta ſunt*. Ex quibus verbis teſte Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. *univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutum eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis neceſſariam exiſtere*. Et merito ita intellexit: quia alioqui poteſtas peccata retinendi iſtis verbis conceſſa Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus non poſſet ad uſum redigi: nam ſecluſo iſto præcepto mortalium remiſſio non penderet à Sacerdotis abſolutione. Ita non poſſunt venialia retineri; quia eorum remiſſio obtineri poteſt independenter à Sacramentali abſolutione. Prob. 2. ex antiquiſſimis Conciliis apud Bellarm. lib. 3. de pœnitentia cap. 5. videlicet Carthag. 3. & Laodic. ante annos mille, & centum celebratis. Cabilon. 2 ante annos 800. in quo can 32. habetur: *ſed hoc emendatione indigere perſpeximus quod quidam, dum confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plene id faciunt*, & paulò poſt *ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut plena ſit confeſſio*. Item ex Later. Conſtant. Florent. Et denique Trident. ſeſſ. 14. cap 5. & can. 6. & 7.

3. Ex unanimi Patrum conſenſu ac nominatim

731. Prob. 3. ex communi PP. conſenſu quos per omnes Eccleſiæ ætates digeſtos reperies apud eund. Bellarmino lib. cit. cap 6. hæc ſunt verba Cypriani Serm. 5. de lapſis: *confiteantur ſinguli quæſo vos, delictum ſuum dum adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt dum admitti confeſſio poteſt: dum ſatisfactio, & remiſſio per Sacerdotem facta; Deo grata eſt*. Baſilius in regulis brevio-

brevioribus, reg 228. necessitatem confessionis his verbis asserit: *necessariò eis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*, hoc est, Sacerdotibus. Eandem necessitatem adstruit Ambr. lib. 2. de pœnit. cap 6. ubi sic habet: *si vis justificari fatere delictum tuum, solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum*; Chr. faciendam esse distinctam peccatorum confessionem tradit homil. 3 in Epist. ad Hebr. *ne nos*, inquit, *tantum dicamus peccatores? sed etiam peccata recenseamus speciatim unumquodque enumerantes*. Et hom. 33. in Ioan. ait, *in peccatis quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur: Deum dumtaxat, ut docet formidemus, qui nunc opera nostra videt: & tunc quos in præsentia non pœnitet, damnabit*. Et lib. 2. de Sacerdotio sic habet *sibi persuadeant curationi Sacerdotum sese submittere oportere*. Denique homil. 80. in Genes. agens de faciendis hebdomada sancta: *facienda est*, inquit, *diligens & pura confessio peccatorum*: Augustinus autem homil. 49. inter 50. ante med. expressè asserit non satis esse agere pœnitentiam in corde, sed illam agendam esse ut agitur in Ecclesia, videlicet per sacramentalem confectionem. Hæc sunt ejus verba: *agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia .... nemo sibi dicat: occultè ago novit Deus, quia in corde ago, ergo sine causa dictum est: quæ solventur in terra, erunt soluta in cælo? ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi &c.*

Cypr. Basil. Amb. Chrysost. & Aug.

Notãda nominatim sũt verba Augustini

732. Prob. 4. ex perpetuo Ecclesiæ usu non solum latinæ sed etiam græcæ, quæ ut declarat Bellar. lib. cit. cap. 5. confessionem ut jure divino necessariam semper usurpavit, cum hoc solo abusu, ut ostendit Arcudius lib. 4. ca. 2. quod ejus Presbyteri nunquam ferè confiteantur, nisi in articulo mortis, ne videlicet juxta canones officio, & sacerdotio priventur, si fortè inciderint in fornicationem. Ex hoc autem perpetuo Ecclesiæ usu efficacissimum ducitur argumentum pro confessione jure divino necessaria: nunquam enim consuetudo confessionis omnium peccatorum etiam occultorum, & maximè pudendorum adeò dif-

Ex perpetuo Ecclesiæ usu tam græcæ quam latinæ.

difficilis, & humanæ superbiæ ita repugnantis universaliter induci potuisset, nisi de ea Christi præceptum per ipsos Apostolos traditum accepisset Ecclesia.

Ex hoc usu ducitur validum argumentum.

Atque ex his patet mentiri Calvinum aliosque hæreticos dum asserunt confessionem auricularem non fuisse præceptam ante decretum. Innoc.3. in Concilio Lateranensi celebrato sub annum Christi 1214. Innocentius enim non induxit necessitatem confitendi, ut ex concilijs, & PP. supra citatis manifestum est: sed solum constituit ut præceptum confessionis, quod sine temporis determinatione lapsos in mortale obligabat, saltem semel in anno impleretur.

Nectarius non sustulit cōfessionem Sacramentalem secretā, sed tantum publicā; Idque occasione scandali inde orti.

733. Dices, Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus Chrysostomi immediatus prædecessor confessionem in Ecclesia sua abrogavit; ut testantur Socrates, & Zozomenus in Ecclesiastica sua Historia. Quod etiam fecerunt ejus exemplo alii Episcopi orientales ut refert Nicephorus lib 12. cap. 28. atqui nunquam id fecisset si fuisset jure divino præcepta: ergo, &c.

R. Nectarium non sustulisse confessionem sacramentalem secretam; sed tantum publicam prohibuisse: idque occasione gravis cujusdam scandali orti ex publica confessione cujusdā mulieris, quæ ulterius, quam par erat, in cōfitendo progressa palam se accusaverat occulti flagitii cū diacono in ipso tēplo admissi. Quod autem addit Zozomenus eundem Nectarium reliquisse uniuscujusque conscientiæ ut ad sacram communionem accederet, vel non accederet: nō debet sic intelligi, quasi permiserit ut peccatores nulla confessione præmissa communicarent; sed tantum vult eum sustulisse morem arcendi illos à communione, donec fecissent confessionem & pęnitentiam publicam sibi impositā à presbytero pęnitentiario, qui in singulis civitatibus ad id erat constitutus, ut audita secreto pęnitentium confessione discerneret quænam peccata ad aliorum ædificationem prius expianda essent confessione, & pęnitentia publica quā ad cōmunionem accederent.

734. Dum

734. Dum ergo Chryſoſtomus, homil. 5. de Pœnit. & Confeſ. Laudans factum Nectarii addit: *cogitatione fiat delictorum exquiſitio: abſque teſte ſit hoc judicium: ſolus Deus confitentem videat*, & homil. 2. in Pſal. 50. ait *non dico ut confitearis conſervo tuo ne exprobret: dicite Deo, qui curat ea*. Non excludit Sacerdotem Dei Vicarium: ſed ſolum improbat confeſſionem publicam; conformiter ad ea quæ habet in cap. 15. Lucæ concione 4. de Lazaro; *non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes &c.* quod ſi ſubindè etiam Sacerdotem Dei Vicarium excludat, ut hom. 31. in Epiſt. ad Heb. *delicta tua pronuncia non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria* & homil. 8. de pœnit. *intus in conſcientia tua adſtante nemine*: non loquitur de confeſſione Sacramentali ex divino præcepto ſuis temporibus facienda: ſed de confeſſione quotidiana coram ſolo Deo per examen conſcientiæ, & actum contritionis, ad quam ut valdè utilem fideles hortatur.

Chryſoſtomus ſolam quoque confeſſionem publicam improbat.

735. Hoc divino confeſſionis præcepto obligantur, omnes qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt, eſt de fide ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi expreſſè definit integram mortalium confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino eſſe neceſſariam.

Hoc divino confeſſionis præcepto obligantur omnes qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverũt.

Tenentur per ſe hoc præceptum implere ſaltem in articulo mortis; & præſenti illius periculo, v. gr. inſtante conflictu, navigatione periculoſa, difficili partu &c. eſt communis & certa. Et ratio evidens eſt, quia in articulo aut periculo mortis adhibenda ſunt media neceſſaria ad ſalutem; qualis eſt confeſſio ſacramentalis poſt lapſum in mortale.

Obligantur etiam per ſe extra mortis articulum, aut præſens illius periculum aliquoties in vita illud implere; ita ut peccaret contra divinum hoc confeſſionis præceptum, qui poſt lapſum in mortale ad plures annos confeſſionem differret: ita communius DD. quia per ſe tenetur peccator aliquando redire in gratiam cum Deo, ut diximus cum egimus de præcepto pœnitentiæ, ut virtus eſt, & fatentur adverſa-

Non tantum in mortis articulo, ſed etiam extra illum.

rii: ergo etiam per se tenetur adhibere medium ad hunc finem à Deo institutum.

Non tantum in mortis articulo, sed etiam extra illum.

736. Quandonam autem præcisè urgeat hoc præceptum, difficile est definire: ideò meritò Ecclesia præcepto suo determinavit, ut non differatur confessio ultra annum unum. Ita statutum est cap. omnis utriusque sexus de pœnit.& remiss. hæc sunt hujus præcepti verba; *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti*. Per annos discretionis intellige eam ætatem in qua est sufficiens usus rationis ad peccandum mortaliter. Per peccata intellige mortalia; nam venialia non sunt obnoxia confessioni. Vndè qui intra annum nullum mortale admisit, per se loquendo, isto anno non obligatur hoc præcepto; nam sicut præceptum divinum est tantum de confitendis mortalibus, iisque necdum clavibus subjectis: ita & Ecclesiasticum, cum sit tantum determinatio divini circa tempus quo debet impleri.

Fideles omnes tenentur singulis annis semel cõfiteri proprio Sacerdoti.

Dixi *per se loquendo*; quia praxis Ecclesiæ est, ut omnes confiteantur ad vitandum scandalum, quod ex confessionis omissione posset oriri. Vnde talis etiam deberet sistere se Sacerdoti, & confiteri venialia aut mortalia alias remissa.

Habens sola venialia teneretur etiã ad confessionem ad vitandum scandalum.

737. Præceptum hoc per se loquendo non respicit ullum determinatum anni tempus, v g. Pascha, aut Quadragesimam; sed impleri potest quovis anni tempore. Ita DD. communiter. Et probatur ex verbis præcepti, quæ præcisè exigunt ut confessio fiat semel in anno absque determinatione certi temporis. Cum tamen paulò post dum præcipitur annua communio, determinetur pro ea tempus Paschale, ex qua differentia satis patet communionem alligari ad certum tempus, non verò confessionem.

Dixi *per se loquendo*, quia habens mortalia tempore Paschali obligatur ad tunc confitendum ratione communionis tunc faciendæ: & meritò Pastores tunc à suis Parochianis exigunt testimonium confessionis; quia tempus Paschale aut Quadragesimale illi vicinum maximè aptum est ad implendum præ-

Et si præceptum confessionis non respiciat ullum tempus determinatũ meritò tamẽ

ceptum

ceptum confessionis annuæ. Idque conforme est Tridentino sess. 14. cap. 5. sic loquenti: *In universa Ecclesia observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesima: quem morem hac S. Synodus maximè probat & amplectitur tanquam pium & maximè retinendum.* exigitur confessio tempore Paschali.

738. Satisfit huic præcepto per confessionem factam regularibus privilegiatis: est communis & certa. Prob. 1. ex Bulla Leonis X. quæ incipit, *dum intra mentis arcana*, ubi expressè dicitur; quod talibus religiosis confitentes satisfaciant constitutioni *omnis utriusque sexus*, 2. ex Bulla Pauli III. quæ incipit, *licet debitum*, in qua idem privilegium datur Societati nostræ. 3. ex Bulla Clementis VIII. cujus initium est *significatum fuit nobis*, quæ fuit Edita anno 1592. ad finiendam controversiam Duaci excitatam à Pastoribus palam concionantibus non satisfieri dicto præcepto per confessionem factam apud dictos regulares.

Satisfit præcepto per cōfessionem factam regularibus privilegiatis.

739. Dices 1. cap. *omnis utriusque sexus* præcipitur ut quilibet fidelis semel in anno *confiteatur proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia*: atqui proprius Sacerdos est solus Parochus: ergo &c. R. proprium Sacerdotem non esse solum Parochum, sed etiam Episcopum Diœcesanum & summum Pontificem: regulares autem privilegiati audiunt confessiones de licentia summi Pontificis: Vndè non excluduntur dicto cap. *utriusque sexus omnis*. Itaque *lypr prio in isto capitulo* non opponitur communi sed alieno: alioqui enim non satisfacere qui confiteretur Episcopo suo aut summo Pontifici quod certò fallum est.

Proprius Sacerdos non tantum est parochus, sed etiam Episcopus & summus Pontifex.

740. Dices 2. Martinus V. in extravag. quæ incipit *ad uberes fructus*, ait: *volumus quod hi qui confitentur mendicantibus, confiteantur in Paschate semel in anno Sacerdotibus parochialibus*. R. 1. illam extravagantem nunquam fuisse usu receptam, ut testatur Vasquez, 2. illam fuisse quoad hoc abrogatam per sequentes Pontifices, ac nominatim per Leonem X. expressè contrarium afferentem citata Bulla, idque approbante Concilio Lateranensi, quod sub ipso habitum

Extravagantes Martini V. & Sixti IV. abrogatæ sunt per subsequentes Pontifices.

est. Idem dicendum de extravagante Sixti IV. quæ incipit, *vices de treuga & pace*, in qua præcipit ne mendicantes deinceps in concionibus doceant parochianos non obligari ad confitenda peccata sua in paschate Parocho suo.

Non satisfit præcepto per confessionem voluntariè invalidam.

741. Non satisfit huic præcepto per confessionem voluntariè invalidam, sive sit talis vel ex defectu sufficientis doloris, vel propositi emendationis, vel integritatis. Quia Ecclesia censenda est præcepisse confessionem validam, cum finis hujus præcepti sit reconciliatio peccatoris cum Deo, quæ non potest haberi per confessionem invalidam. Undè meritò damnata est ab Alexand. VII. hæc propositio, *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

742. Dices 1. cap. *omnis utriusque sexus* solum præcipitur confessio peccatorum nulla facta mentione doloris aut propositi emendationis: ergo qui confitetur omnia peccata sua, satisfacit isti præcepto. R. illic præcipi confessionem in ordine ad reconciliationem peccatoris cum Deo, quæ haberi non potest absque dolore sufficienti & proposito emendationis.

Actus interni possunt saltem indirectè ab Ecclesia præcipi.

743. Dices 2. contritio cordis, & voluntas emendandi se sunt actus interni: atqui Ecclesia non præcipit actus internos: ergo &c. R. 1. actus istos internos requisitos esse à Christo: Ecclesiam autem præcipere ut singulis annis fiat id quod Christus ad hoc Sacramentum requisivit, adeòque saltem implicitè actus illos præcipere. 2. posse Ecclesiam indirectè præcipere actus internos, quatenus scilicet necessarii sunt ad finem, quem intendit, obtinendum.

744. Dices 3. cap. *quod quidam*, de pœnit. & remis. dicitur admittendam esse confessionem eorum, qui dicuntur se à peccatis abstinere non posse. R. sensum non esse quod talis confessio sit admittenda tanquam sufficiens ad præcepti impletionem, sed quod tales sint audiendi ut possint eis suggeri media aliqua ad resipiscendum.

Dixi in conclusione *per confessionem voluntariè invalidam*;

lidam: quia ratio major dubitandi est, an saltem non satisfaciat per confessionem involuntariè, adeòque inculpabiliter invalidam; quia v.gr. pœnitens conatus quidem est habere dolorem sufficientem, sed illum non habuit. Vel quia Sacerdos ipsum invalidè absolvit, ob defectum intentionis, aut jurisdictionis. Videtur tamen hoc etiam casu dicendum non impleri præceptum, quia neque tunc habetur finis præcepti, videlicet reconciliatio cum Deo per Sacramentum Pœnitentiæ. Unde si ei innotesceret invaliditas confessionis, teneretur ad eam iterandam.

Nec satisfit præcepto per confessionem involuntariè nullam.

745. Petes an supposito quod detur Sacramentum validum simul & informe, satisfiat per illud præcepto? Resp. neg. dato quod non reviviscat, quia tunc non habetur finis propter quem receptio ejus præcipitur. Quod si reviviesceret, dicendum tunc præceptum completè implendum, quando poneretur id quod necessarium esset ad reviviscentiam.

Nec satisfieret per confessionem validam sed informem.

746. Secreta peccatorum confessio fuit in usu ab ipso Ecclesiæ exordio: & hæc sola fuit præcepta; licet etiam primis sæculis in usu fuerit confessio publica. Hæc conclusio manifestè traditur à Tridentino sess. 14. cap. 5. post med. his verbis. *Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplo, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum; nec satis consultè humana aliqua lege perciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum à sanctissimis & antiquissimis patribus magno unanimique consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse docere non verentur.*

Secreta peccatorum confessio fuit in usu ab ipso Ecclesiæ exordio.

Ipsa etiam ratio evincit solam confessionem secretam fuisse à Christo præceptam: quia onus publi-

Onus publicè confitendi peccata occulta fuisset intolerabile.

cè confitendi peccata occulta fuisset intolerabile, fuissetque obnoxium plurimis sacrilegiis, & complicium infamationibus absque necessitate.

Cõfessio publica est sufficiens ad Sacramentum.

747. Quamvis confessio publica sit jam abrogata; ut patet ex contraria Ecclesiæ praxi; ac proindè non possit licitè usurpari absque gravi causa & legitima facultate; nihilominus sic facta est sufficiens ad Sacramentum. Prob. 1. ex Trid. jam cit. docente non esse à Christo prohibitum publicè peccata confiteri. 2. quia ad valorem Sacramenti nihil aliud requiritur ex parte pœnitentis, quam ut peccata sua cum verò dolore & emendationis proposito manifestet Sacerdoti ut judici; quod tam fieri potest per publicam confessionem, quam per secretam.

Non est de essentia Sacramenti ut confessio fiat oris locutione.

748. Regulariter loquendo facienda est confessio oris loquutione; non est tamen de essentia Sacramenti, ut ita fiat; sed potest etiam validè fieri gestu aut nutu, aut scripto, si desit facultas loquendi, prima pars patet ex communi praxi Ecclesiæ, à qua recedere absque necessitate aut gravi causa illicitum est. Patet enim 2. pars ex praxi ejusdem Ecclesiæ absolventis mutos & moribundos per signa sola aut nutus confitentes. Id etiam ratio probat; quia per signa aut nutus aut scripturam potest haberi vera sui ipsius accusatio.

Explicatur Florentinum assignans ori confessionem pro materia hujus Sacramenti.

749. Dices Florentinum pro materia hujus Sacramenti assignat confessionem oris; ergo &c. R. Florentinum sic loqui, quia confessio regulariter loquendo, ut diximus, facienda est verbis ore expressis; vel certè confessionem oris sumit latiùs prout opponitur confessioni, quæ sit merè interna absque ullo signo exteriori.

Illicitum est confiteri absenti & ab absente absolvi.

750. Semper illicitum est confiteri absenti, & ab absente absolvi in sensu copulato, id est sic ut totum Sacramentum peragatur inter absentes. Ita veteres communius, & recentiores omnes post decretum Clementis VIII. contra Palud. Richar. Adrian. & alios apud Amicum

Prob. quia hoc saltem pro quovis casu prohibuit Clemens VIII. in decreto edito 20. Iunii 1620 quo

hanc

hanc propositionem, *licet per litteras seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, damnavit tanquam ad minus falsam, temerariam, scandalosam; ac prohibuit ne deinceps doceatur, neve unquam aliquo casu ut probabilis defendatur, imprimatur, aut in praxim quovis modo deducatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & meritò sic decrevit: tum quia præsens dispositio pœnitentis esset ignota confessario, dum illum absentem absolveret; ac proindè exponeret se periculo absolvendi indispositum: tum etiam quia absolutionis forma exigit præsentiam pœnitentis, ut infra declarabitur.

751. Non tantum illicitus est modus iste confitendi absenti, & simul ab absente absolutionem accipiendi; sed etiam invalidus. Ita DD communiter post dictum decretum. Prob.1. quia Clemens VIII. vetat ne opinio illa ullo casu tanquam probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur: censet igitur ejusmodi confessionem nullo modo esse validam: alioqui enim posset dari casus in quo etiam esset licita, urgente videlicet extrema necessitate: quo casu propter periculum animæ irreparabile, omnia justificationis media, etiam solum probabiliter valida, sunt licita. 2. quia iste modus confitendi nunquam fuit receptus in Ecclesia; cum nullum ejus in tota antiquitate extet vestigium.

Non tantum talis confessio, & absolutio illicita est sed etiam invalida.

752. Illicita etiam est, imò & invalida absolutio absenti data post confessionem in præsentia factam. Ita etiam communiter DD Quod sit saltem illicita. Prob.1. ex dicto Clementis decreto, quo, ut ipsemet dicitur declarasse, non solum prohibetur confessio & absolutio per litteras complexim, sic ut totum Sacramentum peragatur inter absentes sed etiam divisim: quoad utrumque membrum istius complexi, id est tam confessio facta absenti, ut recipiatur absolutio à præsente: quam absolutio data absenti post confessionem in præsentia factam, 2. quia absolutio sic data per se exponitur periculo nullitatis; cum facilè possit absens ex disposito fieri indispositus ob voluntatis mutabilitatem.

Illicita etiã est & invalida absolutio absenti data post confessionem in præsentia factam.

Pronomen te in forma absolutionis exigit præsentiam pœnitentis.

Quod etiam sit invalida: prob. 1. ex communi sensu & constanti usu Ecclesiæ: in qua nullo unquam casu permissum est dari absolutionem absenti? ex quo rectè colligitur talem absolutionem esse invalidam? alioqui enim deberet ejus usus permitti in casu necessitatis. 2. quia pronomen demonstrativum *te* contentum in forma absolutionis exigit præsentiam pœnitentis: sicut pronomen *hoc* in consecratione panis, exigit præsentiam panis. Confir. quia non est verisimile Christum ita hoc Sacramentum instituisse, ut absolutio posset validè dari absenti; cum sic data, ut dixi, per se exponatur periculo nullitatis, ob voluntatis in absente mutabilitatem.

Cur potius absens possit validè absolvi à censuris, quam à peccatis.

753. Nec refert quod ad validitatem judicii humani non requiratur præsentia judicandi; sed possit absens validè absolvi: & similiter absolutio à censuris data absenti sit valida. Disparitas enim est quod validitas absolutionis in judicio humano pendeat ab hominum institutione; qui ad hoc non requirunt præsentiam rei. Validitas autem absolutionis in judicio sacramentali pendeat à Christi institutione, quem præsentiam pœnitentis requisivisse probant argumenta supra facta. Idem dic de absolutione à censuris, quæ etiam est ex institutione humana.

Quod dicitur de S Thoma Cantuariensi, videlicet eum Romam misisse pro obtinenda absolutione, accipiendum est non de absolutione à peccatis, sed à censuris, quas timebat incurrisse ob aliquam cum Rege conniventiam circa violationem libertatis Ecclesiasticæ: ut patet ex rescripto Alexandri III. monentis eum, ut Sacerdoti discreto confiteatur, si fortè conscientia ejus in aliquo eum remordeat. Vide Baronium de hac re ad annum Christi 1164.

Non licet quoque confiteri absenti ut obtineatur absolutio à præsente.

754 Non licet quoque, secluso casu extremæ necessitatis, facere confessionem absenti, ut posteà vi istius confessionis à Sacerdote præsente absolutio obtineatur. Ita etiam DD. communiter. Prob. 1. ex cap *quem pœnitet*, dist 1. de pœnit. ubi ex lib. de vera & falsa pœnitentia, qui inter Augustini opera reperitur,

ritur,licet non sit ejus;dicitur, *præcepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, dicens corporali præsentia confitenda peccata; non per nuntium, non per scriptum manifestanda*. 2. ex præfato Clem. VIII. decreto quod non tantum complexim, sed etiam divisim intelligendum esse ipsemet declaravit; ut supra monuimus: ac proinde extenditur etiam ad casum hujus conclusionis.

755. Neque obstat cap. *qualis* 30. q. 5. ubi dicitur *pœnitentia adultera per scripturam recipienda*. Vel enim sensus est quod pœnitentia adulteræ sit recipienda juxta scripturam Ioan 8. ubi legitur, Christus eam non condemnasse. Quomodo capitulum hoc exponit Sylvius. Vel certè dicendum ibi agi de pœnitentia publica: de qua etiam cōstat loqui Cyprianum lib. 3. Epist. 13 dum significat se recepisse pœnitentiam aliquorum absentium per scripturam: quandoquidem ibi permittat, ut si urgente mortis periculo presbyter non habeatur, pœnitentes à diacono reconcilientur; à quo certum est non potuisse eos sacramentaliter reconciliari.

Quo sensu cap. qualis 30. q 5. dicatur pœnitentia adulteræ per scripturam recipienda.

756. Videtur tamen probabilius, per se loquendo, quod confessio facta absenti, ut à præsente postmodum absolutio obtineatur, sit valida. Ita post Adriā. Palud. Sylvest. & alios antiquos Tolet. Henr. Valent. Suar. Filiuc. Præp. Amic. Zerol Kellison. Villalob. Reginal. Ariag. & alii permulti qui post dictum Clem. VIII. decretum scripserunt contra Victor. Dom. Soto. Can. Nugn. Turr. Hurtad. Vasq. Choquet. Sylv. Gonet. & plerosque recentiores Thomistas.

Per se loquendo valida est confessio facta absenti, ut à præsente accipiatur absolutio.

Prob. 1. quia cōfessio absenti facta per litteras aut internuntium est vera sui accusatio; nec repugnat naturæ judicij in genere, ut manifestum est: nec ostendi potest repugnare institutioni Christi: ergo per se loquendo valida est talis confessio, & absolutio, 2. quia ex Conciliorum, & Pontificum decretis, & ex rituali Romano constat moribundum, qui absente Sacerdote per internuntium petit confessionem, posse deinde, imo, & debere ab eo præsente absolvi, ut paulo post probabimus: atqui isto casu, sup-

positо

pofito faltem quod internuntius non redeat cum Sacerdote,nec ullus fit adftantium, qui coram moribundo teftetur Sacerdoti ipfum confefsionem petiifse, aut dedifse figna pœnitentiæ, hæc ejus qualifcumque confefsio fimpliciter facta eft abfenti;ergo &c.

Idque colligitur ex validitate abfolutionis datæ moribundo non confeffo in præfentia.

757. Dixi *per fe loquendo*, hoc eft fpectata precisè inftitutione Chrifti; quia per accidens ratione præcepti Ecclefiaftici prohibentis hujufmodi confefsionem, & abfolutionem extra mortis articulum, effet etiam talis confefsio, & abfolutio invalida fi pœnitens fciret id efse prohibitum: quia tunc careret debita difpofitione ad valorem Sacramenti requifita; nam fic confitendo peccaret actualiter.

Ex decreto Clementis etiam divifim intellecto tantũ fequitur talem abfolutionem effe illicitam.

758. Neque obftat huic conclufioni decretum Clementis fupra citatum etiam divifim intellectum: quia ex eo fic intellecto tantum fequitur id non licere, non autem talem abfolutionem, per fe loquendo efse invalidam.

Neque plus fequitur ex cap. quem pœnitet.

Capitulum, *quem pœnitet*, quod hic varii opponunt, non facit contra nos: ex ifto enim Canone tantum habetur quod illicitum fit, feclufa neceffitate, confiteri per litteras aut internuncium, quod etiam nos afferimus. Non autem quod per fe invalidum fit Sacramentum Pœnitentiæ, fi fic confeffo poftea detur abfolutio in præfentia.

Forma abfolutionis exigit præfentiam abfolvendi nõ item Cõfeffio præfentiam confitendi.

759. Ex eo autem quod abfolutio data abfenti poft confeffionem in præfentia factam fit per fe invalida, non fequitur quod pariter per fe invalida fit abfolutio data in præfentia, fi confeffio facta fuerit abfenti per litteras aut internuncium: difparitas enim eft quod forma abfolutionis ex Chrifti inftitutione requirat præfentia abfolvendi ut fupra probatum eft n. 750. nihil autem fit in confeffione pœnitentis, quod hanc præfentiam exigat. Vnde nequidem in articulo mortis poteft Sacerdos abfentem abfolvere; cum tamen tunc in abfentia confeffus poffit præfens abfolvi.

Defectus fufficientis notitiæ de præfenti fta-

760. Ad id autem quod objiciunt Sacerdotem per confeffionem in abfentia factam non habere fufficientem notitiam de præfenti ftatu pœnitentis, dum

dum ei dãda est absolutio; eo quod potuerit interea dolorem retractasse, aut novum peccatum commisisse. R. indè tantum sequi talem illicitè absolvendum extra mortis articulum: non autem invalidè, supposito quod nec dolorem retractaverit, nec novum peccatũ comiserit; & invincibiliter ignoraverit illicitum esse absenti confiteri. Deindè adventus ejus ad absolutionem obtinendam esset signum valde probabile quod nec dolorem retractasset nec novum peccatum admisisset; cùm non esset præsumendus petere absolutionem post dolorem retractatum, aut novum peccatum admissum. Non tamen posset propterea licitè absolvi extra mortis articulum propter Clementis prohibitionem, & contrarium usum Ecclesiæ.

eu pœnitentis redit absolutionẽ illicitam non invalidam.

761. Potest moribundus sensibus destitutus à Sacerdote præsente absolvi, modo per testes constet eum ante Sacerdotis adventum dedisse signa pœnitentiæ. Ita S Tho. Opusc. 65. S. Antonin. Sylvest. Palud. Medin. Angel. Tolet. Henriq. Valent. Suar. Vasq. & authores Societatis communiter. Item Bonac. Basilius Pontius, Cordub. Chapeauville, Pallavic. Diana, & plures alii apud ipsum, & apud Lug. contra Domin. Sot. Canum, Aluar Chequet, & alios plerosq; Thomistas recentiores contrarium sentientes: tum quia putant ad valorem Sacramenti non sufficere generalia signa pœnitentiæ. Tum etiam quia censent id esse contra prædictum Clementis decretum prohibentis fieri confessionem absenti.

Ad adsolvẽdum moribundum sufficit testificatio quod dederit signa pœnitentiæ.

Prob. 1 Ex CC. Arausi. 1. can. 11. ubi dicitur: *subitò obmutescens pro ut statutum est baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu* Carthag. IV. cap. 67. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit si casu, dum ad eum Sacerdos venit oppressus infirmitate obmutuerit; vel in phrenesim versus sit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Similia habet Carthag. III. can. 34.

Id apertè significat Cõcilio Arausic. & Carthaginense.

Idem docet S. Leo distinctè exponens casū cōclusionis.

2. Ex S. Leone Epist. 91. c.5. ubi postquam ostendit temeritatem, & periculum dilationis pœnitentiæ usque ad extremum vitæ: *quo*, inquit, *vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis statim subdit: verum etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ nec communionis gratia denegetur, si ea, etiam amisso vocis officio per judicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati ut quod paulò ante poscebant sub præsentia Sacerdotis significare non valeant testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt ut simul, & pœnitentis, & reconciliationis beneficium consequantur.*

S. Leo nō loquitur de reconciliatione cæremoniali sed de sacramētali.

762. Quod autem respondent adversarii agi istic, nō de reconciliatione sacramentali, sed de quadam ceremoniali, qua publicè pœnitentes post datam satisfactionem admittebantur ad communionem; manifestè refellitur 1. Quia quod S. Leo ibi agat de Sacramento Pœnitentiæ, patet tum ex ipso contextu; tum ex eo, quod prærequirat confessionem. Item ex eo quod præcedentibus capitibus certo loquatur de pœnitentia sacramentalis; ut communiter intelligunt DD. cum S Th. q. 84. a.3. ad 2. postque colligi ex ejus verbis, nominatim cum cap. 2. dicit: *Multiplex misericordia ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ*: ac paulò post addit: *Quod indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri*. Ex quibus colligitur etiam c.5. citato agere de absolutione sacramentali, alioqui enim si prioribus capitibus de hac loqueretur, in 5. autem de ceremoniali (ut volunt quidam ex adversariis) Theodoro Foro-juliensi Episcopo à quo consulebatur, non dedisset responsionem doctrinalem, sed occasionem errandi, in eodem contextu æquivocando in nomine reconciliationis, & pœnitentiæ, absque ulla ejus explicatione.

Id manifeste colligitur ex ipso contextu.

De eadē loquuntur Cōcilia citata

2. Quia CC. citata, uti & ipse Leo pœnitentiam, de qua loquuntur, æquiparant Sacramento Baptismi quoad efficaciam, & necessitatem; quod non

non convenit ceremoniali. 3. Quia eodem prorsus modo loquuntur de actione pęnitentię in nostro casu danda, ac dum pęnitens per se Sacerdoti præsenti confitetur: & quo etiam loquuntur Iulius, & Cælestinus sup. citati nu. 665. dicentes occidi animam à Sacerdotibus moribundo pœnitentiam negantibus: quæ à Catholicis omnibus intelliguntur de pœnitentia sacramentali: & meritò, tum quia illa sola est absolutè necessaria peccatori tantum attrito; tum quia alias non haberemus, unde ex PP. possemus probare necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ.

cum illam comparant Baptismi quoad efficacia & necessitas.

763. Nec plus valet responsio, quam alii adhibent, videlicet, agi de illis qui peccata sua ante confessi, publicam pœnitentiam agere incœperant priusquam absolverentur. Contra enim est quod S. Leo c.4. & CC. citata expresse significent, se de illis agere, qui pœnitentiam non petunt ante articulum necessitatis.

Refutatur alia adversariorũ responsio.

764. Confir 1. conclusio efficacissimè ex Rituali Rom. edito authoritate Pauli V. de Sacrament Pœnit. §. penult. ubi dicitur: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox vel loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur quoad ejus fieri potuerit, peccata pœnitentis cognoscere: quibus utrumque, vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium, sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Quibus verbis non tantum permittitur, sed etiam præcipitur Parochis ut in casu nostræ conclusionis, moribundum absolvant.

Confir. conclusio ex rituali Romano iussu Pauli V. edito.

Quod verò hoc Rituale non solum habeat (ut vult Choquet) approbationem Pontificis sicut cæteri libri de ejus licentia editi, sed quod etiam authoritas S. Sedis in ejus editione ac publicatione specialiter intervenerit, patet ex Pauli V. Bulla ipsi Rituali præfixa in qua Pontifex dicit. 1. se Ecclesiæ illos ritus proponere pro sui officii debito. 2. se Rituale edere sicut Pius V. Clemens VIII. Breviarum, Missale, & Pontificale ediderant: quæ constat non solum de licentia, sed authoritate Pontificia esse edita. 3. debuisse sacros Ecclesiæ ritus à Parochis servãdos Apostolicæ

Ex Bulla rituali præfixa ostenditur editum esse authoritate pontificia ut in praxim deducatur.

licæ Sedis Authoritate prodire 4. rem hanc proprio & maturo consilio ac studio præstātissimorum Cardinalium,& aliorum DD. factam esse 5. se in eo conspexisse receptos,& approbatos Ecclesiæ ritus.

Confirmatur etiam conclusio authoritate S. Thomæ.

765. Conf. 2. Authoritate S. Thomæ Opuscu. c.65.§. de *Extrema unctione*, ubi sic loquitur, *Si autem infirmus qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum: quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi*. Quamvis autem nonnulli dubitant istud Opusc. sit S. Thomæ reperitur tamen inter ejus Opusc. eique à Trithemio tribuitur lib. de script. Eccles.

Quod vero respondet Aluares S.Th. ibi solum loqui de absolutione deprecatoria per orationem *Misereatur tui*, merito exploditur à Lugo, & aliis; cum sit evidens verbis citatis agi de Sacramento Pœnitentiæ, sicut de Sacramento Baptismi.

Petitio confessionis facta à moribūdo est aliqua imperfecta; & inchoata confessio sufficiens in isto articulo:

766 Quamvis vero tali casu ab infirmo non fiat confessio perfecta,& stricta de peccatis in particulari; fit tamen inchoata,& latè accepta de peccatis in cōfuso, quatenus infirmus in actu exercito declarat se esse peccatorem; idque Sacerdoti ipsi, quantum in se est per adstantes,& interpretes,& in ordine ad absolutionem manifestat: talibus enim circumstantiis petere confessionem, est virtualiter rogare adstantes. ut tanquam voluntatis suæ,& pœnitentiæ interpretes, Sacerdoti id significent, & ab eodem pro se, si fortè per seipsum non possit, absolutionem petant.

Petere confessionem est fateri se peccasse.

Nec obstat quod dare signum voluntatis communicandi, non sit communicare: disparitas enim est, quod significare voluntatem communicādi nullo modo sit in actu exercito sumere Eucharistiam. At vero significare voluntatem confitendi, est in actu exercito fateri se peccatorem: qui enim dicit cupio confiteri, utique subaudit peccata commissa, adeoque hoc ipso fatetur se peccata habere: quod est confiteri saltem generaliter, & confusè.

767. Tridentinum sess. 14. cap. 5. requirens distinctam pecccatorum confessionem secundum speciem,& numerum, intelligendum est de eo quod re-

quiritur

quiritur extra casum necessitatis. Actus quidem judicialis, qualis est absolutio sacramentalis, exigit quantum fieri potest, distinctam causæ cognitionem: in casu tamen necessitatis, ne anima pereat, sufficit imperfecta, & confusa, cum onere tamen distinct. postea confitendi, si detur facultas.

Explicatur Tridentinũ.

Per hujusmodi imperfectam, & confusam confessionem non solum, ut opponunt adversarij, scit confessarius hominem esse peccatorem, sicut ante sciebat; sed scit ipsum peccasse idque cognoscit notitia judiciaria, & sacramentali, id est orta pœnitentis accusatione ordinata ad absolutionem, quam ante non habebat. Vnde tunc habet cognitionem materiæ proximæ sacramenti, nempè accusationis dolorosæ factæ a pœnitente eo modo qua hinc, & nunc fieri potest.

Per confessionem illã confusam nõ tantũ scitur quod sit peccator sed quod peccaverit.

768. Cum Euseb. Papa nulla facta mentione absolutionis, solum dicit eo casu debere Sacerdotem *orare super ægrum, oleo sancto ungere, & infundere Eucharistiam*; nomine orationis comprehendit absolutionem sacramentalem, quam Leo. sup. cit. aliique PP. sæpè vocant *supplicationem, orationem*, &c.

Eusebius Papa nomine orationis super ægrum comprehendit absolutionem.

769. Neque contra absolutionem moribundi, qui tantum absente Sacerdote doloris signa dedit, objici potest decretum Clem. VIII. sæpius citatum vetantis confessionem fieri absenti: isto enim decreto non comprehenditur casus moribundi, ut sufficienter declaratum est tum à Paulo V in suo Rituali supra cit. tum ab ipso Clem. VIII. dum interrogatus de casu moribundi respondit se non intendisse hunc casum suo decreto comprehendere: & se ejusmodi moribundum absoluturum, si adesset: quod anno 1608. 16. Aprilis P. Florentino Societatis Provinciali in Belgio, & P. Lessio tum Romæ agentibus testati sunt se ex ipsius Clementis ore audivisse Card. Bellarminus, & Petrus Lombardus Archiepisc. Armacanus Hiberniæ Primas, qui hujusce rei testimonium propria manu subscriptum tradidit primum P. Florentino, & postmodum quibusdam Doctoribus Lavaniensibus, pro quo V. Conin. & Lug. qui docet Clem. solum damnasse ac pro quovis casu prohibuisse cõfessionem

Casus moribundi non comprehenditur decreto Clementis VIII. vetantis confessionẽ fieri absenti.

fessionem

Ipsemet Clemens id declaravit habeturq; hujus declarationis authenticũ testimonium.

fessionem in absentia perfectam, & strictè sumptam de peccatis distinctè, & in particulari, qua præcepto Christi ita satisfiat, ut nulla remaneat obligatio sua peccata (quamvis postea detur commoditas) iterum distinctè clavibus subjiciendi: non verò damnasse confessionẽ latè, qua quis manifestando desiderium confessionis in actu exercito fatetur se esse peccatorem, idque ordine ad absolutionem; cum constat per decretum Clementis licere ægro in absentia Sacerdotis manifestare desiderium confessionis, & testibus Sacerdoti absenti illud referre.

Tenetur Sacerdos dare absolutionẽ moribundo in casu conclusionis.

Licet sit in contraria sẽtentia.

770. Hoc autem casu non solum potest Sacerdos sed etiam tenetur moribundum absolvere; idq; quamvis ipse sit in opposita sententia. Ita Vasq. Con. Sylv. Lugo. La Cruz. Mercer. Marchant. Ioan. Sanch. Bassæ. Magal. Tambur. & alii supra cit. Prob. quia non potest negari, quin eo casu absolutio sit probabiliter valida; cum eam validissimis Cõciliorum, & Pontificum autoritatibus propugnent plusquam 50. authores apud Dian. Lugo. & alios: & fieri possit, ut moribundus habeat mortalia cum sola attritione; ac proinde sit in extrema necessitate spirituali, in qua quilibet tenetur succurrere proximo eo meliori modo, quo potest, etiam cum materia dubia Sacramentum conferendo, si certa haberi non possit.

An sit necessarium ut testes audiantur in præsentia moribundi.

771. Petes an sit necessarium ut testes pœnitentiæ audiantur à Sacerdote in presentia moribundi? ratio dubitandi est quod, id videantur exigere testimonia supra allata ex Cõcilio Carthag. & S. Leone. Videaturque id necessarium, ut moribundus aliquo modo per testes Sacerdoti præsenti confiteatur.

R. quamvis in praxi ad majorem securitatem, quantum fieri potest, curandum sit Sacerdoti ut in præsentia moribundi habeat testimonium aliquod à circumstantibus de ejus pœnitentia. Tamen absolutè loquendo non est id necessarium; sed sufficit quod habeat aliquod testimonium fide dignum de moribundi pœnitentia; sive testimonium hoc detur in ejus præsentia, sive non. Vndè editũ supra citatum simpliciter dicit absolvendum, *qui desiderium confiten-*

fitendi sive per se, sive per alios ostenderit. Similiter Concilium Arauf. supra n. 759. tantum requirit testimonium pœnitentiæ, abstrahendo an datum sit in præsentia aut absentia ægri. Concilium autem Carthag. & S Leo supponunt Sacerdotem, antequam ad moribundum pervenisset, non fuisse certificatum de signis pœnitentiæ ab eo datis; adeòque meritò exigunt, ut petatur testimonium à circumstantibus, quod semper, ut dixi, ad majorem securitatem faciendum est, quando adsunt præsentes qui id possunt testari.

Absolutè loquendo sufficit testimonium etiam in absentia datum.

Non licet tamen, etiam sub conditione, dare absolutionem moribundo, qui nulla prorsùs dedit pœnitentiæ signa, quamvis constet quod catholicè vixerit, & non fuerit usu rationis privatus, dum ...aretur in actuali delicto gravi, aut statim post. Ita Suar. Vasq. Henriq. Tur. Conin. Præpos. Sylv. Malder. VVigg. Kellison. Layman. Lug. & alii communissimè, quorum plerique oppositum censent improbabile; quod tamen tenentur Molfes. Homobon Anton. de Litteratis, Alexander Ludovis. Archiepisc. Bononiens. postea summus Pontifex Greg. XV. in memoriali confessariorum edito Bononiæ c. 1. de forma Sacramenti Pœnitentiæ n. 16. ubi præcipit in suo Episcopatu id practicari Barthol. à S. Fausto. Iacob. Bayus, Marchant. Ha Bauny: Pellizar. Raynaud. de martyrio per pestem, Tamburin. in methodo expeditæ confess. l. 2. cap. 19. §. 1. n. 11. ubi dicit confessarium eo casu teneri absolvere. Idem in Belgio publicis thesibus defenderunt varii Scotistæ hoc fundamento, quod sit probabile hoc Sacramentum in sola absolutione consistere. Contra quos.

Nō licet dare absolutionē moribundo qui nulla signa dedit pœnitentiæ.

Oppositum tamen tenēt non pauci, nec ignobiles TT.

Prob. conclu. quia eo casu nulla fit confessio sacramentalis; cum vita Christianè ante acta; licèt sit signum habitualis voluntatis suscipiendi Sacramenta sufficientis ad Extremam unctionem, non sit tamen moribundo hic & nunc actualis sui accusatio ad absolutionem ordinata; qualis essentialiter requiritur ad hoc Sacramentum intrinsecè constans con-

Prob. conclusio ex eo quod confessio sit essentialis Sacramento Pœnitentiæ.

fessione & aliis actibus pœnitentis tanquam parte materiali, ut Florentinum & Tridentinum asserunt.

Confir. 1. ex decretis CC. & Pontif. supra citatis, quæ dum statuunt dandam esse absolutionem moribundo, semper expressè addunt, *si per se vel alios signa pœnitentia dederit*, quod non fecissent, si absolutio absque datis pœnitentiæ signis habita fuisset probabiliter valida. 2. Ex Rituali Pauli V. in quo habetur: *videat diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, qui nulla dant signa doloris*.

Concilia & rituale Romanum requirũt signa pœnitentiæ, cur potius possit dari extrema unctio, quam absolutio.

Dices 1. vita Christianè acta sufficit ad dandam moribundo extremam unctionem: ergo etiam ad dandam absolutionem. R. neg. conf. disparitas est quod possit haberi tota materia & forma Sacramenti Extremæ unctionis, absque eo quod moribundos det externum aliquod signum pœnitentiæ. Non possit autem absque eo haberi tota materia Sacramenti pœnitentiæ; cum hæc partialiter consistat in confessione pœnitentis; quæ non potest haberi absque ullo pœnitentiæ signo.

Dices 2. Augustinus lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 26. sic loquitur: *Cathecumenis ergo in hujus vita ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quorum in fide Christiana jam nota voluntas est*. Et infra: *non solum incredibile est, nec in fine vita hujus baptizari Catechumenum velle, verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit, sic non apparat, ut tamen credibilius sit eum si posset, velle se dicturum*. Et c. 28. *Ego non solum alios Catechumenos, verumetiam ipsos, qui viventium conjugiis copulari rerinet adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto*. Et infra: *Qua autem Baptismatis eadem reconciliationis est causa si fortè pœnitentem finienda vita periculum praoccupaverit. Nec*

Adfertur difficilis Augustini locus circa cõparationem Baptismi cũ reconciliatione in articulo mortis.

ipsos

ipsos enim ex hac vita sine arrha sua pacis exire velle debet Mater Ecclesia. Ergo sicut censet Augustinus baptizandum in articulo mortis quem credibilius est tunc periturum fuisse Baptismum, si posset loqui: in quo tantum involvitur voluntas interpretativa Baptismi: ita putat absolvendum, quem credibilius est fuisse petiturum absolutionem, si posset loqui: ac proindè sufficere voluntatem interpretativam: cum dicat: *qua autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa si forte &c.*

R. comparationem reconciliationis cum Baptismo ab Augustino allatam in eo consistere, quod sicut Baptismus conferendos est Cathecumeno qui morbo aut casu subito oppressus non potest tunc voce testari voluntatem suscipiendi Baptismum; quia nempè præsumitur desiderium Baptismi in eo perseverasse saltem habitualiter. Ita reconciliatio cum Ecclesia concedenda sit publico pœnitenti, dum similiter inopinato morbo aut casu opprimitur, quia nempè præsumitur etiam in eo perseverasse desiderium reconciliationis. Non igitur illic agit Augustinus de reconciliatione sacramentali, qua peccata dimittuntur, sed de quadam cæremoniali; qua magni peccatores & excommunicati peracta publica pœnitentia Ecclesiæ communioni restituebantur. Ipsum agere de hac reconciliatione satis indicat nomen *pœnitentis* pœnitentes enim olim specialiter vocabantur qui publicam pœnitentiam agebant eandem, reconciliationem significant postrema illa verba, *nec ipsos enim ex hac vita sine arrha sua pacis exire velle debet Mater Ecclesia*. Nihil ergo ex hoc Augustini loco inferri potest pro sacramentali absolutione tali moribundo exhibenda; quandoquidem de illa non agat.

Nō agit isto loco de reconciliatione sacramentali.

Ad valorem & effectum hujus Sacramenti necessaria est confessio formaliter integra.

Non caret tamen difficultate, quod dicto cap. 28. addidit videlicet baptizandum etiam Catechumenum sic oppressum licet adulterina conjugia hucusque retinuisset; quia talis non videtur dispositus ad effectum Baptismi percipiendum: benignè igitur exponendus est, & dicendum eum tantum velle talem Catechumenum esse baptizandum, quando ratio-

nabiliter præsumi potest ex quibusdam externis signis, quod de conjugiis illis adulterinis aliisque peccatis verè doleat, licet dolorem suum non possit verbis exprimere. Hoc tantum velle Augustinum colligitur ex istis verbis: *tamen si desperati* videlicet ad valetudinem recuperandam, *& intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint baptizandos puto*. Et hoc etiam casu posset adulter baptizatus absolvi sacramentaliter.

Benignè exponitur quod habet de Catechumeno baptizando vivente in adulterio usque ad mortem.

Quod si quis contendat Augustini comparationem intelligendam esse de reconciliatione sacramentali: tunc dicendum est ipsum non excludere signa aliqua externa quibus Catechumenus sic oppressus testetur aliquo modo desiderium Baptismi; sed tantum verba quibus illud exprimat. Iam autem externa aliqua signa desiderii obtinendæ absolutionis, etiam sufficiunt in tali casu ad dandam absolutionem.

Non sufficit quod moribundus det signa pœnitentiæ nisi illa innotescant.

Dices 3. qui subitò morbo opprimuntur non solent ita statim sensibus destitui, ut non possint interius de peccatis dolere, & externum aliquod signum istius doloris edidisse; licet id non fuerit animadversum. R. 1. sæpè etiam aliter contingere. 2. id non sufficere ad dandam absolutionem; quia debet iste dolor aliquo modo Sacerdoti innotescere.

Dices 4. talis tantum absolveretur sub conditione, ut supponitur, ergo nulla fieret injuria Sacramento; quia conditione non subsistente non fieret Sacramentum. R. injuriam in eo consistere quod forma absolutionis pronuntiaretur, absque probabili judicio quod valitura esset, adeòque frustra. Ita licèt non fiat Sacramentum quando super indispositio pronuntiatur forma, illicita tamen est ejus pronuntiatio, si indispositio sit nota. Quod autem aliqui dicunt Clementem VIII. dedisse absolutionem sub conditione cuidam operario è fabrica S. Petri decidenti. Lugo re benè examinata, dicit esse fabulosum. Cæterum qui judicaret oppositam sententiam esse probabilem, non tantum posset, sed etiam deberet talem sub conditione absolvere.

An saltem possit dari absolutio sub conditione.

772. Pœnitens, per se loquendo, tenetur confi-

feri omnia mortalia quoad speciem & numerum, quæ post diligens examen memoriæ ejus occurrunt, nec adhuc clavibus subjecta fuerunt, seu in prioribus confessionibus declarata. Est de fide ex Conc. Later. cap. *omnis utriusque sexus*. Et Florent. in decreto de Sacram. Ac Trident. sess. 14. can. 7. Et patet ex ipsa natura hujus Sacramenti, quod institutum est per modum judicii, in quo ad sententiam debitè ferendam, necessaria est cognitio totius causæ.

Mortalia omnia quoad speciem & numerum declaranda sunt in confessione.

Dixi *per se loquendo*: quia variis ex causis fieri potest, ut non declarentur omnia peccata, & tamen confessio sit valida, ut 1. si pœnitens inchoata confessione subito destituatur sensibus, vel si morbo aut vulnere ita urgeatur, ut periculum sit ne ante absolutam confessionem expiret. 2. si instante naufragio vel conflictu non sufficiat tempus ad integrè confitendum. 3. si Sacerdos audiens peste infectos meritò timeat ne longiori mora cum aliorum damno pestem contrahat. Si tamen paratus sit diutiùs hærere tenentur quantum fieri potest, integrè confiteri. 4. si pœnitens ita imperfectè calleat linguam confessarii, ut non possit tali lingua omnia sua peccata exprimere, nec habeatur alius cujus idioma noverit, adsitque necessitas, aut justa causa hic & nunc confitendi plures alios casus reperies apud varios Casistas. Nullo tamen modo audiendi sunt, qui docent in magno populi concursu posse confessarium absolvere pœnitentes non integrè confessos ut possit omnes audire. Multumque cavendum est ne nimia tunc festinatione absolutiones temere præcipitentur. An autem possit omitti species peccati quando non potest exprimi, nisi complex innotescat confessario, dicemus infra.

Variis tamē casibus fieri potest ut non declarentur omnia.

Vnde non est necesse ut confessio sit semper materialiter integra.

773. Non est igitur necesse ut confessio, sit semper materialiter integra; hoc est talis ut in ea omnia prorsus mortalia quoad speciem & numerum nullo prorsus omisso declarentur. Imo non raro illud moraliter impossibile est ob memoriæ defectum, aut aliquam aliam causam ex supra allatis. Sed sufficit si sit formaliter integra, id est talis ut in ea omnia mor-

talia declarentur, quæ post diligens examen memoriæ occurunt, aut saltem ea omnia, quæ hic & nunc possunt moraliter declarari. Hoc tamen diligenter observandum est, eum, qui peccatis aliquot ex iusta causa aut ex memoriæ defectu omissis absolutionem consecutus est, teneri postea omissa peccata confiteri, cessante causa propter quam omissa sunt.

Exprimēdus est in confessione externus actus.

774. Petes 1. an in confessione exprimendus sit actus externus? ratio dubitandi est, quod nullam novam malitiam superaddat interno, ut communiter docetur in 1.2. R. nihilominus affir. Est communis & certa, quia licet actus externus non addit interno novam malitiam, facit tamen moraliter unum cum illo, estque verè peccatum, & id quod etiam directè per legem prohibetur. Adde externum sæpè censuris & variis obligationibus esse obnoxium; quibus non subjacet internus; ideòque inde etiam oriri obligationem eum declarandi.

Aperiendus etiam est effectus malus qui ex aliquo externo actu malo secutus est.

775. Petes 2. an etiam aperiendus sit effectus qui ex aliquo actu externo secutus est, v.g. an sufficiat dicere læsi aliquem graviter, propinavi venenum &c. omisso quod mors ex tali vulnere aut veneno subsecuta sit? ratio dubitandi est, quod mors posteà inde adveniens, non sit amplius illi libera. R. esse saltem aperiendum, si eodem tempore, vel incontinenti subsequitur; quia tunc facit unum moraliter cum actu ex quo oritur, & sufficienter libertatem ejus participat. Si autem tantum ex actu sequatur aliquamdiù post ejus positionem; nec sit amplius liberum illum impedire, variant authores: Non esse talem effectum necessariò exprimendum affirmant Vasq. Gran. Salas, Lugo & alii ab eis citati, præsertim si mala voluntas fuerit per pœnitentiam retractata, antequam effectus fuerit subsecutus. Ratio illorum est quod talis effectus non sit amplius liber; nec ullo modo volitus, cum accidit; adeòque non videatur tunc imputabilis ad culpam.

Effectus talis sufficienter participat

Oppositum tamen communius sentiunt DD. videturque probabilius & in praxi servandum: quia cùm talis effectus sequatur ex causa liberè posita; suffi-

sufficienter ejus libertatem participat, ut imputetur ad culpam ei, qui causam posuit. Nec refert quod non sit amplius in ejus potestate, dum accidit; quia satis est, quod liberè causam ejus posuerit. Adde declarationem talis effectus sæpè necessariam esse ad cognoscendum; an contracta sit aliqua censura, aut irregularitas, aut obligatio restituendi &c.

libertatem actus ex quo oritur.

776 Petes 3. quid faciendum sit pœnitenti; si post diligens examen non possit determinare, quoties præcisè peccaverit? R. debere illum peccatorum suorum numerum exprimere cum aliqua latitudine proximè accedente ad rei veritatem: dicendo v.g. commisi tale peccatum vigesies, plus, minus. Quod si ne sic quidem possit eum exprimere propter I psuum multitudinem, & nimis diuturnam confessionis dilationem, debet confessarius ex eo quærere, à quo tempore habuerit talem peccandi consuetudinem? quoties circiter per diem aut hebdomadam solitus fuerit tale peccatum committere ut sic, quantum fieri potest, deveniat in notitiam multitudinis peccatorum.

Quid faciendum quando numerus peccatorum non potest præcisè determinari.

777. Petes 4. quid dicendum sit de actu realiter quidem unico, moraliter autem & virtualiter secundum malitiam multiplici per ordinem ad diversas personas, in quas simul tendit, ut si quis v.gr uno actu plures oderit: una narratione de pluribus detraxerit: uno ictu plures occiderit &c. R. exprimendum esse numerum personarum respectu quarum malitia actus est virtualiter multiplex[1]. Vnde in exemplis allatis qui id fecit declarare debet, quot homines oderit, infamaverit, occiderit &c. Ratio est quod sine ista declaratione non sufficienter innotescat actus malitia ad ferendum de ea judicium.

Exprimēdus est numerus personarum respectu quarum malitia actus est virtualiter multiplex.

778. Petes 5. an qui aliquamdiu v.g. per mensem aut annum unum habitualiter perseveravit in aliqua voluntate mala v.g occidendi, fornicandi &c. R. exprimendum, quantum fieri potest, numerum actuum malorum intra illud tempus iteratorum, ac proindè interrogandum talem an quotidie iteraret, malam illam voluntatem & quæreret modum illam

Item numerus actuum voluntatis malæ habitualiter perseverantis.

exequendi; an tantum aliquoties, aut rarò intra mensem illum, aut annum id fecerit &c.

An complex criminis possit declarari, quando id necessarium est ad explicandam speciem peccati.

779. Petes 6. an complex criminis possit ac debeat manifestari, quando id necessarium est ad explicandam speciem peccati v.g. incestus cum matre aut sorore? ratio dubitandi est? quod ex una parte non possit id fieri absque infamatione proximi: infamatio autem sit jure naturæ prohibita. Ex altera autem integritas confessionis exigat, ut species peccati admissi declaretur.

Declarandus est quando ignotus est confessario.

R.1. si pœnitens absque gravi incommodo possit adire confessarium cui complex sit ignotus, non potest confiteri Sacerdoti cui notus sit; sed tenetur alterum adire, cui ignotus est: alioqui enim vel sine justa causa omitteret explicare speciem peccati sui. Vel sine necessitate infamaret complicem.

Et etiã quando notus est si non adsit alius.

R.2. dum confitetur Sacerdoti cui complex ignotus est tenetur complicem manifestare, si id necessarium sit ad explicandam speciem peccati: quia tunc cessat ratio infamationis, ob quam solam probabile est posse complicem non declarari.

R.3. si tantum adsit confessarius, qui complicem noverit, nihilominus potest & debet in confessione complicem aperire, si id necesse sit ad declarandam speciem peccati. Ita cum S.Thoma Doctores communius: contra Ostien. Marsil. Armil. Navar. Bann. Ledes. Vuig. Valent. Præpos. &c.

Dixi *si id necesse sit ad declarandam speciem peccati*: quia seclusa hac necessitate, non licet pœnitenti complicem manifestare; quia tunc infamaret proximum absque necessitate. Quando igitur confessarius advertit pœnitentem absque necessitate declarare complicem seu socium peccati sui, aut aliquod proximi sui crimen aperire, debet eum admonere, ne id faciat.

Id etiam exigit confessionis integritas.

780. Prob. 1. quia Christus una cum institutione Sacramenti Pœnitentiæ instituit integram peccatorum confessionem, ut affirmat Trid. sess. 14. cap. 5. ergo non potest pœnitens excusari ab integra peccatorum confessione propter onus aliquod aut incommodum quod ex natura confessionis ad hoc

Sacra-

Sacramentum requisitæ per se oritur; quale est infamia complicis, quando ejus declaratio necessaria est ad explicandam speciem peccati. 2. quia in foro externo debet reus manifestare complicem, quando id necessarim est ad cognoscendum ejus crimen: ergo multò magis ad id tenetur in foro interno Sacramēti pœnitentiæ; cum hic sit multò minor infamatio complicis, quam illic. 3. quia si infamia complicis confessario noti excusaret ab integritate confessionis, dici posset quod etiam ab hac integritate excusaret infamia ipsius pœnitētis confessario pariter noti, quod tamen certò falsum est. 4. authoritate S. Bernardi Opusc. de formula honestæ vitæ sic loquentis *de nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcumque sit verum, & manifestum, nisi in confessione: ad hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

In foro externo potest declarari complex ergo etiam in interno.

781. Ad rationem dubitandi R. non licere quidem infamare proximum absque justa causa: id tamen licitum esse quando adest justa causa: qualis est in nostro casu ne pœnitens exponat se periculo invalidè confitendi, & per hoc incurrendi grave damnum spirituale. Cum ergo teneatur valori Sacramenti, & saluti suæ magis consulere, quam famæ complicis; potest illum declarare ad vitandum periculum istius invaliditatis, & damni.

Potest proximus infamari ex justa causa.

782. Dices si quis revelando complicem prudenter timeret illi aliquod grave damnum ab illa infamatione distinctum v.g. ne confessarius illum deinceps gravi odio prosequeretur, exheredaret, &c. posset ac deberet non declarare complicem: ergo similiter ad vitandam ejus infamiam R. neg. conseq. disparitas est quod ista alia damna tantum per accidens sequantur ex confessionis integritate: ista autem infamatio, per se. Quæ autem per se sequuntur ex integritate confessionis; non debent illam impedire: secus, quæ tantum per accidens.

783. An autem possit etiam ac debeat pœnitens manifestare peccatum non complicis, quando id necessarium est ad faciendam confessionem integram; ut si quis v.gr. occiderit sororem gravidam, quam confessarius novit non fuisse conjugatam: is enim

Quid dicendum sit de non complice.

non poterit declarare totam malitiam peccati sui nisi revelet fornicationem sororis suæ: magis dubium est: negat Svares, aitque disparitatem esse quod complex patrando simul crimen cum altero, videatur cessisse juri suo ne infametur, cum satis posset præceptam esse confessionis integritatem; quod non potest dici de non complice. Affirmat Lugo; quia inquit periculum invalidè confitendi, & per hoc incurrendi grave damnum spirituale debet etiam prævalere qualicumque isti infamationi non complicis.

Exigit etiã confessionis integritas ut declarentur circumstantiæ notabiliter aggravãtes intra eandem speciem.

Exigit etiam confessionis integritas; ut declarentur circumstantiæ malitiam peccati notabiliter aggravantes, licet speciem peccati non mutent. Censentur verò notabiliter aggravare, quando tales sunt ut communi judicio existimẽtur notabiliter immutare judicium confessarii circa peccati gravitatem: ut v.g. quod grave odium non tantum vno die, sed multis duraverit: quod fuerit valdè intensum: quod homicidium factum sit modo valdè crudeli; quod furtum fuerit non unius tantum aurei, sed plurium, &c. Atquæ hæ sunt quatuor præcipuæ circumstantiæ circa quas versatur præsens controversia videlicet circumstantia durationis, ut in primo exemplo: circumstantia intensionis, ut in secundo: circumstantia modi quo factum est peccatum, ut in tertio: circumstãtia quantitatis damni illati, ut in quarto. Has circumstantias, & similes confitendas esse dum notabiliter aggravant malitiam peccati, affirmant Altisiod. Alens. Richar. Marsil. Cajet. Victor. uterque Sotus. Mercer. Sylv. Gonet. Et recentiores Thomistæ communius. Item Sa. Henriq. Suar. Tann. ConincK. Amicus, &c. Negant Bonavent. Dur. Scot. Gab. Vasq. Less. Valent. Bean. Pezant. Hurd. Præp. Dian. Bonac. Lugo. &c. contra quos.

Alioqui ẽnim nõ posset confessarius rectè judicare de criminum gravitate, circumstantia non mutans speciẽ sæpè magis auget malitiam peccati quam mutãs speciem.

Prob. conclusio 1. quia ut docet Trid. sess. 14. cap. 5. ea requiritur confessio ex qua possit Sacerdos rectè judicare de criminum gravitate, & pœnas gravitati proportionatas pœnitentibus imponere: atqui non poterit id fieri nisi prædictæ circumstantiæ declarentur, ergo, &c. Confir. hæc ratio, que est præci-

puum

puum concluſionis fundamentum: quia ſæpè fit ut circumſtantia nō mutans magis augeat malitiā peccati quam circumſtantia ſpeciem mutans v. gr. circumſtantia quantitatis furti quod non ſit unius tantum aurei, ſed mille, & amplius magis auget malitiam furti unius aurei, quā circumſtantia loci ſacri, in quo factum fuerit furtum unius aurei; licet illud transferat ad ſpeciem ſacrilegii: ergo ſi hæc ſit aperienda, ut confeſſarius poſſit rectè judicare de gravitate peccati, & debitam pœnam injungere, multò magis illa in eum finem declaranda eſt.

Prob. 2. ſi circumſtantia mutans ſpeciem non adderet novam malitiam non eſſet explicanda, ut certum eſt: ergo ratio ob quam explicanda eſt, non eſt quod mutet ſpeciem, ſed quod augeat malitiam, ergo quotieſcunq; circumſtantia aliqua auget notabiliter malitiam peccati explicanda eſt, ſive mutet ſpeciem ſive non.

Prob. 3. quia circumſtantia notabiliter augens peccatum licet ſpeciem non mutet, ſufficit ut peccatum reſervetur, ergo eſt neceſſaria confeſſionis materia: alias enim non poſſet peccatum propter talem circumſtantiam reſervari: ideò enim non poſſunt venialia reſervari; quia non ſunt neceſſario in confeſſione exprimenda. *Et ſæpè ſufficit ut peccatum reſervetur.*

Prob. 4. ex variis abſurdis quæ ex oppoſita ſententia ſequuntur 1 enim ſequeretur eum qui per annum integrum perſeveraſſet in voluntate alterſi occidendi, ſatisfacere dicendo habui voluntatem occidendi, non exprimendo annuam talis voluntatis perſeverantiam. 2 qui modo valdè crudeli alterum occidiſſet, v. g. ſecando per partes, lento igne adurendo &c. ſimiliter ſatisfacere, ſi dicat commiſi homicidium. 3. conjugatum peccantem cum conjugata ſatis peccatum ſuum exprimere dicendo commiſi adulterium nam circumſtantia, quod uterque ſit conjugatus non videtur mutare ſpeciem adulterii. 4. eum qui matrem aut ſororem carnaliter cognoviſſet ſufficienter peccatum ſuum explicare, ſi dicat commiſi inceſtum; quia ut multi docent, omnes inceſtus ſunt ejuſdem ſpeciei. 5. furatū mille aureos ſatisfacere dicendo *Probatur circumſtantias illas eſſe confitendas ex variis abſurdis quæ ex oppoſita ſententia ſequuntur.*

cendo peccavi mortaliter in materia furti: quia scilicet excessus quantitatis nō mutat speciem furti. Quæ omnia videntur absurda & falsa: & si contraria sententia eo usq; se extendat, non videtur tuta in praxi.

Cur Tridentinum non meminerit circumstantiarum speciem nō mutantium.

784. Dices. 1 Trid. sess. 14. cap. 5. tantum requirit ut declarentur circumstantiæ speciem mutantes; nulla facta mentione earum quæ speciem non mutant. R. non ideò Tridentinum nullam earum mentionem fecisse, quod censeret non esse declarandas; sed quod nollet definire, quæ inter Catholicos controvertebantur. Nihilominus eas ex ejus mente esse manifestandas satis colligitur ex ratione propter quam definit species peccatorum esse aperiendas, ut nempè confessarius possit rectè judicare de criminum gravitate, & pœnas gravitati proportionatas imponere. Quæ ratio etiam militat pro circūstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus.

Ne quis peccati gravitas sufficienter cognosci nisi declarētur circumstantiæ aggravantes.

785. Dices 2. id solum in confessione necessariò declarandum est, ad quod remittendum aut retinendum Sacerdotes potestatem acceperunt, atqui tantum potestatem acceperunt ad remissionem peccatorum circa eorum species, & numerum: ergo, &c. R. in potestate remittendi peccata involvi sufficientem eorum cognitionem quoad gravitatem; cum sufficiens cognitio causæ debeat præcedere sententiam judicis. Talis autem cognitio non potest haberi, nisi exprimantur circumstantiæ notabiliter aggravantes.

Lex confessionis non est odiosa.

786. Dices 3. lex odiosa non obligat nisi in iis quæ clarè continet obligationem declarandi circumstantias tantum aggravantes, & id odiosum est; quia difficilè: ergo, &c. R. legem confitendi non esse odiosam; quia licet difficilis sit: fructus tamen magnitudine difficultatem abundè cōpensat. Vndè neq odiosum censeri debet, quod ad fructum istum certiùs obtinendum requiritur.

Facile cognoscitur quandonam circumstantiæ notabiliter aggravāt

787. Dices 4. executio istius obligationis videtur moraliter impossibilis rudioribus, cum ægrè admodum possint discernere quandonam circumstantiæ notabiliter aggravent. R. neg. assump. facilè enim quisque potest discernere an diu perseveraverit in

mala sua voluntate? an modo valdè perverso illam executus sit, aut exequi voluerit? an quantitas damni illati sit notabilis, &c. Certè difficilius est distinguere, quandonam circumstantiæ mutent speciem peccati; quàm quando malitiam ejus augeant intra eandem speciem? & tamen tenentur secundum omnes illas declarare.

788. Dices 5. videtur saltem moraliter impossibile ut exprimatur circumstantia intensionis actus, cum non sit sufficienter nota. R. circumstantiam intensionis actus nō esse hoc sensu declarandum, quasi exprimi debeat, quot præcisè gradus habeat: quia ut rectè dicitur non est id sufficienter notum. Sed sicut intensio actus notabiliter major, quam sit ordinariè, sufficiēter innotescit vel ex effectu vel ex modo, quo positus est effectus, ita potest sufficienter exprimi per effectum aut modum quo effectus positus est. Quod si intensio actus mali, non fuerit multò major, quàm soleat esse, nihil est circa illam declarandum.

Quomodo, & quādo exprimenda sit circumstantia intensionis actus.

789. Dices 6. si circumstantiæ notabiliter aggravantes essent manifestandæ; deberent etiam manifestari circumstantiæ notabiliter imminuentes quia declaratio harum circumstātiarum æquè ac illarum necessaria est ad hoc ut confessarius rectè judicet de gravitate peccati, & pœnæ imponendæ R. id totum posse admitti propter rationem allatam. Sed vix timenda est illarum omissio; sed potius verendum est ne hac in re sit excessus propter naturalem inclinationem ad excusanda peccata.

De circumstantiis malitiam imminuētibus.

790. Qui post diligens examen absolutè judicat se non peccasse mortaliter, quamvis cum aliqua formidine de opposito non tenetur confiteri. E contra verò tenetur, qui absolutè judicat se mortaliter peccasse, licet non habeat omnimodam certitudinem. Est communis, & certa. Quia cum in moralibus difficulter habeatur omnimoda certitudo, sufficit tale judicium ut quis obligetur aut non obligetur. Idem dicendum est si probabilius judicet se non peccasse aut peccasse: quia probabilius judicium sufficit etiam ut illum obliget, aut non obliget.

Formido aliqua an quis peccaverit mortaliter non inducit obligationē confitendi.

791. Qui probabiliter judicat se non peccasse aut fal-

ſaltem non peccaſſe mortaliter;aut ſi peccaverit, ſe jam illud peccatum fuiſſe confeſſum, juxta quidem communiorem ſententiam non tenetur ad confeſſionem,eo quod poſſit prudenter ſe conformare judicio verè probabili; quamvis ob alias rationes judicet etiam eſſe probabile, quod peccaverit mortaliter, aut non fuerit cōfeſſus; in praxi tamen ſuadenda eſt confeſſio talis peccati,quia ex ejus ommiſſione non rarò poſtea ducuntur magnæ animi anxietates, dum animo non ſatis in amore dubitatur an fuerint ſufficientes rationes ad non confitendum.

An teneatur ad confeſſionem qui probabiliter judicat ſe non peccaſſe.

792. Qui certus eſt ſe peccaſſe mortaliter,ſed dubitat an peccatum illud fuerit confeſſus dubio propriè dicto, hoc eſt ſic, ut non poſſit ſe determinare fuerit ne confeſſus, vel non: eo quod non habeat rationes ſufficientes ad formandum probabile judicium de confeſſione factâ, tenetur illud confiteri. Ita DD. communiter. Ratio eſt quod tunc conſtet contractam eſſe obligationem confitendi, & nulla ratio ſufficiens occurrat ad judicandum, quod illa obligatio impleta ſit: ac proindè poſſeſſio ſtet pro præcepto contra pœnitentem.

An qui ſcit ſe peccaſſe ſed dubitat an peccatum ſuum fuerit confeſſus.

793. Qui ſcit ſe certum aliquod peccatum commiſiſſe, ſed prædicto ſenſu dubitat ſitne mortale an veniale, tenetur ad illius confeſſionem. Ita etiam DD.communiter. Quia alioqui omittens illud confiteri imprudenter exponeret ſe periculo non faciendi confeſſionem integram.

An qui dubitat num peccatū aliquod commiſerit.

794 Qui poſt examen debitum eodem ſenſu dubitat an certū aliquod peccatum admiſerit, quod ſcit eſſe mortale,obligatur ad illud confitendum.Ita communius DD. contra ConincK. Præpoſ. & paucos alios. 1.quia ratio allata pro præcedente concluſione,habet etiam hic locum,2. quia tenetur ad contritionem talis peccati,ut fatentur adverſarii: ergo etiam ad confeſſionem; quia contritio includit votum confeſſionis.

Dices 1. Tridentinum tradens materiam confeſſionis, nullibi meminit peccatorum dubiorum. R. Trident. noluiſſe definire, que erant inter Doctores Catholicos controverſa.

Dices

Dices 2. delictum non debet præsumi, nisi probetur. R. hoc pronunciatum tantum habere locum in foro externo respectu hominum: non autem in interno respectu Dei, qui non eget probatione ut cognoscat delictum.

Cur Tridentinum non fecerit mentionem peccatorum dubiorum.

Dices 3. qui non habet sufficientes ratione ad judicãdum quod peccaverit, videtur remanere in possessione suæ innocentiæ, & exemptionis ab onere confitendi. R. neque talem habere sufficientes rationes ad judicandum quod non peccaverit, sicut ergo propterea tenetur ad actum contritionis; ita etiam tenetur ad confessionem, cujus votum includit contritio.

795. Dices 4. qui dubitat an votũ emiserit, ex cõmuni DD. sensu nõ tenetur illud implere: ergo similiter hic R. 1. illud etiam esse solvẽdum ab adversariis, cum in casu conclusionis agnoscãt saltem obligationem eliciendi actum contritionis. 2. disparitatem esse quod si dubitãs de voto teneretur illud implere incurreret obligationem excedentem limites voti sui: æquè enim absolutè deberet illud implere, ac si non esset dubium; in nostro autem casu non obligatur ad accusationem peccati ut absolutè positi, sed tantum ut dubii: quæ accusatio proportionata est peccato dubio.

Cur potius dubitant de peccato teneatur ad ejus confessionem: quã dubitans de voto ad ejus impletionẽ.

796. Quæ dicta sunt de peccatis dubiis non habent locum respectu eorum, qui verè scrupulosi sunt sed DD. communiter sentiunt hujusmodi scrupulosos tantum teneri peccata illa confiteri, quæ certò sciunt se fecisse, & esse mortalia, & necdum fuisse in confessione declarata. Tum quia periculum hac ratione omittendi aliquod mortale in talibus rarum est: Tum quia non tenentur cum tanto suo damno, videlicet certo periculo hærendi perpetuò in illis scrupulis, & animi anxietatibus procurare omnimodam confessionis integritatem, à qua sæpè excusant minora pericula, & damna.

Quæ dicta sunt non habent locum in scrupulosis.

797. Qui confessus est peccatum aliquod mortale ut dubium, si postea cognoscat se certò illud fecisse, tenetur illud peccatum ut certum confiteri. Ita DD. communius: quia id multum immutat iudi

Qui tantum confitetur peccata dubia non potest absolui

cium

cium confessarii circa causam pœnitentis, & pœnam illi injungendam peccaret autem graviter, si peccatum mortale, quod certum esset, confiteretur ut dubium ob eandem rationem.

extra casum necessitatis.

Si quis tantum confiteretur peccata dubia, non posset absolvi extra casum necessitatis; quia absolutio exponeretur periculo nullitatis, quod non licet extra necessitatem. Itaq; confessarius, priusquam talem absolvat, debet ab eo exigere, ut confiteatur certum aliquod peccatum; quod saltem aliàs commisit.

§. VII.

De absolutione sacramentali.

Forma absolutionis tradita in rituali romano.

798. RItuale Romanum hanc tradit absolutionis formam: *misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus, amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges. Deindè ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita B. M. Virg. & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ aeternæ, amen.*

Certum est pleraque in ea contenta non esse de essentia formæ.

Quamvis hæc integra forma laudabiliter usurpetur, & ad eam hortetur Paulus V. ideoque expediat illa memoriæ mandare. Certum tamen est ea omnia quæ præcedant hæc verba, *ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* non esse de essentia formæ absolutionis: uti nec illa, quę eadem verba subsequuntur; & posse ommiti sine peccato. Si tamen timeatur censura aliqua in pœnitente, non debent relinqui ista *absolvo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, &c.* Sed

debent

debent præmitti abſolutioni à peccatis; expeditque ordinariè id fieri, ne fortè pœnitens occultam aliquam cenſuram incurrerit, ly tamen *ſuſpenſionis* circa laicos omitti debet; utpotè illius incapaces.

Nec particula ego, neè invocatio SS. Trinitatis ſunt de formæ eſſentia.

799. An autem omnia hæc verba, ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſint de eſſentia abſolutionis, controvertitur. Et dicendum 1. particulam *ego* non eſſe de illius eſſentia; quia ſine illa habetur integer ſenſus, & virtualiter continetur in verbo *abſolvo*. 2. neque de illius eſſentia eſſe invocationem perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, ut communiter docent Theologi contra Durand. quia ſine hac invocatione ſufficienter exprimitur effectus hujus Sacramenti. neque eam eſſentialiter adhibendam colligi poteſt aut ex verbis quibus Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, *quorum remiſeritis peccata &c.* aut ex traditione, aut ex definitione Eccleſiæ.

Neque etiā ad illius eſſentiam ſpectant hæ voces *à peccatis tuis*.

Neque videntur hæc verba, *à peccatis tuis*, eſſe de eſſentia formæ, Ita DD. communius cum S. Th. contra Gabr. Palud. Major. Petr. Soto, & alios eſſentialiter requirentes, ut ſaltem dicatur *abſolvo te à peccatis*. Quamvis enim verbum *abſolvo* de ſe ſit indifferens ad ſignificandum abſolutionem a peccatis, potius quam à cenſuris, aut pœnis: dum tamen pronunciatur in judicio ſacramentali poſt auditam peccatorum confeſſionem ſatis determinatur ad id ſignificandum.

Tota igitur eſſentia in his duobus verbis conſiſtit, abſolvo te.

800. Itaque tota eſſentia formæ abſolutionis probabilius conſiſtit in his duobus verbis, *abſolvo te*, aut æquivalentibus: ſi enim neque pronomen *ego*: neque ly à *peccatis tuis*: neque invocatio perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis ſint de eſſentia formæ abſolutionis, ut oſtenſum eſt; ſupereſt ut tota eſſentia contineatur in dictis duobus verbis: neque enim dici poteſt quod ſita ſit in ſola voce *abſolvo*, quia deſignari debet perſona abſolvenda: id enim requirit natura ſententiæ judicialis.

801. Petes an voces quæ non ſunt de eſſentia formæ poſſint omitti ſine peccato? R. particulam *ego* poſſe ſine peccato omitti, quia ſatis includitur in vo-

ce *absolvo*, non posse autem relinqui invocationem sanctissimæ Trinitatis sine peccato veniali, ut communius sentiunt DD. ly vero *à peccatis* non posse prætermitti absque mortali: quia non omnino constat non esse de essentia formæ.

Non potest tamen ly à peccatis omitti sine mortali.

802. Forma absolutionis non potest esse deprecatoria 1. quia absolutio est actus judicialis; actus autem judicialis non potest esse deprecatorius. 2. quia Christus dixit *quorum remiseritis peccata*: non autem quorum remitti petieritis.

Forma absolutionis non potest esse deprecatoria quia pronũciatur per modum judicii.

Dices 1. August. lib. 3. de Bap. cap. 16. *manuum impositionem* qua scilicet Sacramenta conferuntur, vocat *orationem super hominem*. Et ibid. cap. 17. *si ita est inquit, cur non ergo per eorum orationes .... peccata dimittuntur?* Et S. Leo epist. 91 *indulgentiam Dei*, qua scilicet peccata dimittuntur, ait non posse obtineri *nisi supplicationibus Sacerdotum*. Similia habent Hier. in Psal. 28. & Ambros. lib. 3. de Spiritu S. R. vel hos Patres intelligendos de impetratione remissionis peccatorum per orationes Sacerdotum extra Sacramentum: Vel absolutionem Sacramentalem vocare orationem, eo quod constet verbis sacris.

Dices 2. Christus Matt. 10. dedit Apostolis potestatem curandi infirmos, & tamen illam potestatem exercebant verbis deprecatoriis ergo &c. R. neg. conseq. disparitas est: quod potestas remittendi peccata fuerit illis data per modum judicii: non item potestas curandi morbos.

803. Dices 3. in græcorum rituali hæc traditur absolvendi forma; Domine Iesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc à peccatis suis; atqui hæc forma est deprecatoria ergo &c. R cum Arcudio lib. 14. cap. 3. non contineri illis verbis formam absolutionis; sed tantum deprecationem aliquam, quam olim formæ præmittebant; nunc autem illos uti hac forma, *habeo te venia donatum*: *vel habeo te absolutum*. Quod in eorum praxi idem est ac, absoluo te.

Forma qua græci utuntur non est deprecatoria & æquivalet nostræ.

804. Per absolutionem sacramentalem, verè remittuntur peccata quoad culpam. Est communis & certa

certa contra varios antiquos Mag. Alen. utrumq. Vict. Bonav Gabr. Occham. &c. docentes per eam non remitti propriè peccata quoad culpam; sed tantum declarari remissa. Remitti tamen quoad pœnam vel æternam, vel saltem temporalem, & obligationem ea deinceps confitendi. Contra quos.

Per absolutionem sacramentalē verè & propri remittuntur peccata quoad culpam.

Prob. conclusio 1. ex verbis Christi *quorum remiseritis peccata &c.* quæ in sensu proprio accepta significant simpliciter potestatem remittendi peccata; adeòque quoad culpam. 2. ex forma absolutionis *absolvo te &c* quæ etiam id apertè significat. 3 ex Trid. sess.14. cap.1. definiente prædictis Christi verbis, *quorum remiseritis &c.* traditam Apostolis & eorum successoribus potestatem *reconciliandi fideles post Baptismum lapsos*. Et cap.3. dicit effectum hujus Sacramenti esse *reconciliationem cum Deo*: atqui reconciliatio cum Deo fit per remissionem peccatorum quoad culpam, ergo &c. Et can.9. dicit anathema ei *qui dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti*. 4. quia hæc Baii propositio, *peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo*, damnata est à duobus Pontificibus Pio V. & Greg. XIII. 5. denique ex PP. Chrysost. lib.3 de sacerd. cap.4. *nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes non dico, purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*. Aug. Epist.180 *si ministri desint quantum exitium sequitur eos qui de hoc seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati*, hoc est à peccatis non absoluti. Vide etiam Amb. lib.1. de pœnit. cap.7. & Hier. Epist.1. ad Heliod.

Idque manifestè colligitur ex Christi verbis quorum remiseritis peccata &c. Et traditur à Tridentino ac Patribus.

805. Dices 1. Iob.14. v.4. dicitur, *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Et Mar.2. v.7. *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* R. his & similibus locis tantum significari soli Deo competere principalem potestatem peccata dimittendi: cum quo stat Sacerdotibus convenire ministerialem ipsis à Deo concessam.

Potestas principalis remittendi peccata soli Deo competit.

806. Dices 2. Lazarus ad vitam excitatus figura fuit peccatoris à morte peccati ad vitam gratiæ in

Lazari figura prius à Christo vivificati quã institis à discipulis soluti, non obstat conclusioni.

Sacramento pœnitentiæ transeuntis, ut docent PP. atqui solus Christus Lazarum ad vitam revocauit: nec nisi jam viventem discipuli institis solverunt, quibus fuerat ligatus: ergo similiter in Sacramento Pœnitentiæ solus Deus peccatorem vivificat remittendo peccata, quæ sunt mors animæ: Sacerdotes autem tantum solvunt jam vivificatum. Et ita id explicat August. tract.49. in Io. sub finem. Et Gr. homil. 26. in Evang. sub med. ubi agens de Lazari suscitatione sic scribit: *illos nos debemus per pastoralem authoritatem solvere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.*

Debent etiã peccatores prius à Deo per gratias actuales ad vitam excitari quam solvi possint à peccatis.

R. hanc Lazari figuram confirmare sententiam nostram: sicut enim Lazarus verè fuit ab Apostolis solutus institis, quibus adhuc erat ligatus. Ita peccatores verè à Sacerdotibus solvuntur vinculis suis, quæ sunt peccata. Quod autem Lazarus prius fuerit à Christo ad vitam excitatus, quam ab Apostolis solutus, ostendit non posse peccatores à Sacerdotibus absolvi à peccatis, quæ sunt mors animæ, nisi prius à Deo ad vitam excitentur; non quidem per gratiam sanctificantem, quæ est ipsa perfecta animę vita, sed per gratias actuales, quibus moveantur ad veros actus pœnitentiæ, quibus incipiant Deum vivere.

De hac præcedenti vivificatione per gratias actuales intelligendi sunt Aug. & Greg.

807. Augustinum intelligendum esse de ista vivificatione per gratias actuales manifestè colligitur ex verbis quæ loco citato subjungit: *Lazarus*, inquit, *processit, sed adhuc ligatus est, adhuc involutus: tamen jam foras processit ...... quando confiteris, procedis; quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari, sed ut confitearis Deus facit magna voce vocando id est magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus; confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus, solvite illum & sinite abire.* Vbi vides Augustinum priorem illam peccatoris vivificationem non tribuere gratiæ sanctificanti, qua peccat formaliter remittuntur; sed gratiæ ad pœnitentiam excitanti. De qua etiam intelligendus est S. Greg.

808. Di-

808. Dices 3. Hieron. scribens in illud Matt. *quodcumque ligaveritis super terram &c.* sic loquitur: *istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio ut vel damnent innocentem, vel se solvere noxios arbitrentur, Cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quaeratur*: Deindè comparans Sacerdotes nostros cum Sacerdotibus antiquis, ait: *quomodo enim ibi* (videlicet in antiqua lege) *leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit* (hoc est sua declaratione facit ut mundus vel immundus habeatur) *sic & sic alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter.* R. Hieronymum ibi reprehendere nimiam quorumdam Sacerdotum licentiam in absolutione concedenda vel deneganda non habita sufficienti ratione dispositionis poenitentium. Vti ut autem exemplo Sacerdotum veterum, ut ostendat quod sicut illi diligenter examinabant statum leprosi, priusquam illum declararent mundum aut adhuc immundum. Sic Sacerdotes nostri debeant attentè discernere inter veros & falsos poenitentes antequam eos absolvant aut non absolvant. Cum quo stat hoc esse discrimen, quod illi non mundarent leprosum, sed tantum mundatum declararent: nostri autem verè abstergant lepram peccati.

Non reprehendit Hieronymus potestatem absolvendi sed abusum,

Quo sensu comparent Sacerdotes antiquae legis cum nostris.

809. Dices 4 Amb. lib. 3. de Spiritu S. cap. 19. ait, *homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent non ius alicuius potestatis exercent.* R. Amb. his verbis non denegare ministerialem potestatem absolvendi, sed tantum principalem.

810. Dices 5. non est in Sacerdote potestas ligandi nisi ostendendo eum esse ligatum: ergo nec solvendi nisi ostendendo eum esse solutum. R. neg. ant. nam 1. est in eo potestas ligandi velut negativa, in quantum negando absolutionem, efficit ut remaneat ligatus, & positiva, in quantum obligat poenitentem ad varias poenas in satisfactionem obeundas.

Sicut Sacerdotes verè absolvunt ita etiam verè ligant.

811. Quamvis sensus obvius verborum formae sit clarus: nam verba illa *absolvo te à peccatis tuis* clare significant peccata per eam remitti. Quia tamen difficilè est ostendere quomodo in hoc sensu

Adferuntur variae sĕtĕtiae

de sensu verborum absolutionis sacramentalis.

verificentur, quando peccata prius fuerunt remissa per actum contritionis, aut præcedentem absolutionem: ideo varii varie illa explicant. S. Thomas & post eum Thomistæ communiter dicunt hæc verba *absolvo te à peccatis tuis* eadem esse quoad sensum quam hæc *impendo tibi Sacramentum absolutionis*. Suares verò & alii volunt hunc sensum facere *confero tibi gratiam, quantum est de se, peccati remissivam*, Lugo autem, & multi recentiores docent intelligenda esse in prædicto sensu obvio de peccatorum remissione, sic ut idem significent, ac remitto tibi peccata tua.

Præfertur sententia asserens intelligendam esse in sensu obvio quo scilicet significatur remitti peccata.

Atque hæc sententia videtur mihi aliis duabus præferenda. 1. quia Christus instituens formas Sacramentorum non mutavit verborum, quibus constant, significationem ab hominibus impositam sed ea retenta illas cum materia elevavit ad esse sacramentale, ut patet in cæteris Sacramentis: atqui significatio ab hominibus imposita his verbis *absolvo te à peccatis tuis* non est hæc, ego tibi impendo Sacramentum absolutionis, vel confero tibi gratiam, quantum est de se, peccati remissivam: sed hæc, remitto seu condono tibi peccata tua: ergo &c. 2. quia ista verba faciunt illum sensum, quem Sacerdos solet apprehendere, dum absolvit: sed sensus ille non est alius; quam hic: remitto tibi peccata tua, ergo &c.

Neque propterea forma est falsa aut nugatoria quãdo prius fuerunt remissa peccata.

812. Neque juxta hanc explicationem forma absolutionis est falsa aut nugatoria, quando pœnitens accedit perfectè contritus, aut ea tantum peccata confitetur, quæ prius fuerat confessus: quia licet utroque isto casu peccata pœnitentis fuerint remissa antequam Sacerdos eum absolvat, potest tamen remissio prius facta per novam remissionem vere ac serio confirmari. Vt etiam patet in humanis: nam qui post offensam semel condonatam iterum veniam rogatus, iterum eam condonat, ut sæpè accidit, non mentitur aut nugatur, sed nova condonatione verè ac seriò priorem condonationem confirmat. Ita qui semel se obligavit per aliquod votum aut promissionem ad aliquid præstandum, potest vere ac seriò

idem

idem votum aut promissionem repetere: quia ista repetitio est vera confirmatio prioris voti aut promissionis.

813. Dices 1. non potest quis homini vinculis jam soluto verè ac seriò dicere, solvo te vinculis tuis: ergo similiter non potest Sacerdos pœnitenti jam à peccatorum vinculis soluto per contritionem, aut præcedentem confessionem verè ac seriò dicere: *ab solvo te &c.* in sensu explicato R. neg. conseq. disparitas est quod solutio vinculorum, fit actio Physica & externa, quæ non potest fieri, nisi circa eum qui verè adhuc vinctus est. Solutio autem seu remissio peccatorum, fit actio Morali; quæ tendere potest in offensam præteritam, & jam condonatam, ita ut per novam condonationem verè confirmetur prior condonatio.

Non est eadem ratio physica solutionis à vinculis, & moralis à peccatis.

814. Dices 2. remittere peccatum, est efficere ut peccatum, quod ante erat, non sit amplius: ergo debet adhuc esse, ut remittatur, R. debere quidem esse ut primò remittatur seu tollatur: non autem ut prior remissio per novam remissionem confirmetur. Ita ut prima obligatio contrahatur per votum, debuit antea non esse ita obligatio: sed hoc non requiritur in voti reiteratione, qua ista obligatio confirmatur.

Per novam remissionem confirmatur prior remissio.

815. Dices 3. remittere offensam, est cedere juri ad eam puniendam: sed non possum cedere juri quod fuit & amplius non est; v. g. si Petrus debuit mihi centum florenos, & illos solverit, non possum tunc verè & seriò dicere, cedo juri quod habui ad istam solutionem, seu remitto tibi debitum tuum: ergo similiter hic. R. dist. mi. si jus illud sublatum fuerit per condignam satisfactionem, ut accidit in exemplo allato: conc. si per gratuitam condonationem, ut contingit in remissione peccatorum, nego: potest enim ista condonatio confirmari per iteratam condonationem, ut supra ostendimus.

Cessio juris ad puniendū facta per gratuita cōditionem potest iterari.

816. Quandonam autem deneganda sit, aut differenda, aut concedenda absolutio, res est non levis momenti, nec exiguæ in praxi difficultatis. Quamvis enim certum sit denegandam esse aut differen-

de ſenſu verborum abſolutionis ſacramentalis.

verificentur, quando peccata prius fuerunt remiſſa per actum contritionis, aut præcedentem abſolutionem: ideo varii varie illa explicant. S. Thomas & poſt eum Thomiſtæ communiter dicunt hæc verba *abſolvo te à peccatis tuis* eadem eſſe quoad ſenſum quam hæc *impendo tibi Sacramentum abſolutionis.* Suares verò & alii volunt hunc ſenſum facere *confero tibi gratiam, quantum eſt de ſe, peccati remiſſivam*, Lugo autem, & multi recentiores docent intelligenda eſſe in prædicto ſenſu obvio de peccatorum remiſſione, ſicut idem ſignificent, ac remitto tibi peccata tua.

Præfertur ſententia aſſerens intelligendam eſſe in ſenſu obvio quo ſcilicet ſignificatur remitti peccata.

Atque hæc ſententia videtur mihi aliis duabus præferenda. 1. quia Chriſtus inſtituens formas Sacramentorum non mutavit verborum, quibus conſtant, ſignificationem ab hominibus impoſitam ſed ea retenta illas cum materia elevavit ad eſſe ſacramentale, ut patet in cæteris Sacramentis: atqui ſignificatio ab hominibus impoſita his verbis *abſolvo te à peccatis tuis* non eſt hæc, ego tibi impendo Sacramentum abſolutionis, vel confero tibi gratiam, quantum eſt de ſe, peccati re[...]iſsivam: ſed hæc, remitto ſeu condono tibi [...]a: ergo &c. 2. quia iſta verba faciunt il[...], quem Sacerd[...] ſolet apprehendere [...]it: ſed ſenſus [...] non eſt [...]us; qu[...]itto tibi peccata ergo[...]

Neque propterea forma eſt falſa au[...] nugatoria quādo p[...] fuerunt [...]miſſa [...]ta.

[...] explicationem [...]ugatoria, quand[...] [...]itus, aut ea tan[...] [...], fuerat confeſſ[...] [...]ta pœnitentis[...] [...]m abſolvat [...] novam re[...] [...] etiam [...]

idem votum aut promissionem repetere: quia ista repetitio est vera confirmatio prioris voti aut promissionis.

813. Dices 1. non potest quis homini vinculis jam soluto verè ac seriò dicere, solvo te vinculis tuis: ergo similiter non potest Sacerdos pœnitenti jam à peccatorum vinculis soluto per contritionem, aut præcedentem confessionem verè ac seriò dicere: *absolvo te &c.* in sensu explicato R. neg. conseq. disparitas est quod solutio vinculorum, sit actio Physica & externa, quæ non potest fieri, nisi circa eum qui verè adhuc vinctus est. Solutio autem seu remissio peccatorum, fit actio Morali; quæ tendere potest in offensam præteritam, & jam condonatam, ita ut per novam condonationem verè confirmetur prior condonatio.

Non est eadem ratio physica solutionis à vinculis, & moralis à peccatis.

814. Dices 2. remittere peccatum, est efficere ut peccatum, quod ante erat, non sit amplius: ergo debet adhuc esse, ut remittatur, R. debere quidem esse ut primò remittatur seu tollatur: non autem ut prior remissio per novam remissionem confirmetur. Ita ut prima obligatio contrahatur per votum, debuit [illegible]ea non esse ita obligatio: sed hoc non requiritur [illegible] voti [illegible]ratione, qua ista obligatio confirma-

Per novam remissionem confirmatur prior remissio.

[illegible]. remittere offensam, est cedere juri [illegible]dam: sed non possum cedere juri quod [illegible] non est; v. g. si Petrus debuit mihi [illegible]s, & illos solverit, non possum tunc [illegible]ere, cedo juri quod habui ad istam [illegible] remitto tibi debitum tuum: ergo si-[illegible] dist. mi. si jus illud sublatum fuerit [illegible] satisfactionem, ut accidit in exem-[illegible]c. si per gratuitam condonationem, [illegible] remissione peccatorum, nego: potest [illegible]natio confirmari per iteratam con-[illegible] supra ostendimus.

Cessio juris ad puniendũ facta per gratuita cõditionem potest iterari.

[illegible]nam autem deneganda sit, aut diffe-[illegible]cedenda absolutio, res est non levis [illegible]xiguæ in praxi difficultatis. Quam-[illegible] sit denegandam esse aut differen-

saltem non peccasse mortaliter; aut si peccaverit, se jam illud peccatum fuisse confessum, juxta quidem communiorem sententiam non tenetur ad confessionem, eo quod possit prudenter se conformare judicio verè probabili; quamvis ob alias rationes judicet etiam esse probabile, quod peccaverit mortaliter, aut non fuerit cõfessus; in praxi tamen suadenda est confessio talis peccati; quia ex ejus ommissione non rarò postea ducuntur magnæ animi anxietates, dum animo non satis in amore dubitatur an fuerint sufficientes rationes ad non confitendum.

An teneatur ad confessionem qui probabiliter judicat se non peccasse.

792. Qui certus est se peccasse mortaliter; sed dubitat an peccatum illud fuerit confessus dubio propriè dicto, hoc est sic, ut non possit se determinare fuerit ne confessus, vel non: eo quod non habeat rationes sufficientes ad formandum probabile judicium de confessione facta, tenetur illud confiteri. Ita DD. communiter. Ratio est quod tunc constet contractam esse obligationem confitendi, & nulla ratio sufficiens occurrat ad judicandum, quod illa obligatio impleta sit: ac proindè possessio stet pro præcepto contra pœnitentem.

An qui scit se peccasse sed dubitat an peccatum suum fuerit confessus.

793. Qui scit se certum aliquod peccatum commisisse, sed prædicto sensu dubitat sitne mortale an veniale, tenetur ad illius confessionem. Ita etiam DD. communiter. Quia alioqui omittens illud confiteri imprudenter exponeret se periculo non faciendi confessionem integram.

An qui dubitat num peccatū aliquod commiserit.

794 Qui post examen debitum eodem sensu dubitat an certū aliquod peccatum admiserit, quod scit esse mortale, obligatur ad illud confitendum. Ita communius DD. contra ConincK. Præpos. & paucos alios. 1. quia ratio allata pro præcedente conclusione, habet etiam hic locum, 2. quia tenetur ad contritionem talis peccati, ut fatentur adversarii: ergo etiam ad confessionem; quia contritio includit votum confessionis.

Dices 1. Tridentinum tradens materiam confessionis, nullibi meminit peccatorum dubiorum. R. Trident. noluisse definire, que erant inter Doctores Catholicos controversa.

Dices

Dices 2. delictum non debet præsumi, nisi probetur. R. hoc pronunciatum tantum habere locum in foro externo respectu hominum: non autem in interno respectu Dei, qui non eget probatione ut cognoscat delictum.

Cur Tridentinum non fecerit mentionem peccatorum dubiorum.

Dices 3. qui non habet sufficientes ratione ad judicādum quod peccaverit, videtur remanere in possessione suæ innocentiæ, & exemptionis ab onere confitendi. R. neque talem habere sufficientes rationes ad judicandum quod non peccaverit, sicut ergo propterea tenetur ad actum contritionis; ita etiam tenetur ad confessionem, cujus votum includit contritio.

795. Dices 4. qui dubitat an votū emiserit, ex cōmuni DD. sensu nō tenetur illud implere: ergo similiter hic R. 1. illud etiam esse solvēdum ab adversariis, cum in casu conclusionis agnoscāt saltem obligationem eliciendi actum contritionis. 2. disparitatem esse quod si dubitās de voto teneretur illud implere incurreret obligationem excedentem limites voti sui: æquè enim absolutè deberet illud implere, ac si non esset dubium; in nostro autem casu non obligatur ad accusationem peccati ut absolutè positi, sed tantum ut dubii: quæ accusatio proportionata est peccato dubio.

Cur potius dubitant de peccato teneatur ad ejus confessionem: quā dubitans de voto ad ejus impletionē.

796. Quæ dicta sunt de peccatis dubiis non habent locum respectu eorum, qui verè scrupulosi sunt sed DD. communiter sentiunt hujusmodi scrupulosos tantum teneri peccata illa confiteri, quæ certò sciunt se fecisse, & esse mortalia; & necdum fuisse in confessione declarata. Tum quia periculum hac ratione omittendi aliquod mortale in talibus rarum est: Tum quia non tenentur cum tanto suo damno, videlicet certo periculo hærendi perpetuò in illis scrupulis, & animi anxietatibus procurare omnimodam confessionis integritatem, à qua sæpè excusant minora pericula, & damna.

Quæ dicta sunt non habent locum in scrupulosis.

797. Qui confessus est peccatum aliquod mortale ut dubium, si postea cognoscat se certò illud fecisse, tenetur illud peccatum ut certum confiteri. Ita DD. communius: quia id multum immutat judi

Qui tantum confitetur peccata dubia non potest absolui

cium

cium confessarii circa causam pœnitentis, & pœnam illi injungendam peccaret autem graviter, si peccatum mortale, quod certum esset, confiteretur ut dubium ob eandem rationem.

extra casum necessitatis.

Si quis tantum confiteretur peccata dubia, non posset absolvi extra casum necessitatis; quia absolutio exponeretur periculo nullitatis, quod non licet extra necessitatem. Itaq; confessarius, priusquam talem absolvat, debet ab eo exigere, ut confiteatur certum aliquod peccatum; quod saltem aliàs commisit.

§. VII.

De absolutione sacramentali.

Forma absolutionis tradita in rituali romano.

798. Rituale Romanum hanc tradit absolutionis formam: *misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus, amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges. Deindè ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita B. M. Virg. & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, amen.*

Certum est pleraque in ea contenta non esse de essentia formæ.

Quamvis hæc integra forma laudabiliter usurpetur, & ad eam hortetur Paulus V. ideoque expediat illa memoriæ mandare. Certum tamen est ea omnia quæ præcedant hæc verba, *ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* non esse de essentia formæ absolutionis: uti nec illa, quę eadem verba subsequuntur; & posse ommiti sine peccato. Si tamen timeatur censura aliqua in pœnitente, non debent relinqui ista *absolvo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*, &c. Sed debent

debent præmitti absolutioni à peccatis; expeditque ordinariè id fieri, ne forte pœnitens occultam aliquam censuram incurrerit, ly tamen *suspensionis* circa laicos omitti debet; utpotè illius incapaces.

799. An autem omnia hæc verba, ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sint de essentia absolutionis, controvertitur. Et dicendum 1. particulam *ego* non esse de illius essentia; quia sine illa habetur integer sensus, & virtualiter continetur in verbo *absolvo*. 2. neque de illius essentia esse invocationem personarum Sanctissimæ Trinitatis, ut communiter docent Theologi contra Durand. quia sine hac invocatione sufficienter exprimitur effectus hujus Sacramenti. neque eam essentialiter adhibendam colligi potest aut ex verbis quibus Christus hoc Sacramentum instituit, *quorum remiseritis peccata &c.* aut ex traditione, aut ex definitione Ecclesiæ.

Nec particula ego, nec invocatio SS. Trinitatis sunt de formæ essentia.

Neque videntur hæc verba, *à peccatis tuis*, esse de essentia formæ, Ita DD. communius cum S. Th. contra Gabr. Palud. Major. Petr. Soto, & alios essentialiter requirentes, ut saltem dicatur *absolvo te à peccatis*. Quamvis enim verbum *absolvo* de se sit indifferens ad significandum absolutionem a peccatis, potius quam à censuris, aut pœnis: dum tamen pronunciatur in judicio sacramentali post auditam peccatorum confessionem satis determinatur ad id significandum.

Neque etiam ad illius essentiam spectant hæ voces *à peccatis tuis*.

800. Itaque tota essentia formæ absolutionis probabilius consistit in his duobus verbis, *absolvo te*, aut æquivalentibus: si enim neque pronomen *ego*: neque ly à *peccatis tuis*: neque invocatio personarum Sanctissimæ Trinitatis sint de essentia formæ absolutionis, ut ostensum est; superest ut tota essentia contineatur in dictis duobus verbis: neque enim dici potest quod sita sit in sola voce *absolvo*, quia designari debet persona absolvenda: id enim requirit natura sententiæ judicialis.

Tota igitur essentia in his duobus verbis consistit absolvo te.

801. Petes an voces quæ non sunt de essentia formæ possint omitti sine peccato? R. particulam *ego* posse sine peccato omitti, quia satis includitur in vo-

ce *absolvo*, non posse autem relinqui invocationem sanctissimæ Trinitatis sine peccato veniali, ut communius sentiunt DD. ly vero *à peccatis* non posse prætermitti absque mortali: quia non omnino constat non esse de essentia formæ.

Non potest tamen ly à peccatis omitti sine mortali.

Forma absolutionis non potest esse deprecatoria quia pronũciatur per modum judicii.

802. Forma absolutionis non potest esse deprecatoria 1. quia absolutio est actus judicialis; actus autem judicialis non potest esse deprecatorius. 2. quia Christus dixit *quorum remiseritis peccata*: non autem quorum remitti petieritis.

Dices 1. August. lib. 3. de Bap. cap. 16. *manuum impositionem* qua scilicet Sacramenta conferuntur, vocat *orationem super hominem*. Et ibid. cap. 17. *si ita est inquit, cur non ergo per eorum orationes . . . peccata dimittuntur?* Et S. Leo epist. 91 *indulgentiam Dei*, qua scilicet peccata dimittuntur, ait non posse obtineri *nisi supplicationibus Sacerdotum*. Similia habent Hier. in Psal. 28. & Ambros. lib. 3. de Spiritu S. R. vel hos Patres intelligendos de impetratione remissionis peccatorum per orationes Sacerdotum extra Sacramentum: Vel absolutionem Sacramentalem vocare orationem, eo quod constet verbis sacris.

Dices 2. Christus Matt. 10. dedit Apostolis potestatem curandi infirmos, & tamen illam potestatem exercebant verbis deprecatoriis ergo &c. R. neg. conseq. disparitas est: quod potestas remittendi peccata fuerit illis data per modum judicii: non item potestas curandi morbos.

Forma qua græci utuntur non est deprecatoria & æquivalet nostræ.

803. Dices 3. in græcorum rituali hæc traditur absolvendi forma; Domine Iesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc à peccatis suis; atqui hæc forma est deprecatoria ergo &c. R cum Arcudio lib. 14. cap. 3. non contineri illis verbis formam absolutionis; sed tantum deprecationem aliquam, quam olim formæ præmittebant; nunc autem illos uti hac forma, *habeo te venia donatum*: *vel habeo te absolutum*. Quod in eorum praxi idem est ac, absoluo te.

804. Per absolutionem sacramentalem, verè remittuntur peccata quoad culpam. Est communis &

certa

certa contra varios antiquos Mag. Alen. utrumq. Victor. Bonav Gabr. Occham. &c. docentes per eam non remitti propriè peccata quoad culpam; sed tantum declarari remissa. Remitti tamen quoad pœnam vel æternam, vel saltem temporalem, & obligationem ea deinceps confitendi. Contra quos.

Per absolutionem sacramentalē verè & propri remittuntur peccata quoad culpam.

Prob. conclusio 1. ex verbis Christi *quorum remiseritis peccata &c.* quæ in sensu proprio accepta significant simpliciter potestatem remittendi peccata; adeòque quoad culpam. 2. ex forma absolutionis *absolvo te &c* quæ etiam id apertè significat. 3 ex Trid. sess. 14. cap. 1. definiente prædictis Christi verbis, *quorum remiseritis &c.* traditam Apostolis & eorum successoribus potestatem *reconciliandi fideles post Baptismum lapsos*. Et cap. 3. dicit effectum hujus Sacramenti esse *reconciliationem cum Deo*: atqui reconciliatio cum Deo fit per remissionem peccatorum quoad culpam, ergo &c. Et can. 9. dicit anathema ei *qui dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti*. 4. quia hæc Baii propositio, *peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo*, damnata est à duobus Pontificibus Pio V. & Greg. XIII. 5. denique ex PP. Chrysost. lib. 3 de sacerd. cap. 4. *nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes non dico, purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*. Aug. Epist. 180 *si ministri desint quantum exitium sequitur eos qui de hoc sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati*, hoc est à peccatis non absoluti. Vide etiam Amb. lib. 1. de pœnit. cap. 7. & Hier. Epist. 1. ad Heliod.

Idque manifestè colligitur ex Christi verbis quorum remiseritis peccata &c. Et traditur à Tridentino ac Patribus.

805. Dices 1. Iob. 14. v. 4. dicitur, *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Et Mar. 2. v. 7. *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* R. his & similibus locis tantum significari soli Deo competere principalem potestatem peccata dimittendi: cum quo stat Sacerdotibus convenire ministerialem ipsis à Deo concessam.

Potestas principalis remittendi peccata soli Deo competit.

806. Dices 2. Lazarus ad vitam excitatus figura fuit peccatoris à morte peccati ad vitam gratiæ in

Sacramento pœnitentiæ transeuntis, ut docent PP. atqui solus Christus Lazarum ad vitam revocavit: nec nisi jam viventem discipuli institis solverunt, quibus fuerat ligatus: ergo similiter in Sacramento Pœnitentiæ solus Deus peccatorem vivificat remittendo peccata, quæ sunt mors animæ: Sacerdotes autem tantum solvunt jam vivificatum. Et ita id explicat August. tract.49. in Io. sub finem. Et Gr. homil. 26. in Evang. sub med. ubi agens de Lazari suscitatione sic scribit: *illos nos debemus per pastoralem authoritatem solvere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.*

Lazari figura prius à Christo vivificati quã institis à discipulis soluti, non obstat conclusioni.

R. hanc Lazari figuram confirmare sententiam nostram: sicut enim Lazarus verè fuit ab Apostolis solutus institis, quibus adhuc erat ligatus. Ita peccatores verè à Sacerdotibus solvuntur vinculis suis, quæ sunt peccata. Quod autem Lazarus prius fuerit à Christo ad vitam excitatus, quam ab Apostolis solutus, ostendit non posse peccatores à Sacerdotibus absolvi à peccatis, quæ sunt mors animæ, nisi prius à Deo ad vitam excitentur; non quidem per gratiam sanctificantem, quæ est ipsa perfecta animę vita, sed per gratias actuales. quibus moveantur ad veros actus pœnitentiæ, quibus incipiant Deum vivere.

Debent etiã peccatores prius à Deo per gratias actuales ad vitam excitari quam solvi possint à peccatis.

807. Augustinum intelligendum esse de ista vivificatione per gratias actuales manifestè colligitur ex verbis quæ loco citato subjungit: *Lazarus*, inquit, *processit, sed adhuc ligatus est, adhuc involutus: tamen jam foras processit ...... quando confiteris, procedis; quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari, sed ut confitearis Deus facit magna voce vocando id est magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus; confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus, solvite illum & sinite abire.* Vbi vides Augustinum priorem illam peccatoris vivificationem non tribuere gratiæ sanctificanti, qua peccata formaliter remittuntur; sed gratiæ ad pœnitentiam excitanti. De qua etiam intelligendus est S. Greg.

De hac præcedenti vivificatione per gratias actuales intelligendi sunt Aug. & Greg.

808. Di-

808. Dices 3. Hieron. scribens in illud Matt. *quodcumque ligaveritis super terram &c.* sic loquitur: *istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio ut vel damnent innocentem, vel se solvere noxios arbitrentur, Cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur*: Deindè comparans Sacerdotes nostros cum Sacerdotibus antiquis, ait: *quomodo enim ibi* (videlicet in antiqua lege) *leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit* (hoc est sua declaratione facit ut mundus vel immundus habeatur) *sic & sic alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter.* R. Hieronymum ibi reprehendere nimiam quorumdam Sacerdotum licentiam in absolutione concedenda vel deneganda non habita sufficienti ratione dispositionis pœnitentium. Vti ut autem exemplo Sacerdotum veterum, ut ostendat quod sicut illi diligenter examinabant statum leprosi, priusquam illum declararent mundum aut adhuc immundum. Sic Sacerdotes nostri debeant attentè discernere inter veros & falsos pœnitentes antequam eos absolvant aut non absolvant. Cum quo stat hoc esse discrimen, quod illi non mundarent leprosum, sed tantum mundatum declararent: nostri autem verè abstergant lepram peccati.

Non reprehendit Hieronymus potestatem absolvendi sed abusum.

Quo sensu comparent Sacerdotes antiquæ legis cum nostris.

809. Dices 4 Amb. lib. 3. de Spiritu S. cap. 19. ait, *homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent non ius alicuius potestatis exercent.* R. Amb. his verbis non denegare ministerialem potestatem absolvendi, sed tantum principalem.

Sicut Sacerdotes verè absolvunt ita etiam verè ligant.

810. Dices 5. non est in Sacerdote potestas ligandi nisi ostendendo eum esse ligatum: ergo nec solvendi nisi ostendendo eum esse solutum. R. neg. ant. nam 1. est in eo potestas ligandi velut negativa, in quantum negando absolutionem, efficit ut remaneat ligatus, & positiva, in quantum obligat pœnitentem ad varias pœnas in satisfactionem obeundas.

811. Quamvis sensus obvius verborum formæ sit clarus: nam verba illa *absolvo te à peccatis tuis* clare significant peccata per eam remitti. Quia tamen difficilè est ostendere quomodo in hoc sensu

Adferuntur variæ sētētie

de sensu verborum absolutionis sacramentalis.

verificentur, quando peccata prius fuerunt remissa per actum contritionis, aut præcedentem absolutionem: ideo varii varie illa explicant. S. Thomas & post eum Thomistæ communiter dicunt hæc verba *absolvo te à peccatis tuis* eadem esse quoad sensum quam hæc *impendo tibi Sacramentum absolutionis*. Suares verò & alii volunt hunc sensum facere *confero tibi gratiam, quantum est de se, peccati remissivam*. Lugo autem, & multi recentiores docent intelligenda esse in prædicto sensu obvio de peccatorum remissione, sic ut idem significent, ac remitto tibi peccata tua.

Præfertur sententia asserens intelligendam esse in sensu obvio quo scilicet significatur remitti peccata.

Atque hæc sententia videtur mihi aliis duabus præferenda. 1. quia Christus instituens formas Sacramentorum non mutavit verborum, quibus constant, significationem ab hominibus impositam sed ea retenta illas cum materia elevavit ad esse sacramentale, ut patet in cæteris Sacramentis: atqui significatio ab hominibus imposita his verbis *absolvo te à peccatis tuis* non est hæc, ego tibi impendo Sacramentum absolutionis; vel confero tibi gratiam, quantum est de se, peccati remissivam: sed hæc, remitto seu condono tibi peccata tua: ergo &c. 2. quia ista verba faciunt illum sensum, quem Sacerdos solet apprehendere, dum absolvit: sed sensus ille non est alius; quam hic: remitto tibi peccata tua, ergo &c.

Neque propterea forma est falsa aut nugatoria quãdo prius fuerunt remissa peccata.

§ 12. Neque juxta hanc explicationem forma absolutionis est falsa aut nugatoria, quando pœnitens accedit perfectè contritus, aut ea tantum peccata confitetur, quæ prius fuerat confessus: quia licet utroque isto casu peccata pœnitentis fuerint remissa antequam Sacerdos eum absolvat, potest tamen remissio prius facta per novam remissionem vere ac serio confirmari. Vt etiam patet in humanis: nam qui post offensam semel condonatam iterum veniam rogatus, iterum eam condonat, ut sæpè accidit, non mentitur aut nugatur, sed nova condonatione verè ac seriò priorem condonationem confirmat. Ita qui semel se obligavit per aliquod votum aut promissionem ad aliquid præstandum, potest vere ac seriò

idem votum aut promissionem repetere: quia ista repetitio est vera confirmatio prioris voti aut promissionis.

813. Dices 1. non potest quis homini vinculis jam soluto verè ac seriò dicere, solvo te vinculis tuis: ergo similiter non potest Sacerdos pœnitenti jam à peccatorum vinculis soluto per contritionem, aut præcedentem confessionem verè ac seriò dicere: *absolvo te &c.* in sensu explicato R. neg. conseq. disparitas est quod solutio vinculorum, fit actio Physica & externa, quæ non potest fieri, nisi circa eum qui verè adhuc vinctus est. Solutio autem seu remissio peccatorum, fit actio Morali; quæ tendere potest in offensam præteritam, & jam condonatam, ita ut per novam condonationem verè confirmetur prior condonatio.

Non est eadem ratio physica solutionis à vinculis, & moralis à peccatis.

814. Dices 2. remittere peccatum, est efficere ut peccatum, quod ante erat, non sit amplius: ergo debet adhuc esse, ut remittatur, R. debere quidem esse ut primò remittatur seu tollatur: non autem ut prior remissio per novam remissionem confirmetur. Ita ut prima obligatio contrahatur per votum, debuit antea non esse ita obligatio: sed hoc non requiritur in voti reiteratione, qua ista obligatio confirmatur.

Per novam remissionem confirmatur prior remissio.

815. Dices 3. remittere offensam, est cedere juri ad eam puniendam: sed non possum cedere juri quod fuit & amplius non est; v. g. si Petrus debuit mihi centum florenos, & illos solverit, non possum tunc verè & seriò dicere, cedo juri quod habui ad istam solutionem, seu remitto tibi debitum tuum: ergo similiter hic. R. dist. mi. si jus illud sublatum fuerit per condignam satisfactionem, ut accidit in exemplo allato: conc. si per gratuitam condonationem, ut contingit in remissione peccatorum, nego: potest enim ista condonatio confirmari per iteratam condonationem, ut supra ostendimus.

Cessio juris ad puniendũ facta per gratuita cõditionem potest iterari.

816. Quandonam autem deneganda sit, aut differenda, aut concedenda absolutio, res est non levis momenti, nec exiguæ in praxi difficultatis. Quamvis enim certum sit denegandam esse aut differen-

dam absolutionem indisposito: concedendam autem disposito, nisi in dilatione appareat notabilis utilitas pœnitentis, nec dilatio fiat ipso invito; non rarò tamen difficilè est cognoscere an pœnitens habeat debitam dispositionem, an illa careat. Vndè exurgit periculum aut faciendi injuriam Sacramento, si absolutio concedatur indisposito: aut pœnitenti, si denegetur disposito, aut ei differatur ipso invito. Accedit periculum temerarii judicii circa indispositionem pœnitentis, & ex hoc capite adhuc peccandi. Ad quod utrumque velim diligenter advertant, qui tam faciles sunt in denegandis aut differendis absolutionibus: uti & ad primum qui omnes ferè indiscriminatim absolvunt. Ne igitur temerè adeoque illicite aut denegetur aut differatur, aut concedatur absolutio præcipuos casus adferemus in quibus deneganda aut differenda sit. Deinde trademus quænam sint signa debitæ dispositionis.

Fit injuria sacramento, si absolutio detur indisposito & pœnitenti si negetur disposito.

817. Itaque sequentibus casibus deneganda est absolutio 1. si penitens nolit restituere rem alienam, aut satisfacere pro damno illato, cum possit. Ratio clara est, quia non vult id facere quod necessarium est ad obtinendam peccatorum remissionem; & insuper ista nolitio novum peccatum est. Idem dicendum de eo qui non vult honorem restituere, quem injustè proximo abstulit. Dixi, *cum possit*, si enim desit potestas ad satisfaciendum, satis erit si satisfactionem promittat, dum facultas aderit, spondeatque se operam daturum ad eam sibi comparandam.

Neganda est absolutio nolenti restituere rem alienam, aut famam.

818. 2 Si pœnitens nolit injuriam sibi illatam condonare: si gravem vindictam mediterur: si cum aliorum scandalo velit reconciliationem diutius quam par est differre &c. quia nec ipse vult facere quod necessarium est ad justificationem; & insuper nolle injuriam condonare; vindictam meditari &c actuale peccatum est.

Neganda etiam est nolenti injuriā condonare.

819. 3. Si fœminæ nolint deponere habitum meretricium, aut tegere nuditatem graviter scandalosam. Quia velle permanere in hujusmodi habitu aut nuditate, est velle peccare. Idem dicendum est de luxu vestium, qui perveniat ad peccatum mortale: u

Vti & fœminis cū scandalo nudatis

si

si propter illum contrahantur debita, quibus non possit satisfieri: si famulorum stipendia non solvuntur: si indè gravè oriatur scandalum, &c. cæterum plerumque difficilè est judicare an perveniat ad peccatum mortale, idque pendet ex varijs circumstantiis, ad quas debet prudens confessarius attendere.

Item retinētibus voluntatem occasione data offerēdi aut acceptandi duellum.

820. 4. Si quis retineat voluntatem duellum occasione data aut offerendi, aut acceptandi: quia talis voluntas non potest retineri absque peccato mortali. Non est tamen vir nobilis de hac re interrogandus, nisi ex dictis appareat ipsum esse in ea voluntate: talis enim interrogatio non rarò esset ipsi occasio peccandi ob naturæ corruptionem, & infirmitatem ad resistendum isti tentationi; cum tamen non peccet eo quod tali tentationi succumberet, si accideret; modo tunc absit voluntas ad consentiendum.

Item ignorātibus mysteria fidei ad salutem necessaria.

821. 5. Si pœnitens ignoret, saltem culpabiliter, mysteria fidei, quorum cognitio necessaria est ad salutem: ut si nesciat mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. quia fides horum mysteriorum radix est & fundamentum nostræ justificationis. Itaque vel tunc sufficienter instruendus est, vel remittendus, monendusque ut curet se debitè instrui. Quod confirmatur ex decreto Innocentii XI. edito 2. Maii, in quo damnat hanc propositionem tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam: *absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; & etiamsi per ignorantiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Iesu Christi.*

Item nolentibus abstinere ab usura, à superstitionibus, ab arte divinandi, &c.

822. 6. Si nolit abstinere ab usura, à superstitionibus, ab arte divinandi, aliisque artibus aut commerciis illicitis. Quia certum est volūtatem in istis pergendi esse mortaliter malam. Atque hæc satis clara sunt. Major difficultas est ad determinandum, quandonam pœnitens ex frequenti relapsu in eadem peccata censendus sit indispositus, adeoque indignus absolutione: Re maturè perpensa, sic, salvo meliori judicio, videtur id mihi decernendum.

823. Si confessionibus aliquoties iteratis reincidentiæ pœnitentis in eadem peccata fuerint frequentes

Quandonam ob frequentes relapsus in eadé peccata deneganda sit absolutio.

quentes post singulas confessiones, eæque deliberatæ, atque incœperint eodem, aut uno aut altero die post confessionem: nec in præsenti confessione appareant signa majoris doloris, quam in præcedentibus, nec circumstantiæ sint mutatæ: talis videtur indispositus adeòque non absolvendus, quia frequentes istæ reincidentiæ in eadem peccata cum prædictis circumstantiis videntur sufficienter arguere defectum veri doloris, & sinceri propositi.

Ponderantur variæ in eũ finem circũstantiæ.

824. Dixi 1. *confessionibus aliquoties iteratis*: quia si v. gr. unica tantum confessio frequentes istos relapsus præcesserit, non potest indè communiter loquendo, sufficienter colligi inefficacia præsentis doloris ac propositi ad negandam absolutionem; sed poterit confessarius, postquam pœnitentem validis motivis excitaverit ad efficacem peccatorum dolorem rursus eum absolvere, si aliundè nihil obstet; ut perseverantia in occasione proxima, de qua paulò post: ut recusatio remediorum à confessario præscriptorum adversus relapsum, &c.

Quandonam censendæ sũt reincidentiæ esse frequentes.

825. Dixi 2. *& reincidentiæ fuerint frequentes*: quia certum est unam atque alteram reincidentiam intra aliquod tempus notabile non sufficere ut confessarius prudenter judicet pœnitentẽ antea caruisse, & jam carere vero emendationis proposito. Censendus autem relapsus frequens, si sit quotidianus, aut ferè quotidianus: imo, & talis videtur si ter aut quater contingat singulis septimanis, aut ad singulas occasiones recurrentes, &c. maximè si externo opere peccatum compleatur.

826. Dixi 3. *eæque deliberatæ*: quia si reincidentiæ fuerint indeliberatæ; ut sæpè contingit in iis qui assueti sunt juramentis, blasphemiis, malis imprecationibus, &c. non arguunt, quamvis frequentes, defectum veri doloris, ac sinceri propositi, quando vi prioris doloris ac propositi adhibent diligentiam aliquam ad tollendam pravam consuetudinem indeliberatè iurandi, blasphemandi, &c. secus, quando nullam.

827. Dixi 4. *& incœperint eodem, aut uno alterove die post confessionem*. Si enim pœnitens tantum

reinci-

reinciderit aliquamdiu post illam; sic ut vi doloris sui,& propositi ac gratiæ sacramentalis aliquamdiu à peccato abstinuerit: aut gravi tentationi restiterit: aut occasionem peccandi evitaverit, censendus est habuisse verum dolorem, ac sincerum propositum. Et relapsus postea secuti tribuendi sunt inconstantiæ ac fragilitati humanæ.

Abstinentia à peccato per aliquot dies post cōfessionem signum est veri doloris ac propositi.

828. Dixi 5. *nec in præsenti confessione appareant signa majoris doloris, quam in præcedentibus.* Si enim hujusmodi signa appareant, si præter morem singultiat, si lacrymetur, si paratus sit ardua quædam facere ad vitandum relapsum, aut saltem ea omnia quæ confessarius in eum finem suggeret, poterit iterum absolvi.

829. Dixi 6. *nec mutata fuerint circumstantia:* quia si tunc sublata esset occasio istorum relapsuum: si novum vitæ genus fuisset aggressus: si foret in mortis articulo, aut gravi ejus periculo, &c. absolvendus esset talis recidivus.

Attendendū est ad circūstantias ad negandam aut concedendam absolutionem.

830. Petes 1. quid faciendum sit confessario prima vice audiendi pœnitentē lapsum in multa mortalia ejusdem speciei, ut prudenter judicet sitne recidivus absolutione indignus, an non? R. debere ejusmodi pœnitentem interrogare à quo tempore ultimam confessionem instituerit: quia istius temporis cognitio necessaria est ad hoc ut judicet, fuerintne relapsus frequentes, an non: nam qui censendi sunt frequentes, v. g. respectū octidui, non sunt reputandi tales respectu aliquot mensium. Si attento temporis spatio videat pœnitentem frequenter peccasse, debet ulterius illū interrogare, an similiter relapsus fuerit frequenter in istud idem peccatum ante alias confessiones an aliquo tempore post illas abstinuerit ab isto peccato? undè oriantur frequentes isti relapsus &c. his enim aliisque similibus à pœnitente declaratis, facilè intelligit sitne juxta prædictas limitationes absolvendus an non.

Confessarius audiens frequentem relapsum, debet interrogare an id etiam antea acciderit.

831. Petes 2. an pœnitens de his, & similibus à confessario interrogatus teneatur ejus interrogationibus satisfacere? R. affir. cum enim talis cognitio sit sæpè confessario necessaria, ut ferat judicium de pœnitentis

Et pœnitens tenetur sincere respondere.

nitentis dispositione, & remediis ad eum curandum idoneis, habet jus, & sæpè obligationem eum de prędictis, & similibus interrogandi; ac proindè pęnitens tenetur sincerè ad ista respondere. Frustra enim esset jus in confessario, si pęnitens non obligaretur ad respondendum. Vndè merito nuper ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio, tanquam scandalosa, & in praxi perniciosa: *non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

De frequenti relapsu in peccata venialia.

832. Petes 3. an quæ diximus de frequenti relapsu in mortalia, habeant etiam locum respectu frequentis relapsus in venialia? R. habere etiam aliquo modo locum respectu venialium deliberatè commissorum: non verò respectu venialium, quæ ex aliqua subreptione, negligentia; aut subito aliquo motu eveniunt, ut non rarò contingit v.g. in mentis evagationibus tempore orationis, verbis otiosis, motibus impatientiæ, &c. frequens enim relapsus in talia venialia non tam arguit defectum doloris aut propositi, quam magnam naturæ corruptæ ad committenda ejusmodi venialia fragilitatem.

Quandonam denegãda sit absolutio ob permanentiã in occasione peccandi.

833. Specialiter nunc videamus quandonam deneganda sit absolutio propter perseverantiam in occasione peccandi? quia res hæc ob momentum suum, & frequentem recursum indiget speciali examine. Priusquam tamen aliquid statuamus, definiendum est, quandonam occasio peccandi sit proxima? quandonam remota? quænam sit voluntaria? quænam involuntaria? quia indè pendent quæ circa hanc materiam dicenda sunt.

Occasio peccandi alia proxima alia remota.

834. Itaque occasio peccandi dividitur in proximam, & remotam. Proxima est in qua quis frequenter peccat. Remota in qua rarò. Dixi in qua quis frequenter peccat: non autem in qua quis ferè semper peccat: aut sæpius peccat, quam non pecccat. Quis enim neget peccãtem v. g. ter singulis septimanis cũ domestica aut vicina versari in occasione proxima peccandi; cum tamen non possit dici sæpius peccare, quam non peccare, multò minus fere semper peccare; quandoquidem tribus tantum diebus peccet in-

tra

tra septimanam; & quatuor diebus à peccato abstineat. Quotnam autem relapsus requirantur ut quis intra septimanam aut mensem censeatur frequenter peccare, non potest præcisè definiri, cum non consistat in indivisibili, sitque id variè æstimandum secundum diversas species peccati, diversasque eius circumstantias, quæ à prudenti confessario ponderandæ sunt. Sicut enim quædam peccata v.gr. quæ ore, quæ cogitatione fiunt, facilius committuntur, quam quæ ipso externo opere exercentur: ita major numerus in illis, quam in his requiritur, ut censeantur committi frequenter.

Proxima est in qua quis frequenter peccat.

Quandonam quis censendus sit frequenter peccare?

835. Occasio peccandi quæ proxima est respectu unius, potest esse tantum remota respectu alterius, & contra: quia potest fieri, & reipsa sæpè fit ut quis in aliqua occasione frequenter peccet, altero in eadem non peccante. Imo non rarò accidit vt eadem occasio respectu ejusdem uno tempore sit proxima, quando nempè in ea frequenter peccat: altero autem tempore sit remota, quando nempe desiit in ea peccare, aut saltem tantum raro peccat. Itaque sitne proxima an tantum remota, non tam judicandum est ex natura istius occasionis, quam ex multitudine aut raritate lapsuum ex ea provenientium. Fatendum tamen multum etiam attendendum esse ad naturam occasionis: sicut enim minus speranda est emendatio, quando occasio talis naturæ est, ut multum per se excitet ad peccandum, qualis v.g. est cohabitatio cum ea cum qua quis peccavit, conversatio cum perversis sodalibus, &c ita facilius deneganda est aut differenda absolutio propter perseverantiam in hujusmodi occasione, quam in alia quæ minus excitat ad peccatum.

Quæ proxima est respectu unius potest esse remota respectu alterius.

836. Occasio proxima subdividitur in voluntariam, & involuntariam. Voluntaria censetur quæ deseri potest, & physicè, & moraliter. Involuntaria autem, quæ alterutro modo non potest deseri. Vnde alia est involuntaria physicè alia moraliter. Physicè involuntaria est, quando adest physica necessitas in ea permanendi: ut si quis in mari habeat concubinam

Occasio proxima peccãdi subdividitur in volũtariam, & involuntariam.

nam in navi: si vinctus sit in carcere aut triremi cum flagitiosis &c.

Involuntaria alia est talis physicè alia moraliter.

837. Moraliter involuntaria est, quando nequit deseri vel absque peccato, vel absque damno temporali valdè gravi. Primo modo moraliter involuntaria est cohabitatio domesticę peccantis cũ famulo ex aliquo contractu oneroso adeoque ex justitia obligato ad serviendum certo temporis spatio, aut peccantis cum filio familias, cujus opera Pater indigeat ad vitæ sustentationem. Neuter enim tunc potest absque peccato istam occasionem deserere, cum neuter possit inde absque peccato discedere. Talis quoque militia respectu militis frequenter in ea peccantis, cum non possit militiam invito duce absque peccato deserere, & venia, ut suppono, abeundi denegetur: uti & famulo in priori exemplo.

Assignantur aliquot exempla occasionis moraliter involuntaria.

Quantum debeat esse damnum temporale ut propter illud censeatur moraliter involuntaria.

838. Secundo modo involuntaria est permanentia in aliquo officio aut arte, aut mercatura &c in qua aliquis frequenter peccavit, si non possit officium istud, aut artem, aut mercaturam &c. relinquere sine damno temporali valde gravi. Quantum autem debeat esse damnum istud temporale, ut propter illud censeri possit occasio peccandi esse moraliter involuntaria, difficile est determinare; quia pendet ex variis circumstantiis ad quas debet prudens confessarius attendere: generatim dici potest requiri damnum adeò grave, ut illud subire communiter superet vires humanas; ut si v.g. vita exponenda esset evidenti periculo; si familia honesta ad mendicitatem redigenda; si viro honorato incurrenda infamia valdè gravis &c. his prænotatis videntur sequentes conclusiones tradendæ.

Non est absolvendus nolens deserere occasionem proximam voluntariam.

839. Si pœnitens nolit deserere proximam voluntariam occasionem peccandi, non est absolvendus. Conclusio certa est quia non potest quis velle in ea permanere absque peccato.

840. Si proxima peccandi occasio sit physicè involuntaria, & pęnitens appareat vere contritus, sitque paratus uti remediis adversus relapsum præscribendis, absolvi poterit semel atque iterum, ac deinceps si emendatio subsequatur. Hæc etiam conclusio

cluſio videtur certa; quia clarum eſt quod permanentia in tali occaſione non poſſit illi imputari ad culpam, cum nemo poſſit obligari ad fugiendam occaſionem, quam non poteſt fugere. Dixi, *ac deinceps ſi emendatio ſubſequatur*, quia ſi poſt unam atque alteram confeſſionem non appareat emendatio, differenda erit abſolutio donec ex lapſuum deſinentia, aut notabili imminutione videatur emendatus.

Secus ſi ſit phyſicè involuntaria.

841. Si proxima occaſio peccandi ſit primo modo moraliter inuoluntaria, hoc eſt talis ut non poſſit deſeri abſque peccato, idem dicendum eſt ac in præcedenti concluſione, cum etiam manifeſtum ſit neminem poſſe obligari ad deſerendam talem occaſionem; quando quidem nemo poſſit obligari ad peccandum ad vitandum peccandi periculum.

Item ſi ſit involuntaria moraliter ſic ut non poſſit deſeri abſq; peccato.

842. Si proxima occaſio peccandi ſit ſecundo modo moraliter involuntaria, hoc eſt talis, ut non poſſit deſeri abſque damno temporali valde gravi, non videtur pœnitens ſtatim per negationem abſolutionis obligandus ad eam relinquendam; ſed ſi appareat verè contritus, poteſt ſemel atque iterum abſolui: cum enim, abſolutè loquendo, in ea permanens poſſit vitam corrigere, temere & cum injuria obligaretur ad eam cum damno valdè gravi ſtatim deſerendam. Prius igitur tentanda eſt emendatio per alia media ad eum finem idonea, niſi fortè occaſio talis naturæ ſit, ut ea perſeverante non poſſit emendatio prudenter ſperari. Quod ſi aliis mediis adhibitis nulla appareat vitæ correctio, tunc non obſtante iſto graui damno temporali obligandus eſt per negationem abſolutionis ad iſtam occaſionem deſerendam. Et verè tunc ipſe ſub mortali tenetur eam deſerere; quia peccatorem adeo fragilem, & remedia adverſus reincidentiam præſcripta ſæpius fruſtra expertum velle adhuc permanere in tali occaſione, eſt illum interpretativè velle peccare. Quare in hoc caſu urget illud Chriſti, *ſi oculus tuus ſcandalizavit te, erue eum &c.*

Aut damno temporali valdè gravi.

Quod ſi nulla ſubſequatur emendatio denegandа etiam eſt abſolutio permanenti in tali occaſione.

843. Dixi *niſi occaſio talis natura ſit &c.* diligenter enim advertendum eſt ad naturam occaſionis, an ſc. talis ſit ut de ſe multum incitet ad peccandum, ita

Diligenter attendendū eſt ad natu-

ut

ut rarò fiat, ut quis in ea perseveret & non peccet frequenter: qualis v. g. est cohabitatio cum fœmina carnaliter sæpius cognita, familiaris conversatio cum perversis sodalibus &c. An verò ejus naturę sit, ut tantum velut per accidens aliquos moveat ad peccandum: ita ut multi reperiantur in simili occasione, qui tamen ab ea non inducuntur, aut rarò inducuntur ad peccandum: qualis v. g. respectu quorumdam est agere judicem, consiliarium, advocatum, mercatorem &c. Certum enim est esse majorem obligationem relinquendi occasionem primi generis, quam secundi, faciliusque denegandam esse aut differendam absolutionem propter illam, quam propter hanc; quia scilicet non tam facilis est emendatio in illa quam in hac.

ram occasionis.

Multò magis vitanda est occasio quæ per se inducit ad peccatum quam quæ tantum per accidens

844. Quamvis in quibusdam ex casibus, hactenus allatis, aliquoties dixerimus denegandam esse aut differendam absolutionem, quasi pro eodem sumentes denegare aut differre, eo quod in illis casibus videbatur sufficere dilatio. Quia tamen plus est denegare quam differre absolutionem, majorque causa requiritur ad eam simpliciter denegandam, quam ad eam tantum differendam. Nunc per aliquot conclusiones trademus, quandonam videatur non tam neganda quam differenda.

Si dispositio pœnitentis appareat dubia differenda est absolutio.

845. Si dispositio pœnitentis omnibus attentis appareat dubia, sic ut non adsint sufficientia indicia debitæ ejus dispositionis, differenda est absolutio, donec habeantur sufficientia hujus rei signa. Alioqui enim absolutio sacramentalis temerè exponeretur periculo nullitatis. Ab hac conclusione excipe mortis articulum aut præsens ejus periculum: tunc enim saltem sub conditione danda esset absolutio propter periculum æternæ damnationis ex defectu absolutionis.

Quandonam autem dispositio pœnitentis censenda sit prædicto sensu dubia, pendet ex variis circumstantiis ad quas debet prudens confessarius reflectere. Claritatis causa quosdam casus qui arguunt dubiam dispositionem, trademus, ex quibus facilè erit de aliis similibus judicare.

846. Du-

846. Dubia videtur pœnitentis dispositio. 1. si reincidentiæ in eadem peccata post confessiones a li quoties iteratas, sint adhuc frequentes quia vix credibile est ipsum sæpiùs habuisse verum de iis dolorem, & sincerum emendationis propositum, & nihilominus frequenter adhuc relapsum esse in eadem peccata: hic tamen casus eget quibusdam limitationibus, quas notavimus num 823. & seqq. 2. si aliquoties promiserit seu famæ, seu bonorum fortunæ restitutionem, & promissum necdum impleverit absque justa causa. 3. si contra fidem semel atque iterum datam necdum deseruerit occasionem peccandi. 4. si aliquoties spoponderit se rediturum in amicitiam cum proximo, & palam se daturum reconciliationis signa ad tollendum publicæ inimicitiæ scandalum, & promissis non steterit. Et idem dicendum est de non servatis aliis promissionibus circa res graviter obligantes.

Adferuntur aliqui casus in quibus dubia videtú pœnitentis dispositio.

847. Differenda etiam videtur absolutio per se loquendo, si post confessionem diu omissam & frequentes lapsus appareat pœnitentem negligenter conscientiam examinasse: quia tunc esset magnum periculum absolvendi culpabiliter non integrè confessum: quod est illicitum.

Dubia etiam videtur quádo post frequentes lapsus, & confessioně diu omissam apparet pœnitentem negligenter examinasse conscientiá.

Dixi *per se loquendo*: quia per accidens non esset propterea absolutio differenda sequentibus casibus. 1. si instaret mortis periculum. 2. si pœnitens videretur adeò rudis, ut non posset per seipsum sufficienter conscientiam discutere. 3. si appareret hic & nunc verè contritus, & crederetur dilata absolutione non habiturus opportunitatem redeundi, aut alia ex causa non rediturus. His tamen & similibus casibus tenetur confessarius diligenti interrogatione defectum examinis supplere.

848. Si peccata pœnitentis fuerint publica, ut si v.g. fuerit publicè usurarius, concubinarius &c. non est publicè absolvendus ante publicam emendationem, quamvis videretur benè dispositus: quia talis absolutio esset scandalosa. Posset tamen privatim absolvi, si dolor ejus appareret verus, & propositum emendationis sincerum.

Potest quandoque absolutio etiam bene disposito ad breve aliquod tempus differri.

849. Si confessarius omnibus attentis judicaret profuturam pœnitenti absolutionis dilationem, v. g. ut criminum suorum gravitatem magis apprehenderet, aut citius & efficacius occasionem peccandi desereret, rem alienam restitueret; aliasve obligationes impleret &c. licet appareret benè dispositus, posset nihilominus laudabiliter illi ad aliquod breve tempus absolutionem differre, saltem non invito: quia cum non sit tantum judex pœnitentis, sed etiam medicus, potest laudabiliter ea media adhibere quæ prudenter judicat spirituali ejus sanitati profutura.

Non tamen debet id facilè fieri.

Dixi 1. *ad aliquod breve tempus*: quia diuturna absolutionis dilatio nullo modo videtur usurpanda respectu benè dispositi: quia per hoc exponeretur periculo diu remanendi in statu peccati, cum incertum sit an habeat perfectam contritionem. Vndè incurreret & periculum damnationis, & jacturæ bonorum operum, quæ tunc exerceret. Quæ duo probant rarò quoque differendam tunc absolutionem etiam ad breve tempus, nec nisi ob evidentem pœnitentis utilitatem, quæ hæc duo pericula compenset.

Præsertim si talis pœnitens non cōsentiat in dilationem.

Dixi 2. *saltem non invito*: quia cum pœnitens debitè dispositus habeat jus ad absolutionem, non videtur illi invito differenda: Quod maximè habet locum, si per istam dilationem prævideatur periculum esse ne cogatur iterum alteri eadem peccata confiteri: injustè enim hoc onus illi imponeretur.

Erroneum est generatim asserere differendam ablolutionē donec pœnitens vitam emendaverit.

850. Erroneum est generatim asserere differendam esse absolutionem pœnitenti, donec per tempus aliquod notabile à peccatis commissis abstinuerit. Prob. 1. quia certum est ad absolvendum pœnitentem integrè peccata sua confessum sufficere, si habeantur solida indicia veri doloris, & sinceri propositi: qualia certum etiam est sæpè haberi antequam pœnitens notabili aliquo tempore à peccatis commissis abstinuerit. 2. quia talis dilatio esset contra finem Sacramenti Pœnitentiæ; cum non tantum sit institutum ad peccatorum commissorum remissionem, sed etiam ad futurorum vitationem per gratias

actua-

actuales, quæ intuitu hujus Sacramenti recepti in eum finem conceduntur. 3. quia pœnitens debitè dispositus habet jus ad absolutionem hic & nunc obtinendam: ergo non potest ipsi invito differri, nisi fortè dilatio ad aliquod breve tempus appareret multum illi profutura.

851. Erroneum etiam videtur asserere pœnitenti recidivo, ex eo præcisè quod sit recidivus, semper aut ordinariè differendam esse absolutionem, donec notabili tempore à peccato, in quod aliquoties reincidit, abstinuerit. Prob. hæc conclusio iisdem argumentis, quibus prior: habent enim quoque vim suam respectu hujus conclusionis, ut consideranti patebit. Cum hac tamen distinctione, quod pœnitens recidivus non tam facilè judicari debeat benè dispositus, quam non recidivus: eoque difficilius, quo sæpiùs reinciderit. Non potest tamen negari, quin etiam respectu illius possit sæpè confessarius habere sufficientia signa quod verè doleat de peccatis & sincerè emendationem proponat; quænam autem sint illa signa, dicemus infra.

Erroneum etiam est id asserere de recidivo ex eo præcisè quod sit recidivus.

Dixi 1. *ex eo præcisè quod fuerit recidivus*: quia si fuerit simul recidivus & consuetudinarius; hoc est si confessionibus aliquoties iteratis perrexerit in prava sua peccandi consetudine, deneganda erit aut differenda absolutio juxta dicta num. 822. & seqq. Distinguendus igitur est recidivus à consuetudinario; licet enim omnis consuetudinarius sit recidivus; non tamen contra omnis recidivus est consuetudinarius, ut enim pœnitens sit recidivus satis est quod post confessionem adhuc reinciderit in idem peccatum, licet non sæpè. Ut autem sit consuetudinarius, debet sæpè reincidisse.

Deneganda tamen est aut differenda recidivo simul, & consuetudinario juxta dicta num. 822.

Dixi 2. *semper aut ordinariè differendam esse*; non enim negamus posse quandoque recidivo etiam disposito absolutionem laudabiliter differri, quando nempè omnibus attentis absolutè judicatur dilatio ei profutura: sed tantum negamus debere semper aut ordinariè id fieri, putamusque erroneum esse id asserere propter rationes supra allatas num 849. videtur que experientia constare certiùs esse remedium ad

Quandonam possit differri tantum recidivo.

obtinendam recidivi emendationem ; præscribere illi frequentem confessionem ; quam absolutionem differre.

Ad absolvendum pœnitentem recidivum sufficit prudens judicium de bona ejus dispositione.

852. Dices 1. priusquam confessarius pœnitentem absolvat debet esse moraliter certus, quod habeat efficacem peccatorum dolorem, & efficax emendationis propositum: atqui non potest habere hanc moralem certitudinem saltem respectu recidivi antequam vi doloris sui ac propositi aliquamdiu à peccato abstinuerit: ergo &c. R. sufficere prudens judicium de efficaci dolore ac proposito pœnitentis: unde si per moralem illam certitudinem aliud intelligatur, quam istud prudens judicium, neganda est major. Ut autem confessarius prudenter judicet pœnitentem efficaciter dolere de peccatis, non est necesse ut videat illum aliquamdiu à peccatis vi doloris sui ac propositi abstinuisse: sed sufficit si habeat solidas rationes ob quas judicet illum vi doloris sui ac propositi ita esse interius affectum ut verè nolit amplius peccare. Vide quæ supra diximus num. 638. de efficacia doloris.

Neq; doctrina nostra de recidivis repugnat doctrinæ S. Caroli Borromæi.

853 Dices 2. doctrina hæc videtur repugnare instructioni quam tradit S. Carolus Borrom. p. 3. instruct. pastoral. cap. 15. ubi sic habetur *est præterea consultum absolutionem differre: donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicunt ac pollicentur quod se eximent à peccato: tamen confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.* Pro primis illis verbis *est præterea consultum*, lingua italica, in qua Borromæus suas instructiones scribit, habetur, *differatur adhuc absolutio donec &c.* quæ verba videntur non tantum importare consilium, sed etiam obligationem.

Dubium est an verba Borromæi importent obligationē an consilium & utroque modo explicantur.

R. si prædicta verba importent obligationem intelligenda esse in casu quo rationes istius metus sic prævaleant rationibus contrariis, ut confessarius non possit prudenter judicare pœnitentem esse benè dispositum, ut plerumque contingit in exemplis quæ ibidem adfert: *ex hoc*, inquit, *genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam & inhonestos amores sequuntur, qui libi-*

dini.

dinibus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant in odiis ac detractionibus versantur quotidiè, & confessionem differunt in ultimos quadragesimæ dies. Si autem tantum importent consilium, intelligenda sunt in casu quo absolutionis dilatio judicetur profutura pœnitenti. Certè non est credibile S. Borromæum tantam certitudinem requisivisse de futura pœnitentis emendatione, ut omnem probabilem relapsus formidinem excluserit. Imò judicium illud quo confessarius judicaret certum esse pœnitentem non esse amplius relapsurum, esset temerarium utpotè repugnans inconstantiæ, & fragilitati humanæ.

854. Dices 3. non solet Deus in momento peccatores convertere: ergo per absolutionis dilationem & vitæ emendationem probandi sunt an sint verè ad Deum conversi. R. certum esse multos peccatores verè ad Deum converti intra breve aliquod tempus: quam enim multi audita ferventi aliqua concione, aut ex lectione libri pii, aut ex inopinato aliquo casu ita conversi sunt. Cæterum peccatores ad confessionem accedentes non solent tunc tantum ad Deum converti, cum peccata confitentur; sed ordinariè prius conversi sunt, & vi conversionis suæ confessarium adeunt, conscientiam examinant, dolent de peccatis, proponunt emendationem, peccata confitentur. Ac proinde adfuisse sufficiens tempus ad veram conversionem non est dubitandum.

Certum est sæpè peccatores intra aliquod breve tẽpus verè ad Deum converti.

855. Dices 4. peccator debet prius per pœnitentiam Deo satisfacere pro peccatis, quam ab iis absolvi: hæcque erat praxis primis Ecclesiæ sæculis, ut patet ex canonibus pœnitentialibus. R. neg. assump. Id enim apertè est contra hodiernam universæ Ecclesiæ praxim postponentis satisfactionem absolutioni. Neque primis Ecclesiæ sæculis contrarium fiebat pro peccatis occultis, sed tantùm pro publicis. Quamquam nec credibile est sacramentalem eorum absolutionem dilatam fuisse ad plures annos quibus aliquando durabat publica pœnitentia juxta canones peragenda: sed aliam non sacramentalem, qua vel à censuris, vel à pœnis ulterioribus absolveban-

Non debent peccatores prius pro peccatis satisfacere quã ab illis absolvantur.

Neq; id olim fiebat pro peccatis occultis.

tur, & communioni Ecclesiæ aut dignitati, aut officio restituebantur.

Fieret injuria pœnitenti si illi benè disposito differretur absolutio.

Quamvis constet pœnitentem toties absolvendum esse quoties omnibus attentis apparet benè dispositus, nec dilatio absolutionis videtur ei profutura; quia cum habeat jus ad absolutionem fieret illi injuria, si differretur absque apparenti utilitate. Non rarò tamen difficultas est in judicando an sit debitè dispositus. Vnde jam trademus aliquot signa ex quibus id possit colligi.

Adferuntur varia solida indicia debitæ dispositionis ad obtinendam absolutionem.

856. Solida indicia debitæ dispositionis sunt. 1. confessio accuratè facta post diligens conscientiæ examen, idque ex proprio motu: non ex parentum aut magistri, alteriusve authoritatem habentis imperio. Eam autem accuratè fieri patet cum & singulæ peccatorum species, & determinatus eorum numerus cum circumstantiis malitiam aggravantibus distinctè exprimuntur. 2 gemitus, lacrymæ, suspiria aliaque hujusmodi signa intensi doloris. 3. difficultas gravis superata in retegendo infami aliquo crimine, quod in aliis confessionibus præ pudore fuerat prætermissum. 4. longum ac molestum iter confessionis causa susceptum. 5. eleemosynæ, jejunia, orationes, missæ, sacrificia &c. Deo oblata ad obtinendam gratiam veræ pœnitentiæ. 6. generalis confessio peccatorum totius vitæ. 7. prompta voluntas ad subeundas graves pœnas in peccatorum satisfactionem; aut difficilia remedia adversus relapsum adhibenda. 8. occasiones peccandi magna cum animi lucta abruptæ: aut graves tentationes superatæ. 9. abstinentia à peccato per dies aliquot ante confessionem, idque illius intuitu. Hæc enim & similia signa satis ostendunt pœnitentem accedere cum vero peccatorum dolore, & sincero emendationis proposito.

Credendum est pœnitenti asserenti se verè de peccatis dolere & sincerè emendationem proponere.

Quia tamen non raro absunt ista specialia debitæ dispositionis indicia; nec aliud habetur argumentum debiti doloris ac propositi, quam quod pœnitens dicat se verè de peccatis dolere, & emendationem proponere, difficultas est circa hanc nudam pœnitentis testificationem, an scilicet sufficiat ut confes-

sarius prudenter judicet eum esse debitè dispositum. Pro quo sit sequens conclusio.

857. Seclusis specialibus rationibus judicandi pœnitentem carere verò dolore, ac sincero proposito, aut de hac re dubitandi, ut sunt perseverantia in occasione peccandi, relapsus admodum frequentes &c. de quibus superius: credendum est pęnitenti asserenti se vere de peccatis dolere ac sincere emendationem proponere. Ita DD. communiter cum S. Th. ratio est, quod Christus ita instituerit tribunal pęnitentiæ ut in eo pęnitens sit simul & reus, & accusator & testis: ergo sicut illi creditur accusanti & testificanti crimina sua: ita etiam credendum illi est testificanti dolorem suum ac propositum.

858. Hanc doctrinam expresse tradit S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 2 quæstiunc. 7. ad 2. his verbis: *in foro conscientiæ creditur homini, & pro se, & contra se; non autem in foro exterioris judicii*. Item quodlib. 1. art. 12. *dicendum quod in foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se. In foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se & contra se*. Et ibid. ad 2. *dicendum quod spiritualis Pastor vultum pecoris sui debet diligenter agnoscere considerando exterius vitam ejus. Sed per modum confessionis non potest diligentius scrutari; sed oportet ut credat ea quæ à subdito sibi dicuntur*. Et manifestum est quod in variis debeat illi credi etiam pro se loquenti, ut cum v.g. dicit se rem aliquam restituisse, occasionem peccandi deseruisse, offensam condonasse &c. quidni ergo illi etiam credat testificanti dolorem suum & propositum emendationis, quando non occurrunt graves in contrarium rationes. Certe multum cavere debet confessarius, ne ob leves rationes temere judicet pęnitentem carere debito dolore ac proposito, dum utrumque affirmat: nam sic judicando duplicem illi inferret injuriam, 1. temere judicando eum non sincere agere & loqui in re tanti momenti. 2. denegando aut differendo illi absolutionem propter hoc temerarium judicium.

Credendū est se pœnitenti pro se, & contra se loquenti expresse asserit S. Th.

Cavere debet confessarius ne temerè judicet pœnitentem esse indispositum.

859. Confir. quia pęnitens, nisi contrarium ex solidis indiciis appareat, præsumendus est sincerè agere in hoc tribunali, dum dolorem suum ac pro-

Quod si de ejus dispositione dubitet ea ex ipso petat ex quibus possit sufficienter agnosci debita ejus dispositio.

positum testatur ; quandoquidem communiter instructus satis sciat se non posse à peccatis validè absolvi absque verò dolore ac proposito: cum tamen in eum finem peccata sua non sine ingenti plerumque rubore confessario aperiat. Quia verò aliquando etiam accidit, ut non fictè quidem agat, dum dolorem suum ac propositum testatur, ipse tamen fallatur existimans vel ex ignorantia, vel ex vana præsumptione se esse dispositum, cum reipsa non sit: ideò confessarius habens justam rationem dubitandi de ejus dispositione, debet ex illo ea petere, ex quibus possit id colligere. Eumque admoneat posse quidem se verbis ejus decipi, non item Deum: nec validam absolutionem nisi verè coram Deo de peccatis doleat, ac sincere emendationem proponat. Tum valida doloris motiva adferat, ut eum debitè disponat, & prudenter absolvat.

§. VIII.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ & jurisdictione in eo requisita & approbatione.

De fide est solum Sacerdotem posse esse ministrũ Sacramenti Pœnitentiæ.

860. Solus Sacerdos potest esse minister hujus Sacramenti. Est de fide contra Vvicleffum. Prob. 1. ex script. Ioan. 20. v. 22. ubi Christus ad solos Apostolos, ac Discipulos Sacerdotes, eorumque successores hæc verba dirigit: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* 2. ex florent. in decreto de Sacram. & nominatim ex Trid. sess. 14 cap 6. & can. 10. ubi hæc veritas clare definita est. 3 ex traditione & perpetuo usu Ecclesiæ.

861. Dices 1. Iacobi 5. v. 16. indeterminate dicitur *confitemini alterutrum peccata vestra*. R. vel illic non agi de confessione Sacramentali: sed de altera, quæ fiat ad sui humiliationem, aut consilium petendum. Vel sensum esse non soli Deo, sed etiam hominibus ad id deputatis, seu Sacerdotibus peccata esse confitenda.

862. Dices 2. Cyprianus lib. 3. epist. 17. reconciliationem pœnitentium committit Diacono in absentia

tia Sacerdotis, & capitulo Fures, de furtis dicitur *si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*. R. Cypr. non agere illic de reconciliatione Sacramentali: sed de altera ceremoniali, qua peccatores post publicam pœnitentiam reconciliabantur Ecclesiæ, ejusque communioni restituebantur. Capitulum autem citatum videri mendosum: nam in Concilio Tibur. can. 31. ex quo desumptum est, non habentur ista duo verba *vel Diacono*, sed *Deoque & Sacerdoti*.

Cyprianus non agit de reconciliatione sacramentali dum illam committit Diacono.

263. Dices 3. Aug. lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 10. ait: *si deest Sacerdos, confitentur laico*. Et Beda scribens in cap. 5. Iac. *coæqualibus*, inquit, *quotidiana & levia, graviora verò Sacerdotibus pandamus*. Et Magister dist. 17. docet peccata primum Deo, deinde Sacerdoti esse confitenda, *& si defuerit, etiam socio*. Et S. Thom. in eand. dist. q. 3. a. 3. quæstiunc. 2. dicit, *in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit*. R. librum illum non esse Augustini, ibique solum commendari confessionem laico factam, tanquam utilem ad veniam à Deo impetrandam ex opere operantis propter humiliationem confitentis. Idem dicendum est ad Bedam, Magistrum, & S. Thomam. Qui duo postremi expresse docent solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti: Magister quidem loco citato. S. Thomas autem ibid. quæstiunc. 1. in O.

Potest confessio utiliter fieri laico ad se humiliandum aut cõsilium petendum.

264. Non tamen potest quilibet Sacerdos validè administrare hoc Sacramentum præcisè vi suæ ordinationis, sed præterea requiritur ut accipiat & approbationem, saltem respectu sæcularium, & habeat jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam.

Vt Sacerdos validè sæculares absolvat, debet esse approbatus ab ordinario aut ejus vicario.

Approbatio est authenticum testimonium Episcopi aut vicarii ejus de aptitudine & capacitate Sacerdotis ad audiendas confessiones. Cuilibet Sacerdoti necessaria est ista approbatio ad audiendas confessiones ita Trid. sess. 23. c. 15. *sæcularium etiam Sacerdotum, decrevit S. Synodus nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum*

audire.

audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat; aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstantibus &c. Non tantum autem illicitum est audire sæcularium confessiones absque approbatione, sed etiam absolutio est invalida: quamvis enim Tridentinum non dicat expressè irritam esse hujusmodi absolutionem; satis tamen apparet hanc esse ejus mentem: & ita ejus decretum interpretatur communis DD. sensus.

Privilegia omnia in contrarium revocata sunt à Tridentino.

865. Cum autem Tridentinum tantum agat de confessionibus sæcularium: consequens est ut nihil innovaverit circa confessiones regularium sive virorum sive fœminarum ac proinde vi istius decreti non sit necessaria ista approbatio in ordine ad istas confessiones.

Tridentinum nihil innovavit circa confessiones regularium.

Dixi *vi istius decreti*; erat enim Bulla Gregorii XV. data anno 1622. quæ incipit *Inscrutabili Dei providentia* expressè statuentis ut nullus Sacerdos sive regularis sive sæcularis possit monialium confessiones audire, nisi fuerit ab ordinario approbatus. Unde vi istius Bullæ requiritur etiam approbatio ad audiendas monialium confessiones. Lezana tamen tom.1. quæst. Regul. cap.19. num.35. testatur hanc Bullam suspensam fuisse ab Urbano VIII. respectu terrarum Regis Hispaniæ subjectarum adeoque respectu Belgii, quod tunc Hispano suberat: atque loco citato uti, & consulto 40. num. 43. se vidisse istius suspensionis Bullam. Certè satis constat ex praxi contraria non fuisse prædictam Gregorii constitutionem in Belgio receptam. Si tamen moniales fuerint ordinario subjectæ: sicut ad illas audiendas accipienda est facultas ab ordinario, ita & approbatio. Hoc ipso tamen quo dat facultatem, dat etiam approbationem.

Bulla Greg. XV. requirens approbationem respectu monialium non videtur recepta in Belgio.

866. Qui habent beneficium aut officium, cui annexa est cura animarum, ut Episcopi, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, Decanus capituli, Parochi &c. hoc ipso quod ad tale benefi-

Opus tamen est approbatione ad audiendas mo-

cium

cium aut officium assumuntur censentur idonei ad suorum subditorum confessiones audiendas & dicuntur ipso jure approbati. Si tamen beneficium suum relinquant, aut eo priventur; egent, ut cæteri, approbatione ad confessiones audiendas.

niales Episcopo subjectas.

Petes 1, cujusnam Episcopi necessaria sit approbatio? an Episcopi loci in quo audiuntur confessiones? an Episcopi pœnitentis? an confessarii?

867. R. non necessariò requiri approbationem ab Episcopo loci in quo audiuntur confessiones: nam approbatus v.g ab Episcopo Atrebatensi ad audiendas confessiones Atrebatensium, potest Atrebatensem absolvere in diœcesi v.gr. Tornacensi, si per illam iter faciens eum reperiat iter quoque illac habentem. Ratio est quod locus tunc habeat se tantum per accidens respectu istius confessarii & pœnitentis: & uterque adhuc sit diœcesis Atrebatensis. Aliud foret, si jam Atrebatensis ille in diœcesi Tornacensi sedem fixisset: quia tunc desiisset esse subditus Episcopi Atrebatensis: ac proindè approbatio ab eo accepta non amplius valeret respectu istius hominis.

Non necessario requiritur approbatio Episcopi loci in quo audiuntur confessiones.

868. Neque etiam necessariò requiritur approbatio ab Episcopo ipsius pœnitentis. Nam confessarii regulares privilegiati accipientes à Pontifice jurisdictionem in omnes Christi fideles, supposito quod sint approbati ab Episcopo loci in quo audiunt confessiones, possunt validè absolvere pœnitentes ex altera diœcesi illuc venientes. Quod non possent facere, si deberent esse approbati ab Episcopo pœnitentis.

Neq; etiam necessariò requiritur approbatio Episcopi pœnitentium.

Dixi *regulares privilegiati*; quia confessarii sæculares, aut etiam regulares non privilegiati non possunt absolvere pœnitentes ex altera diœcesi venientes: quia nullam habent in eos jurisdictionem: cum enim ipsi non tantum approbationem sed etiam jurisdictionem accipiant ab ordinario: hic autem nullam habeat jurisdictionem in subditos alterius diœcesis non potuerunt ab eo istam jurisdictionem accepisse.

Excipe 1. peregrinos: illi enim jure communi tempore

pore peregrinationis fiunt velut subditi Episcopi loci in quo peregrinantur in ordine ad Sacramenta, adeòque possint absolvi à confessariis ab ordinario deputatis ad confessiones illic audiendas. Excipe 2. eos qui negotiorum aut alterius rei causa diutius extra suam dioecesim commorantur.

Peregrini fiunt velut subditi Episcopi loci in quo peregrinantur.

869. Itaque approbatio necessaria ad confessiones audiendas haberi debet ab Episcopo confessarii. Ita DD. communius. Et sequitur ex duabus praecedentibus conclusionibus, si enim nec necessaria sit approbatio Episcopi loci in quo audiuntur confessiones: nec sit necessaria approbatio Episcopi poenitentis superest ut tandem necessaria sit approbatio Episcopi ipsius confessarii. Et ratio id etiam suadet, quia cum approbatio sit authenticum testimonium de idoneitate confessarii ad confessiones audiendas, videtur esse actus jurisdictionis: nullus autem Episcoporum magis censendus est habere quoad hoc jurisdictionem respectu confessarii quam ejus Episcopus.

Necessaria est approbatio Episcopi confessarii.

Quia tamen constat Episcopos eos etiam approbare ad confessiones in sua dioecesi audiendas, qui in aliena commorantur, alterutrum dicendum est: vel confessarium petentem approbationem ab Episcopo alterius dioecesis, quam suae fieri per hanc petitionem velut transeunter & in ordine ad istam approbationem istius Episcopi subditum, à quo illam petit, in quantum nempe per istam petitionem se illi subiicit tantum suo quoad hoc Episcopo. Vel certè etiam necessariam esse approbationem Episcopi poenitentium, quando poenitentes alterius sunt dioecesis quam confessarius, & in propria dioecesi audiri debent.

Et etiam poenitentium quando sunt alterius dioecesis quam confessarius & in ea audiuntur.

870. Imo nisi dicatur confessarium petentem approbationem ab aliquo Episcopo, fieri, ut diximus, velut transeunter ejus quoad hoc subditum, non erit semper necessaria approbatio Episcopi ipsius confessarii: non enim videtur negandum posse Episcopum v.g. Tornacensem approbare aliquem Sacerdotem in dioecesi v.g. Atrebatensi commorantem ad confessiones in dioecesi Tornacensi audiendas, needum ab

Potest Episcopus approbare pro sua dioecesi Sacerdotem alterius dioecesis in propria needum approbatum

ab Atrebatensi approbatum ad illas audiendas in dioecesi Atrebatensi.

Vnde fortè melius & universalius diceretur necessariam esse & sufficere approbationem Ordinarii loci in quo audiuntur confessiones: dempto enim casu quem supra attulimus num. 877. & secluso speciali privilegio a summo Pontifice obtento, reperietur id esse verum, & conformius est jam dicendis.

871. Petes 2. an approbatus ab uno Episcopo censendus sit approbatus pro universa Ecclesia? Affirmant Henriquez lib. 6. cap. 61. aitque suo tempore ita communiter Theologos sensisse. In eandem sententiam propendent Coninck & Præpositus asserentes hanc fuisse praxim in Belgio, ut regularis approbatus in una dioecesi haberetur etiam pro approbato respectivè ad alias Belgii dioeceses ex tacito saltem Episcoporum consensu.

Qui approbatus est pro una dioecesi non est approbatus pro aliis dioecesibus sed in singulis indiget nova approbatione.

Aliter tamen nunc sentiendum est 1. ex responsione Innocentii X. in causa PP. Societatis Iesu cum Episcopo Angelo-politano; in qua ait: *Regulares etiam Societatis Iesu in una dioecesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sacularium audiendas, nequaquam posse in alia dioecesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi dioecesani* 2 quia hæc propositio: *Regulares ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua dioecesi, habentur pro approbatis in aliis dioecesibus: nec nova Episcoporum indigent approbatione*, damnata est ab Alexandro VII. in brevi dato ad Episcopum Andegavensem in Gallia 2. Ian. 1659.

Ita statutum est ab Innoc. X. Alexand. VII. & Clemente X.

872. 3. Ex constitutione Clementis X. quæ incipit *superna magni Patris familias* in qua idem decernit his verbis: *Ad hac Religiosus ab Episcopo ad confessiones sacularium in sua dioecesi audiendas approbato, non posse in alia dioecesi absque Episcopi diversa approbatione audire; quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi fuerunt approbati*. Quæ postrema verba videntur cum hac limitatione intelligenda, ut tantum prohibeat ne quis Regularis se ad audiendas confessiones exponat in ea dioecesi, in

Speciatim expenduntur verba Clementis X.

qua

qua non potest approbatus, etiamsi pœnitentes eo confluentes v.g. ex vicino pago essent diœcesi Episcopi à quo fuisset approbatus. Non autem ita universaliter ut etiam nolit approbatum pro sua diœcesi iter fortè agentem per alteram posse illic privatim audire confessionem pœnitentis ejusdem secum diœcesis illac pariter iter facientis: quia tunc ut supra advertimus num. 887. locus alterius diœcesis habent se tantum per accidens respectu illius confessarii pœnitentis.

Id etiam cõformius est Tridentino & rectæ rationis.

873. Id etiam videtur conformius Tridentino sess. 23. cap. 15. de reform. requirenti in confessariis approbationem ab Episcopis. Quo plurali numero insinuat in diversis diœcesibus requiri diversas Episcoporum approbationes. Et ratio idem suadet: quia in diversis locis non rarò requiritur diversa confessarii capacitas & idoneitas ad confessiones audiendas ob diversum hominum genus, diversos mores, diversos contrahendi.

Excipiuntur speciali privilegio PP. Societatis Iesu dum iter faciunt.

Excipe ab hac conclusione PP. Societatis Iesu, quibus speciali privilegio à Gregorio XIII. concessum est ut ab uno Episcopo legitimè approbati, possint, dum iter faciunt, ubique terrarum confessiones audire, exceptis locis, in quibus ordinarii existunt, illac enim transeuntes non possunt ibi confessiones audire, nisi petita & obtenta ad id eorum licentia.

Possunt Episcopi limitate approbare quoad tempus, locum & personas.

874. Petes 3. an Episcopi possint approbare limitate ad certum tempus, ad certum locum, ad certas personas &c. R. posse illos id facere non tantum validè, sed etiam licitè, si adsit justa causa id faciendi: non posse autem licitè id facere absque justa causa: quia approbatio non datur per modum gratiæ, sed justitiæ, quando saltem datur præmissio examine. Hæc responsio conformis est citatæ constitutioni Clementis X. in qua de hac re sic loquitur. *Illos autem Religiosos qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopo generaliter quoque & indistinctè absque limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si pe-*

petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout iisdem ordinariis magis expedire videbitur, approbare & admittere.

875. Petes 4. generaliter approbatus ad audiendas sæcularium confessiones censeri possit approbatus pro audiendis confessionibus monialium ordinario subjectarum, si in approbatione non fuerint nominatim exceptæ? R. neg. ita id declarat idem Clemens X. in prædicta constitutione his verbis: *& generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.* Quibus addit: *approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minimè audire posse confessiones monialium alterius monasterii: Itidemque confessarios extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire; sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties deputationis casus contigerit.* Quia autem in ista constitutione dicuntur de confessariis regularibus, multò magis intelligenda videntur de confessariis sæcularibus; cùm minus sint privilegiati.

Approbatus ad audiẽdos sæculares nõ est approbatus ad audiendas moniales Episcopo subjectas etiamsi illas non exceperit.

876. Petes 5. an approbatio semel data possit postea revocari? R. si Episcopus dederit approbationem ad tempus limitatum, v.gr. ad annum, cessat approbatio, hoc ipso quod tempus limitatum præteriit? quamvis Episcopus injustè tempus limitasset: quia duratio approbationis non potest se extendere ultra tempus ab eo præscriptum à cujus voluntate dependet.

Approbatio limitata quo ad tempus definit hoc ipso quo tẽpus limitatũ præteriit.

877. Si autem Episcopus dederit approbationem ad beneplacitum, potest illam ex causa licitè revocare: & etiam validè absque causa, quotiescumque voluerit, quia approbatio ad beneplacitum non est absolutè data; sed tantum limitate ad certum tempus vagum pro arbitrio approbantis postea, si voluerit, limitandum. Idem dicendum est, si data

fuerit

fuerit cum hac limitatione, usque ad revocationem.

Potest quoque illimitate data, & validè & licitè ex justa causa revocari.

878. Licet approbatio data fuerit absolutè absque ulla temporis limitatione, nihilominus potest ex justa causa non tantum validè sed etiam licitè revocari. Ita DD. communiter. Et ratio data est, quia alioqui non posset Episcopus gregi suo in re tanti momenti sufficienter providere. In dubio autem de causæ sufficientia stat præsumptio pro Episcopo qui sæpè multa novit, quæ subditos latent, nec expedit manifestare, ut advertit Lugo.

Et etiam validè absque justa causa non tamen licitè.

879. An autem approbatio absolutè data possit validè revocari absque justa causa, controvertitur. Negant Suarez, Dicastilio, & alii graves authores, & probabile putat Lugo: contraria tamen sententia videtur mihi probabilior. 1. quia approbatio ex natura sua est revocabilis, & nullo jure talis revocatio irritatur. 2 quia ab initio potuit absque causa validè negari: ergo semel data potest etiam absque causa validè auferri.

Approbatio adæquatè sumpta præter judicium de idoneitate confessarii importat etiam concessionem facultatis.

880. Dices: approbatio est juridica sententia de idoneitate Sacerdotis ad confessiones audiendas, quando saltem eam præcessit examen: atqui juridica sententia non potest validè revocari absque justa causa: ergo &c. Confir. quia revocatio seu mutatio judicii de idoneitate confessarii ad audiendas confessiones: sed istud judicium non potest mutari, nisi adsint rationes judicandi, quod non amplius sit idoneus.

R. approbationem adæquatè sumptam non tantum importare prædictum judicium de idoneitate Sacerdotis ad exercendum munus confessarii, sed etiam involvere facultatem illud exercendi. Hæc autem facultas potest validè revocari etiam absque justa causa. Et hinc patet etiam responsio ad confirmationem.

Etiamsi sententia opposita sit probabilis non est tamen licitum ea uti

881. Cæterum, quidquid sit de probabilitate ulterius sententiæ, non est tamen licitum eam in praxim, saltem jam, redigere: quia sententia affirmans licitum esse in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore

tutiore, nuperrimè damnata est ab Innocentio XI. Nec admittenda videtur quorumdam interpretatio dicentium istam propositionem tantum damnatam esse eò quod indeterminatè assereret sufficere probabilitatem de valore Sacramenti, sic ut etiam levis probabilitas de illius valore sufficeret. Quamvis enim certum sit multò minus levem probabilitatem sufficere ad eam præsertim in hac materia sequendam: tamen non tantum eam damnat Pontifex, dum indeterminatè pronunciat non esse licitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, sed etiam usum in hac materia cujuscumque sententiæ tantum probabilis relicta tutiore. Idque exigit finis damnatæ propositionis, ne scilicet per illius usum exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

post decretum Innocentii XI.

882. Non tantum approbatio necessaria est in Sacerdote ad validè absolvendum, sed etiam jurisdictio. Id tradit Tridentinum sess. 14. cap. 7. his verbis: *quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, ut & verissimum esse Synodus hac confirmat nullius momenti absolutionam esse debere quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Itaque opus est aut ordinaria aut subdelegata jurisdictione.

Non tantum approbatio necessaria est in Sacerdote sed etiã jurisdictio vel ordinaria vel subdelegata.

883 Ordinariam habent omnes illi, quibus ratione officii incumbit cura animarum. Primò igitur illam habet summus Pontifex in omnes Christi fideles. 2. Legati à latere & Nuntii Apostolici intra terminos suæ nunciaturæ. 3. Archiepiscopi in subditos suorum suffraganeorum tempore visitationis, & non alias. 4. Episcopi intra sua dioeceses, uti & vicarii eorum & Capitulum sede vacante. 5. Abbates jurisdictione quasi Episcopali gaudentes, intra terminos suæ jurisdictionis. 6. Generales Ordinum respectu totius Religionis, & Provinciales respectu suæ Provinciæ. 7. Parochi respectu suæ Parochiæ, quibus adjungũtur eorum vicarii, sive perpetui sive temporales. 8. Decanus Canonicorum respectu Capituli:

Quinam habeant ordinariam jurisdictionẽ.

9. Superiores locales Ordinum Religiosorum respectu suorum subditorum, ut Priores, Guardiani, Rectores &c.

Quinam subdelegatam, & quibusnã possit subdelegari & in quos.

884. Subdelegatam habent omnes illi, quibus ea legitimè concessa est ab habentibus ordinariam. Ut autem legitimè eam concedant sicut possit validè exire in actum. 1. respectu omnium requiritur, ut illi, quibus illam delegant, sint Sacerdotes, quia ut supra dictum est, soli Sacerdotes sunt ministri hujus Sacramenti. 2. etiam respectu omnium, ut illum concedant non in alios, quam in subditos: cum ipsimet non habeant ordinariam nisi in subditos, non possunt illam delegare in alios quam subditos. 3. respectu eorum qui non habent jus approbandi, requiritur ut illi quibus jurisdictionem suam committunt, sint legitimè approbati: qui tamen jus habent approbandi, hoc ipso quo jurisdictionem suam alicui delegant, censentur eundem approbare.

Jurisdictio supponit approbationẽ.

A quibusnã concedi possit, & in quos?

885. Collige 1. solum summum Pontificem posse concedere jurisdictionem in omnes Christi fideles: quia ipse solus habet ordinariam in illos omnes jurisdictionem, Episcopos autem in solos suos diœcesanos. Parochos in solos suos parochianos. Generales ordinis in omnes Religiosos ejusdem ordinis. Provinciales in Religiosos suæ provinciæ. Priores, Guardianos, Rectores &c in Religiosos conventus aut collegii cui præsunt &c.

Religiosi mendicantes accipiunt à summo Pontifice suam jurisdictionem per suos superiores.

886. Collige 2. Religiosos mendicantes (quo nomine comprehenduntur etiam Religiosi Societatis Iesu) legitimè approbatos posse audire confessiones quorumlibet fidelium sæcularium in iis locis pro quibus approbati sunt. Ratio est quod jurisdictionem suam accipiant à summo Pontifice, qui illam habet in omnes Christi fideles. Quia tamen hanc jurisdictionem non accipiunt ab eo immediatè, sed per superiores: ideò non possunt etiam approbati obire munus confessarii, nisi prius ista jurisdictione per superiores accepta.

Non possunt tamen hanc jurisdictio

Dixi 1. *fidelium sæcularium*: quia licet Papa concedat illis jurisdictionem illimitate in omnes Christi fideles: tamen per hoc non intendit derogare constitutio-

curionibus Religionum, vi quarum varii Religiosi non possunt confiteri nisi confessariis à superioribus designatis. Hinc Religiosi dum ob negotia aut studia aut alia ex causa absunt à conventu aut monasterio suo, debent intelligere ex superioribus suis, aut ex Religionis suæ statutis aut ex recepta consuetudine, quibusnam possint confiteri. Quod si nec superior, nec Religio, aliquid circa hoc statuerit, censetur permittere ut cuilibet Sacerdoti approbato confiteantur.

nem exercere nisi in iis locis pro quibus approbati sũt.

Dixi 2. *in his locis pro quibus approbati sunt:* quia non possunt exercere jurisdictionem suam in illis locis pro quibus non sunt ab ordinario approbati. Excipe Religiosos Societatis Iesu dum iter faciunt, qui ut supra diximus num. 883. legitimè approbati ab uno Episcopo possunt tunc ex speciali privilegio ubique terrarum confessiones audire. Exceptis locis in quibus existunt ordinarii, nisi obtenta ad id eorum licentia.

Neq; in alienis templis, nisi cum facultate eorũ qui templis præsunt.

Quamvis autem Religiosi mendicantes accipiant à Pontifice jurisdictionem in omnes sæculares ad eorum confessiones audiendas, non possunt tamen id facere in alienis templis, nisi de consensu eorum, quibus templa subsunt. Id enim prohibitum est ad vitandam confusionem, & pacis perturbationem. Si tamen Episcopus daret illis specialem facultatem ad audiendas confessiones in determinata aliqua parochia suæ diœcesis possent tunc invito etiam Parocho illic confessiones excipere: quia Parochus subjacet Episcopo.

887. Collige 3. potestatem quam Sacerdotes in sua ordinatione accipiunt, dum illis dicitur, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* non esse completam & proximè expeditam ut exeat in actum; sed ad hoc adhuc opus esse jurisdictione, quam Sacerdotes non accipiunt vi suæ ordinationis, cum vi illius nullos accipiunt subditos; jurisdictio autem non possit esse sine subditis.

Potestas remittẽdi peccata quam Sacerdotes accipiunt in sui ordinatione non est completa defectu jurisdictionis.

888. Dices Trident. sess. 14. cap. 5. docet Christum è terri ascensurum in cœlos. *Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquisse, tanquam præsides, & judices ad quos*

Constituuntur vi suæ ordinationis judices in actu primo non secundo defectu ejusdem jurisdictionis.

omnia mortalia crimina deferantur: ergo agnoscit datam eis immediatè à Christo jurisdictionem in sui ordinatione per hæc verba *quorum remiseritis &c.* quia non potest quis constitui judex sine jurisdictione. R. Sacerdotes per hæc verba *quorum remiseritis &c.* constitui quidem à Christo præsides & judices tribunalis pœnitentiæ velut in actu. 1. sive aptitudinaliter, sic ut potestas judicandi in hoc tribunali non possit aliis competere quam Sacerdotibus: non tamen in actu. 2. sive completè, sic ut possint fungi officio judicis antequam ad hanc functionem ab Ecclesia seu Ecclesiæ Prælatis deputentur, accipiantque ab eis jurisdictionem & subditos in quos judicium exerceant. Itaque tantum sunt judices in actu, primo, incompletè, & aptitudinaliter ante acceptam istam jurisdictionem.

In idem redit si cum aliis dicatur potestatem illam non posse exire in actum defectu subditorum aut propter Ecclesiæ prohibitionem.

889. In idem redit si cum Vasquez, Meratio, Hurtado &c. dicantur Sacerdotes in sui ordinatione accipere quidem etiam jurisdictionem, eamque exigi à dignitate judicis ad quam evehuntur: non posse tamen illos istam jurisdictionem exercere antequam eis ab Ecclesia assignentur subditi in quos illam exerceant. Aut cum Navarro & Amico similiter dicentium in Sacerdotis ordinatione cum potestate dimittendi peccata conferri etiam ei jurisdictionem in omnes Christi fideles, dependentem tamen ab Ecclesia: ita ut per suam prohibitionem possit impedire, quo minus validè exeat in actum. Et quia primis Ecclesiæ sæculis ob Sacerdotum paucitatem nulla erat prohibitio, potuisse tunc quemlibet Sacerdotem quemlibet Christi fidelem absolvere: nunc autem non posse propter factam prohibitionem, nisi in articulo mortis respectu cujus cessat ista prohibitio; uti etiam, inquiunt respectu venialium.

Sub ordinatio Ecclesiastica exigit ut inferior à superioribus jurisdictionem accipiant.

890. Verum sententia negans Sacerdotes in sui ordinatione accipere jurisdictionem, uti communior est; ita & probabilior videtur. 1. quia subordinatio Ecclesiasticæ Hierarchiæ videtur exigere ut inferiores à superioribus jurisdictionem suam accipiant. 2. quia alioqui nulla esset jurisdictio tantum delegata, omnes enim haberent ordinariam immediatè

diatè à Christo. 3. specialiter contra Vasquez: quia non potest haberi jurisdictio sine subditis; cum jurisdictio sit aliqua superioritas; atqui secundum illum Sacerdos vi suæ ordinationis nullos habet subditos: ergo &c.

Et in hac sententia æquè commodè explicatur cur primis sæculis, si tamen id verum est, posset quilibet Sacerdos quemlibet Christi fidelem absolvere: cur id possit modo in articulo mortis. Ratio enim est quod Ecclesia tunc ob Sacerdotum paucitatem, & fidelium ob persecutiones dispersionem, omnibus Sacerdotibus concederet in omnes fideles jurisdictionem: sicut modo concedit respectu articuli mortis.

Cur primis Ecclesiæ sæculis quilibet Sacerdos potuerit quēlibet fidelem absolvere.

Dixi, *si tamen id verum est*, quia contrarium videtur verius nam causa 9. quæst. 2. can. 1. refertur hoc Calixti primi præceptum: *nemo alterius terminos usurpet: nec alterius parochianum judicare præsumat? quia talis sententia irrita est*. Hic autem Pontifex floruit circa annum Christi 220.

891. Quod autem attinet ad absolutionem à venialibus: licet potestas absolvendi ab illis communiter tribuatur omni Sacerdoti, nuper tamen potestas hæc sublata est per decretum Innocentii XI. editum anno 1679. 12. Febr. respectu quorum requirit etiam approbationem ordinarii. Nec antea id omnibus competebat sine tacita acceptione jurisdictionis ab Ecclesia in omnes Christi fideles respectu venialium.

Innocentius XI. requirit etiā approbationē pro absolutione à venialibus.

892. Petes 1. an sufficiat ad jurisdictionem habendam præsumpta superioris voluntas? R. cum distinctione si voluntas superioris sit tantum hoc sensu præsumpta, quod jurisdictionem concederet, si peteretur, non sufficit talis præsumptio: quia per hoc non est jurisdictio data, sed tantum daretur, casu quo peteretur. Sufficit autem si hoc sensu sit præsumpta, quod adsint sufficientia signa ad prudenter judicandum quod jurisdictio sit concessa. Si tamen esset justa ratio de hac re dubitandi, non esset licitus usus istius jurisdictionis præsumptæ, ut patebit ex mox dicendis de jurisdictione probabili.

An sufficiat jurisdictio præsumpta?

Non sufficit petita, & nõ obtenta, licet injustè denegetur.

893. Petes 2. an sufficiat jurisdictio petita, & non obtenta? R. 1. certum esse non sufficere, quod fuerit petita, si fuerit justè denegata. 2 nec ad sufficere, etiamsi injustè negetur: quia nulla jura eam isto etiam casu concedunt; sed potius contrarium colligitur ex cap. *omnis utriusque sexus* de pœnit.& remiss. ubi dicitur *si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa pecca a sua confiteri, licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote*. Idem dic de approbatione videlicet non sufficere quod sit petita & injustè negata; sed requiri ut reipsa sit data..

Non sufficit jurisdictio probabilis ad Sacramẽtum pœnitentiæ licite administrandum.

894. Petes 3. an sufficiat jurisdictio probabilis ad Sacramentum Pœnitentiæ licitè administrandum. R neg. si adsit alter confessarius habens certam jurisdictionem, aut ipse possit sibi certam comparare: quia tunc sine necessitate exponeret Sacramentum periculo nullitatis, & pœnitentem periculo gravis damni ex nullitate Sacramenti, quod non licet.

Quandonam ad valorem absolutionis sufficiat jurisdictio existimata inesse confessario.

Confir. quia hæc propositio: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore &c.* recenter damnata est ab Innocentio XI. & severe ab eo prohibitum., ne in praxim deducatur. Quod tamen faceret in casu allato utens jurisdictione tantum probabili, sequeretur enim probabilem Doctorum sententiam de sufficientia jurisdictionis probabilis, relicta tutiore.

Requiritur ad id communis error & titulus coloratus.

895. Petes 4. an sufficiat ad valorem absolutionis, quod confessarius credatur habere legitimam ad absolvendum jurisdictionem? R sufficere si adsint hæ duæ conditiones. 1. si id credatur communi errore. 2. si communi isti errori occasionem dederit titulus coloratus. Dicitur autem titulus coloratus collatio alicujus beneficii habentis annexam sibi animarum curam aut delegatio jurisdictionis apparenter legitima; quæ tamen est collatio, & delegatio sit invalida propter occultum aliquem defectum v.g. propter occultam simoniam aut excommunicationem. Ratio est quod tunc meritò censeatur Ecclesia supplere occultum illum defectum, & tali confessario concedere jurisdictionem, saltem transeunter, ad singulos

actus

actus ne aliqua anima pereat occasione tituli colorati à se concessi dantis occasionem errori illi communi. Ita communiter DD.

Dixi, *si id communi errore credatur*: non enim sufficit privatus error unius aut alterius: quia tunc non apparet sufficiens ratio, ob quam Ecclesia censenda sit conferre jurisdictionem cum hæc collatio non sit necessaria ad commune animarum bonum, & talis error possit facile deprehendi.

Dixi 2. *si communi isti errori occasionem dederit titulus coloratus*: quamvis enim multi graves authores existiment errorem communem etiam sufficere sine titulo colorato, id tamen videtur satis dubium: quia cum tunc Ecclesia nulla tituli colorati collatione dederit occasionem isti errori, non videtur sufficiens ratio asserendi, quod tunc etiam suppleat occultum jurisdictionis defectum. Et verò quis dicat Sacerdotem sine ulla jurisdictione prius accepta exponentem se ad audiendas confessiones, valide absolvere eo quod communi pœnitentium errore putetur habere legitimam jurisdictionem. Necesse est ut titulus coloratus dederit occasionem communi errori.

896. Dictis de jurisdictione subjungimus dicenda de casuum reservatione: quia hæc reservatio nihil aliud est, quam sublatio jurisdictionis in ordine ad præcavendum à certis peccatis aut censuris. Finis reservationis est duplex, pœna scilicet & cautela: expedit enim aliquando per eam puniri peccata graviora: & multò magis adhuc convenit, & interdum etiam necessarium est ut superiores veniant in cognitionem peccatorum quorumdam gravium, & perniciosorum, tum ut ipse delinquens possit à relapsu præservari: tum etiam ut scandala & damna, aliorumque pericula ex talibus peccatis non rarò exurgentia, certius vitentur. Casuum reservatio est jurisdictionis subtractio in ordine ad absolvendû à certis peccatis.

897. De fide est dari in Ecclesia potestatem reservandi peccata. Tum ex Trident. sess. 14 cap. 7. & can. 15. ubi hæc veritas definita est: tum ex antiquissimo Ecclesiæ usu ut patet ex variis canonibus de hac re editis. Et ratio id etiam evincit, quia sicut jurisdictio necessaria ad absolvendum potest justa ex causa totaliter denegari; ita & limitate con- De fide est dari in Ecclesia potestatem peccata reservandi.

cedi ad certa peccata & non ad alia: maximè cum id fieri expediat ad pœnam & cautelam delinquentium, & ipsius Ecclesiæ bonum: & in omni foro usu receptum sit ut graviora quædam crimina superioribus judicibus reserventur.

Ad eum spectat reservatio, ad quem spectat jurisdictionis collatio.

898. Ad eum spectat reservare peccata, ad quem spectat jurisdictionem conferre. Et eo se magis aut minus extendit reservatio, quo magis aut minus extendit se reservantis jurisdictio. Itaque potestatem reservandi habent, summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ. Episcopus respectu suæ diœcesis. Parochus respectu suæ parochiæ, saltem ex natura rei. Et Superiores Regulares respectu suorum subditorum.

Non potest inferior cōtradicente superiore efficaciter aliquos casus reservare.

Dixi de Parochis; *saltem ex natura rei*: quia seclusa prohibitione aut contraria consuetudine, non apparet cur non possent limitatam jurisdictionem delegare audientibus confessiones in sua parochia. Contrarius tamen usus, aut tacita quædam Episcoporum prohibitio efficit, ut hæc potestas ipsis, jam saltem, non competat: non potest enim inferior contradicente superiore aliquos casus reservare. Vnde potestas reservandi absoluta & independens reperitur in solo Papa. In Episcopis autem subordinata est voluntati Papæ: hinc non possunt casus aliquos efficaciter reservare contra ejus voluntatem: aut respectu eorum quibus ipse absolutam suam jurisdictionem commiserit ad absolvendum à quibuslibet peccatis.

Superiores locales regulariū habent per Bullam Clementis VIII. potestatem reservandi restrictam ad undecim casus.

899. Quod dixi de Superioribus Regularibus, sic intelligendum est; ut soli Præposito, aut Capitulo generali competat potestas reservandi respectu totius Ordinis. Provincialibus autem aut Capitulo Provinciali respectu totius Provinciæ. Superioribus verò localibus respectu domus cui præsunt, seu eorum, qui in ea habitant. Qui postremi hanc etiam potestatem restrictam habent per Bullam Clementis VIII. ad undecim casus, quorum primus est apostasia à Religione etiam retento habitu. 2. nocturna ac furtiva egressio è monasterio. 3. veneficia incantationes, & sortilegia. 4. proprietas contra votum pau-

paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. furtum mortale de rebus monasterii. 6. lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. juramentum falsum in judicio legitimo. 8. procuratio, consilium, vel auxilium ad procurandum abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto. 9. occisio vel vulneratio seu percussio gravis cujuscumque personæ. 10. falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii. 11. malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores: vel contra. Quod si aliqui alii casus viderentur pro Religiosis ulterius reservandi, ibidem præcipitur ut id fiat in Capitulo generali respectu totius Ordinis: aut in provinciali respectu totius provinciæ.

900. Petes 1. an post dictam Clementinam datam anno 1593. 16. Maii possint superiores locales indirectè reservare quælibet peccata gravia annectendo eis censuram sibi reservatam v.gr. ea prohibendo sub pœna excommunicationis sibi reservatæ? affirmant Suarez, Tambur. Fagund. & alii apud Dian. tom.2. tract.2. de dub. regul. resol.49. quia Clemens tantum prohibet reservationem aliorum peccatorum, non censurarum: Negant Thomas Sanchez, Perin. Molfes. Diana, quos sequitur Lugo de pœnit. disp 20. sect.4 num.47. videturque probabilius: alioqui enim redderetur inutilis favor Religiosis subditis concessus per dictam Clementinam. Et ita responsum est à Sacra Congregatione Cardinalium. 7. Iulii 1617. Vide hanc responsionem apud Lugo loco jam citato.

Non possunt alia peccata indirectè reservare annectendo illis censuram sibi reservatam.

901. Petes 2. an valida sit reservatio injustè facta? R. esse saltem validam respectu eorum qui habent suam jurisdictionem à reservante; quia sicut is potuit ab initio validè licet iniustè, illis denegare omnem jurisdictionem: ita potest etiam validè eam illis limitare ad quod voluerit peccatum. Idem videtur dicendum de reservatione injustè facta ab Episcopo respectu Regularium, qui suam jurisdictionem à Pontifice accipiunt, quia per Vrban. VIII. Alex. X. indefinitè prohibentur absolvere à casibus Episcopo reservatis, ut infra dicemus. Idem quoque respectu Paro-

Licet reservatio ab Episcopo facta foret injusta esset tamen valida etiam respectu regularium & Parochorum

Parochorum; quia licet habeant ex officio ordinariam jurisdictionem in suos parochos; illam tamen habent Episcopali jurisdictioni subordinatam. Putat tamen Lugo fore non tantum illicitam, sed etiam invalidam, si tot peccatorum fieret reservatio, ut Parochus non posset debitè officium suum exercere: quod videtur rationi satis consonum. Vt autem justa sit reservatio debet esse in ædificationem non in destructionem, ut loquitur Trid. sess. 14. cap. 7. qualis non esset, si tot & tam communia peccata reservarentur; ut confessio per eam & difficilior & rarior redderetur.

Vt sit licita debet esse in ædificationem non in destructionem.

Sola mortalia possunt propriè reservari.

902. Sola peccata mortalia possunt propriè reservari: quia ad reservationem propriè dictam requiritur ut inferior vi reservationis teneatur ad superiorem recurrere pro absolutione obtinenda: quæ obligatio non potest haberi respectu venialium, quia non sunt necessaria confessionis materia. Idem propter eandem rationem dicendum de mortalibus prius legitime confessis.

Licet sola mortalia externa reserventur absolutè tamen loquendo possunt etiã reservari merè interna

903. Quamvis de facto sola mortalia externa reserventur; absolute tamen loquendo possunt etiam merè interna reservari: Ita DD. communiter: quia cum ad ea remittenda opus etiam sit jurisdictione, non est cur illa non possit quoque respectu illorum auferri. Nec refert quod Ecclesia non possit propriè punire peccata merè interna instituendo de eis judicium; & pœnam decernendo: quia cum hoc stat quod possit impropriè illa punire per subtractionem jurisdictionis necessariæ ad ea absolvenda.

Probabilius est peccata dubia esse nõ reservata.

904. Licet peccata dubia possit reservari; probabilius tamen est non esse reservata hoc ipso quo peccata ejusdem speciei simpliciter reservantur. Ratio est quod peccata dubia non sint simpliciter peccata, adeoque in re odiosa, qualis est reservatio, non debeant venire nomine peccati simpliciter positi. Et ita sentiunt Suar. Henriq. Filiuc. Hurt. Portel. Diana Lugo aliique communius.

905. Vt peccatum aliquod externum sit reservatum; non est satis quod habeat malitiam gravem ab

ab actu interno; ſed etiam requiritur, ut ipſa actio externa ſecundum ſe habeat gravitatem: v. g. ſuppoſito quod peccatum contra caſtitatem reſervatum ſit, quoties in actum externum prodit; & ex intentione mortali contra caſtitatem proferatur aliquod verbum turpe ex ſe leve: vel ex eadem intentione exerceatur aliqua actio externa ex ſe levis; nec verbum illud, nec actio illa erunt reſervata, licet contrahant malitiam mortalem ab intentione illa mortifera. Ita communiter DD. Ratio eſt quod reſervatio cadat præcipuè in actum externum, adeo que requirat actum externum ſecundum ſe graviter malum. Similiter ſi peccatum aliquod externum reſervaretur, quando eſſet conſummatum, non ſufficeret quæcumque actio externa mortaliter mala, ſed deberet habere ultimam conſummationem: v. g. reſervato homicidio, vel fornicatione, non ſufficeret percuſſio gravis, ſi mors inde non ſequeretur: nec ſollicitatio ad fornicationem: ſi ex ſollicitatione non ſequeretur fornicatio. Ita etiam communiter DD. Ratio eſt quod reſervatio, utpotè odioſa, ſit ſtrictæ interpretationis.

Peccatum reſervatum debet habere externam malitiam gravem.

Debet eſſe conſummatum quando ut tale reſervatur.

906. Quilibet Sacerdos poteſt in articulo mortis quemlibet abſoluere à quibuslibet reſervatis: imo ſtrictè loquendo in iſto articulo nulla eſt peccatorum reſeruatio: quia ut Tridentinum aſſerit ſeſſ. 24. cap. 7. *in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis*. Vndè ſi quis tunc abſolutus evadat periculum, non tenetur poſtea pro illis recurrere ad ſuperiorem; quia fuit directè ab illis abſolutus. Quod ſi peccato reſervato annexa fuiſſet excommunicatio aut alia cenſura reſervata & abſolutio data fuiſſet ab aliquo non habente extra articulum mortis poteſtatem à cenſura abſolvendi deberet ſanitate reddita ſiſtere ſe ſuperiori quia non datur cuilibet Sacerdoti iſto etiam articulo in cenſuras juriſdictio niſi ſub onere poſtea comparendi coram ſuperiore: ut patet ex cap. *de cætero* de ſent. excomm. & cap. *eos qui* eod. tit. in 6.

Quilibet Sacerdos poteſt in articulo mortis quemlibet abſolvere à quibuslibet reſervatis.

907. Extra mortis articulum tantum poſſunt per

se & directè à reservatis absolvere. 1. ipse reservans. 2. reservantis superior: quo nomine non venit Archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum, nisi tempore visitationis, vel in casu appellationis; quia extra illos duos casus nullam habet jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum. 3. Quilibet Sacerdos approbatus, qui legitimam confessionem ad id acceperit. Hæc autem commissio debet esse expressa & specifica: unde si Episcopus det alicui simpliciter facultatem absolvendi à peccatis; non propterea censetur dare facultatem à casibus reservatis: quia ut, dicitur cap. *si Episcopus* de pœnit & remis. in generali concessione non veniunt ea, quæ non essent verisimiliter in specie concedenda. Si tamen Episcopus dicat concedo tibi omnem potestatem meam, censendus est concedere potestatem in casus sibi reservatos. Cæterum hac in re maximè attendenda est intentio concedentis ex circumstantiis, consuetudine &c.

Extra mortis articulum tantum possunt directè à reservatis absolvere, reservans, reservantis superior, & ab eis delegatus.

908. Propter eandem rationem dum summus Pontifex concedit alicui simpliciter casus reservatos, non est censendus hoc ipso concedere casus Bullæ Cœnæ. Neque illos concedens censetur hoc ipso comprehendere casum hæresis; licet quoad hoc multi valde probabiliter dissentiant, saltem quando id conceditur pro partibus hæresi infectis. Similiter quando superior alicujus Religionis concedit inferiori facultatem absolvendi a casibus in ista Religione reservatis, non censendus est hoc ipso concedere facultatem (quam suppono posse dare ex ordinis privilegio) absolvendi à casibus Pontifici reservatis: vel contra. Quia cum isti casus habent specialem reservationem, indigent etiam concessione specialis ad eos facultatis.

Casus habētes specialem reservatiōnem indigent specialis facultatis concessione.

909. Si quis habens casum reservatum in propria diœcesi veniat ad alienam, in qua casus iste non sit reservatus, potest illic absolvi à confessario regulari approbato, nisi eo venerit in fraudem legis ad declinandum propri Episcopi judicium. Ita expressè Clemens X. in sua constitutione, quæ incipit *Superna magni Patris familias* declarat *posse regularem confessa-*

Quod dicendum sit de casu reservato in una diœcesi, & non in altera.

rium in ea diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ea reservatis, non autem reservatis in illa, ubi idem confessarius est approbatus, absolvere: nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Idem dicendum videtur de confessariis sæcularibus respectu peregrinantium habentium peccata reservata in sua diœcesi, & non in ea, in qua peregrinantur: quia respectu illorum non tantum confessarii regulares, sed etiam sæculares habent jurisdictionem.

910. Petes 1. an Regulares privilegiati vi suorum privilegiorum possint adhuc absolvere à casibus Episcopo reservatis? non desunt docti, & graves viri, qui adhuc id affirment: quia licet Urbanus VIII. anno 1628. privilegia Regularium mendicantium quoad hoc revocaverit: idemque recenter fecerit Clemens X. in sua constitutione quæ incipit *superna magni Patrisfamilias*: putant tamen non fuisse efficaciter revocata propter insolitas quasdam clausulas sub quibus concessa fuerunt: ut v. gr. quod Clemens VIII. Carmelitis discalceatis amplissimam potestatem absolvendi à peccatis Ordinario reservatis concesserit sub clausula inflexiva, non derogandum huic privilegio, nisi nominatim revocetur. Verum cum non sit certum, sed ut summum probabile, non fuisse propter istas clausulas istis privilegiis sufficienter derogatum per prædictas aliasque constitutiones subsequentium Pontificum. Et novissimè ab Innocentio XI. damnata sit hæc propositio: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore &c.* ista probabilitas de prædictis privilegiis non sufficienter revocatis, non sufficit ut Regulares mendicantes vi suorum privilegiorum possint licitè absolvere à casibus Ordinario reservatis. Adde Alexand. VII. 24. Sept. 1666. damnasse etiam hanc propositionem, *mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

Regulares privilegiati non possunt amplius vi suorum privilegiorum absolvere à casibus Episcopis reservatis.

Illorũ quoad hoc privilegia revocata sunt per Urbanũ VIII. Alexãdrum VII. & Clementẽ X.

911. Petes 2. an confessarius non habens potestatem

Quibus casibus peccata reservata possint indirectè remitti.

statem in peccata reservata, possit quandoque indirectè ab illis absolvere ... 1. pœnitentem confitentem sola reservata nunquam posse, extra mortis articulum, cujuscumque necessitatis prætextu absolvi a confessario non habente potestatem in illa: quia cum tunc non possit absolutio directè in illa cadere, defectu potestatis: neque indirectè, eo quod nulla sint alia peccata clavibus subjecta in quæ absolutio directè cadat: non possit autem indirectè cadere in reservata, nisi directè cadat in non reservata: consequens est ut nec directè, nec indirectè possint tunc remitti.

Adferuntur duo casus in quibus potest aliquis directè absolvi à non reservatis & indirectè à reservatis.

2. Si quis inculpabiliter oblitus est confiteri peccatum aliquod reservatum, aut inculpabiliter ignorans esse reservatum, bona fide illud cum aliis confitetur non habenti potestatem in reservata, directè absolvitur à non reservatis, indirectè autem à reservato. Ita communiter DD. Ratio est quod tunc debitè sit dispositus ut absolvatur à non reservatis: non possit autem ab illis absolvi, nisi saltem indirectè absolvatur à reservato, cum non possit unum mortale remitti sine altero.

Constat peccata aliqua posse indirectè remitti aliis directè remissis.

912. 3. Si occurrat casus necessitatis, v. gr. Si Sacerdos habens reservata non possit omittere celebrationem Missæ: vel laicus communionem sine gravi scandalo: nec adsit confessarius habens potestatem in reservata; potest is directè absolvi à non reservatis, & indirectè à reservatis, remanente tamen onere sistendi se postea superiori aut ejus delegato. Ita communius DD. contra Vasq. Hurt. Becan. Præpos. &c.

Prob. 1. quia cum peccati mortalis conscius teneatur confessionem præmittere communioni, non est credibile Ecclesiam sic instituisse peccatorum reservationem, ut nequidem tunc indirectè possit absolvi à reservatis cum prædicto onere, malleque eum cum sola incerta contritione non confessum communicare, quam confessionem communioni præmittere, ut saltem per eam indirectè à reservatis absolvatur. 2. quia constat certis casibus posse aliqua peccata indirectè remitti: sic enim remittuntur, quæ

vel

vel ex oblivione inculpabili, vel ex justa causa in confessione omittuntur. Quidni ergo possint similiter in casu conclusionis reservata indirectè remitti?

913. Dices Tridentinum sess. 14. cap. 7. dicit in mortis articulo nullam esse reservationem, ne quis ob illam pereat sed ista ratio nulla esset, si quis posset indirectè absolvi à reservatis: ergo &c. Et ibidem addit extra mortis articulum Sacerdotes inferiores nihil posse in casus reservatos: quod videretur falsum, si possent in casu conclusionis indirecte ab illis absolvere. R. adhuc rationem istam subsistere 1. quia sententia nostra non est certa. 2. quia posset fieri ut tantum confiteretur reservata, ac proinde ne indirecte quidem ab illis absolveretur. Et verum etiam est quod addit nihil posse inferiores Sacerdotes in reservata, videlicet directe, sic ut tollatur onus sistendi se superiori.

Tridentinum asserens Sacerdotes inferiores nihil posse in reservata intelligendum est de remissione directa

914. Petes 3. an non sufficiat pœnitentem habentem reservata confiteri sola peccata non reservata, ut à reservatis indirecte absolvatur? R. neg. quia confessio reservatorum necessaria est ut status pœnitentis sufficienter innotescat confessario ad hoc ut satisfactionem imponat delictis proportionatam, & opportuna remedia suggerat.

915. Petes 4. an si quis confessus habenti jurisdictionem in reservata, ex oblivione omiserit peccatum aliquod reservatum? hoc ipso sublata sit reservatio peccati obliti, adeoque possit postea directe ab illo absolvi à confessario non habente potestatem in reservata? R. id quidem non paucos apud Suares & Lugo, quibus hic postremus consentit, probabiliter affirmare: quia censetur confessarius pœnitentem bene dispositum velle absolvere ab omni vinculo & gravamine, à quo potest illum liberare. Quia tamen id videtur incertum, & negant Vasques, Suares aliiq; graves authores saltē quando pœnitens non significat se ad eū accedere ut absolvatur à reservatis, ideo in praxi recurrendum est ad superiorē pro peccato illo reservato per oblivionem omisso, si po-

An reservatio peccati inculpabiliter obliti auferatur per indirectam ejus remissionem.

stea

ſtea memoriæ occurrat; videturque id exigere finis reſervationis.

Dixi *ſaltem quando pœnitens non ſignificat &c.* ſi enim ſignificet ſe ad eum recurrere ut a reſervatis abſolvatur, & aliquod reſervatum per oblivionem omiſerit: videtur probabilius ſublatam eſſe reſervationem peccati obliti; quia tunc confeſſarius videtur habuiſſe intentionem pœnitentem abſolvendi ab omnibus reſervatis.

Abſolvitur à reſervatis qui tempore jubilæi confitetur licet poſtea jubilæum non lucretur.

916. Petes 5. an cenſendus ſit abſolutus à reſervatis abſque onere recurrendi poſtea ad ſuperiorem, qui tempore jubilæi ex intentione illud lucrandi confitetur peccata reſervata Sacerdoti habenti tantum juriſdictionem in illa ratione jubilæi, ſi poſtea jubilæum non lucretur eo quod non faciat cætera requiſita? Reſp affirm. Ita DD. communiter, quia poteſtas abſolvendi tunc a reſervatis non videtur pendere a futura conditione quod reipſa pœnitens lucrabitur jubilæum; ſed ab eo tantum quod confiteatur tempore jubilæi.

Non debet ſuperior eſſe difficilis in concedenda facultate abſolvendi à reſervatis.

917. Quamvis Superior non debeat eſſe difficilis dum inferior vel per ſe vel per aliũ petit facultatem alteri reſervata confitendi: imò poſsit graviter peccare hanc facultatem abſque juſta cauſa negando. tamen poteſt & interdum tenetur eam denegare, præſertim Superior Religioſus, ſi timeat ſcandalum, aut grave damnum communitatis, aut periculum relapſus aut relaxationis religioſæ diſciplinæ ex nimia facilitate in concedenda hujuſmodi facultate. Poteſt etiam Superior veniam concedens præſcribere certam pœnitentiam pro peccato reſervato pœnitenti injungendam: vel etiam deſignare certum confeſſarium per quem melius & ſecurius inferior dirigatur. Item quando dat facultatem non pro reſervato jam commiſſo ſed fortè poſtea committendo, poteſt illam concedere cum onere poſtea ſiſtendi ſe ſuperiori. Quomodo in quibuſdam Religionibus conſtitutum eſt, ut ſi quis in itinere, vel hoſpitans in aliqua domo ejuſdem Religionis inciderit in caſum reſervatum, poſsit abſolvi a confeſſario iſtius domus, ſed

Poteſt tamen & debet aliquando eam denegare.

cum

cum onere sistendi se superiori suo aut ejus delegato cum ad propriam domum redierit.

918. Si confessarius domus Religiosæ petat à superiore facultatem absolvendi a reservatis pœnitentem regularem ejusdem domus, hancque facultatem neget superior, quam ipse judicat concedendam; potest eum pro illa vice etiam non obtenta facultate, a reservatis absolvere. Sic decrevit Clemens VIII. cujus decreti ulterior declaratio facta ab Vrbano VIII. habetur tom. 4. Bullarii Bulla 26. De Bulla Clem. VIII. in favorem regularium circa casus reservatos.

919. Sigillum confessionis est obligatio servandi secretum circa ea quæ in confessione sacramentali audita sunt. Sub hoc sigillum cadunt non tantum omnia pœnitentis peccata, sed etiam quæcumque ab eo dicta sunt ad conscientiæ & dispositionis suæ ac peccatorum pleniorem manifestationem. Quid sit sigillum confessionis.

Hæc secreti obligatio adeò stricta est, ut nullo prorsus casu absque expressa pœnitentis venia vel minimum peccatum revelari possit; ut patet tum ex cap. *omnis utriusque sexus*. Et cap. *Sacerdos* de pœnit. dist. 6. tum etiam ex perpetua Ecclesiæ praxi & unanimi PP ac DD. consensu. Contra Altisiodorensem & quosdam Canonistas qui olim senserunt posse aliquid revelari, quando id necessarium est ad impediendum matrimonium aliquod invalidum. Verum hæc opinio censetur nunc erronea. Quanta sit hujus sigilli obligatio.

Oritur autem dicta obligatio ex tribus capitibus. 1. ex jure naturali obligante ad non evulgandum id quod sub secreto acceptum est præsertim cum damno aut infamia, aut alio alterius incommodo. 2. ex jure Ecclesiastico capitulis citatis. 3. ex jure divino quasi naturali, seu ex natura rei consequente institutionem hujus Sacramenti, ne scilicet confessio secreti revelatione reddatur nimis odiosa. Atque ex hoc tertio capite oritur summus ille obligationis rigor, nam ex jure merè naturali, aut Ecclesiastico non potuit tam gravis obligatio resultare: non ex naturali, quia ad bonum publicum potest quandoque, imo & debet naturale secretum solvi: non etiam ex Ecclesiastico: alioqui enim posset Pontifex ex gravi causa in eo dispensare. Ex quibus capitibus oriatur. Ex quo capite oriatur tam gravis obligatio sigilli, ut nullo unquam casu liceat illud frangere.

Obligatio sigilli oritur ex omni & sola confessione sacramentali.

Hinc collige in violatione sigilli multiplicem malitiam reperiri, videlicet infidelitatis, injustitiæ, & sacrilegii. Infidelitatis quidem & injustitiæ erga pœnitentem. Sacrilegii verò respectu Sacramenti ob violationem reverentiæ ei debitæ. Et hæc malitia semper est ex natura sua mortalis, sic ut non possit esse venialis ob parvitatem materiæ, licet possit esse talis ob defectum advertentiæ.

920. Oritur obligatio sigilli ex omni & sola confessione sacramentali, id est facta animo se accusandi in foro pœnitentiæ, quamvis ex aliquo defectu sive pœnitentis, sive confessarii non sequatur absolutio. Hinc etiam oritur ex confessione per errorem facta non Sacerdoti gerenti se pro Sacerdote. Item ex comparatione coram superiore pro reservatis sive ante, sive post confessionem, quia si fiat ante est quædam inchoatio confessionis: & si fiat post, est quædam illius consummatio. Non tamen incurritur ex confessione facta Sacerdoti tantum animo irridendi, aut ipsum tentandi; quia talis confessio non est sacramentalis. Neque etiam ex eo quod aliquis committens alteri aliquod secretum dicat se illud ei committere sub secreto sigilli; quia non potest ab homine imponi obligatio, cujus materia non est capax. Itaque tantum tunc habetur obligatio secreti naturalis.

Contrahunt obligationē sigilli illi omnes qui mediatè vel immediatè aliquid norunt ex confessione sacramentali.

921 Obligationem sigilli contrahunt illi omnes, qui mediatè vel immediatè ex confessione aliqua sacramentali notitiam habent alicujus rei sub sigillum cadentis. Itaque hoc sigillo tenetur. 1. ipse confessarius etiam fictus. 2. superior qui aditur pro reservatis. 3. interpres alienæ confessionis. 4. qui confessionali vicinus peccatum confitentis audivit, sive animo audiendi accesserit, quod est mortale: sive inculpabiliter præter voluntatem suam illud audierit. 5. is cui Sacerdos confessionem alterius revelavit, qui etiam graviter peccat consentiendo in istam revelationem, si Sacerdos non habuerit à pœnitente veniam id faciendi 6. illi coram quibus in casu necessitatis v.g. instante naufragio confessio facta fuit, qui nequidem inter se loqui possunt de auditis in publica

blica illa confessione. 7. is etiam qui à confessario consulitur, ut DD communius dissentiente Vasquez, si id fiat ex pœnitentis licentia. 8. denique inveniens ac legens confessionem alterius scriptam, ut communius DD. contra Suar. Laym Lug. &c. agnoscentes tantum strictissimam obligationem secreti naturalis.

922. Generaliter loquendo violatur sigillum. 1. directè revelando peccatum aliquod in confessione auditum absque pœnitentis venia. 2. indirectè aliquid dicendo, aut faciendo ex quo veniri possit in notitiam aut suspicionem peccati in confessione declarati. Quandonam violetur sigillum directè & quandonam indirectè.

Dixi absque pœnitentis venia: cum enim sigillum impositum sit in pœnitentis favorem, potest is jure suo cedere, & dare facultatem confessario revelandi aliquid in confessione declaratum: & aliquando ad id ex charitate obligatur, si nempè id necessarium sit ad vitandum aliquod grave damnum aut scandalum Reipublicæ aut Religiosæ communitatis.

Speciatim autem loquendo violatur sigillum per revelationem mortalis non solum in specie sed etiam in genere v.g. dicendo talis confessus est aliquid mortale. Item per revelationem venialis in specie; v.g. dicendo talis confessus est verba otiosa: non autem per revelationem venialis in genere; v.g. dicendo talis confessus est venialia: quia hoc ipso quo quis confitetur, attestatur se saltem admisisse venialia: ab eo tamen dicendo abstinendum etiam est ob periculum scandali.

923. Ad violationem sigilli non sufficit quod reveletur peccatum in confessione auditum; sed insuper requiritur ut aliquo modo determinetur persona, quæ illud commisit. Unde non violat sigillum, qui præcisè dicit se in confessione audivisse hæc & illa peccata, sic ut nullo modo deveniri posit in suspicionem personæ. Quod si tamen designetur locus aut parva communitas, dicendo v.g. tali loco audivi in confessione multa adulteria; aut in tali monasterio aliquem esse fornicatum, multi putant illicitum esse. Hoc certum: non facilè loquendum de auditis Ad violationem sigilli requiritur ut aliquo modo determinetur persona cujus peccatum revelatur.

in confessione etiam abstrahendo a persona, præsertim coram rudioribus, ne scandalizentur, suspicantes violari sigillum: & generaliter coram omnibus, ne postea per inadvertentiam aliqua addantur occurrantque circumstantiæ ex quibus deveniatur in suspicionem personæ.

Non potest confessarius cum pœnitente agere extra confessionem de auditis in confessione.

924. Frangit etiam sigillum confessarius, si extra confessionem agat cum pœnitente absque ejus venia de auditis in confessione, ita ut nequidem liceat eum extra confessionem admonere de defectu etiam gravi in confessione admisso non obtenta prius facultate. Si tamen statim post impositam pœnitentiam ac datam absolutionem confessarius judicet aliquid addendum circa dicta in confessione, potest id facere, quia illud spectat ad complementum confessionis. Potest etiam in sequentibus confessionibus pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus admisso, illique repræsentare gravitatem relapsus in eadem peccata, quæ prius fuerat confessus.

Quomodo debeat se gerere qui interrogatur de auditis in confessione.

925. Interrogatus de cognitis per confessionem non potest ullo modo aliqua tergiversatione, aut responso æquivoco occasionem dare de illis suspicandi; sed debet protestari istam interrogationem sibi & Sacramento esse injuriosam, & omni responso indignam. Quod si id non sufficiat ad tollendam omnem suspicionem, potest & debet simpliciter negare se quidquam scire etiam cum juramento, si id necessarium sit; quia scientia quam habet ex confessione sacramentali, perindè est ac si illam non haberet. Si verò interrogetur utrum pœnitentem absolverit, an non? debet præcisè respondere se functum esse officio: alioqui enim id affirmans de uno, & non de altero, indirectè revelaret ejus indispositionem, aut casum reservatum. Propter eandem rationem dum confessarii in Paschate dant pœnitentibus testimonia auditæ confessionis tantum testari debent talem fuisse sibi confessum, non verò fuisse absolutum, nisi specialis ratio aliud postulet.

Quid faciendum sit confessario si moribundus

926. Petes 1. quid faciendum sit confessario si moribundus obligatus ad restituendum roget illum ut hæredes suos moneat de restitutione facienda?

ratio

ratio difficultatis est quod per hanc monitionem daturus sit hæredibus occasionem vehementer suspicandi se peccatum aliquod in confessione moribundi audivisse ob quod facienda sit restitutio. R. curare debet, ut ipsemet moribundus dicat hæredibus suis se debere tali personæ tantam pecuniæ summam, velleque ut illi satisfiat tacita interim hujus debiti causa, si ita optet. Vel certè si moribundus habeat ad manum necessariam pecuniam, illam ab eo petat, ut eam restituat illis quibus debita est, tacito restituentis nomine. Quod si neutrum fieri possit, vel quia nullus est præsens præter confessarium: vel quia moribundus non habet ad manum pecuniam restituendam, dicat postea hæredibus sibi injunctum a moribundo, ut illis significet restituendam talem pecuniæ summam tacita restitutionis causa, nisi ad eam manifestandam veniam acceperit: paratum se esse, si hanc summam velint ei committere, illam tradere ei aut eis, quos moribundus ipsi nominavit.

eum roget, ut hæredes moneat de facienda restitutione.

927. Petes 2. quid faciendum sit Parocho, si excipiens confessionem sponsi vel sponsæ paulò post solemni matrimonio conjungendæ, jamque consanguineis in templo congregatis, ex confessione deprehendat impedimentum aliquod dirimens, ex eo quo v.g. sponsus sororem sponsæ, aut ejus consanguineam in secundo gradu carnaliter cognoverit. Ratio difficultatis est, quod ex una parte non possit impedimentum illud manifestare salvo confessionis sigillo: Ex altera autem matrimonium futurum sit invalidum ob istud impedimentum. R. si nullo modo salvo confessionis sigillo possit matrimonium differre, debere illos matrimonio conjungere, & sponsum pœnitentem admonere, si jam illi impedimentum significaverit, abstinendum ipsi esse à sponsæ amplexu, donec impedimento per dispensationem sublato fiat validum matrimonium. Aut potius impedimentum taceat: ipse autem statim impedimenti dispensationem procuret; eaque obtenta ingeniosè mutuum sponsi & sponsæ consensum in matrimonium rursus impetret; prioris matrimonii

Quid faciendum Parocho si ex cōfessione spōsi aut sponsæ deprehendat impedimentū dirimens.

Illicitus est usus scientiæ in confessione acceptæ: si saltem sit indirecta ejus revelatio.

invaliditate non declarata: quia videtur præstare ut peccent materialiter potius quam ut declarato impedimento exponatur sponsus manifesto periculo peccandi formaliter.

928. Nunquam licet absque expresso pœnitentis consensu uti scientia in confessione accepta, sicut illius usus sit aliquo modo seu directa, vel indirecta peccati pœnitentis revelatio. Conclusio certa est: quia omnis revelatio sive directa, sive indirecta, sive fiat verbis, sive gestu, sive alio quocumque modo semper est aliqua violatio sigilli confessionis, quæ nunquam licita est.

Aut si indè reddatur cōfessio odiosa

929. Quamvis usus istius scientiæ non esset nec directa, nec indirecta revelatio peccati pœnitentis si tamen talis sit ut confessionem possit reddere gravem & odiosam fidelibus, dicendus etiam est illicitus. Ita communius DD. Ratio est quod cum Christus instituerit confessionem in bonum animarum, censendus sit prohibuisse omnem usum scientiæ in ea acceptæ; per quem ipsa reddatur difficilis, & odiosa.

Adfertur decretum Clementis VIII. prohibentis scientiǵ usū.

Confirm. quia hunc etiam usum videtur comprehendere decretum Clementis VIII. editum anno 1594. die 26. Maii, quo Prælatis omnibus Regularibus prohibet usum scientiæ in confessione acceptæ, his verbis: *tam superiores pro tempore existentes quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur &c. atque ita per quoscumque regularium superiores quicumque illi sint, observari mandamus*. Iam antea idem nostris prohibuerat Claudius Aquaviva Societatis Iesu Generalis anno videlicet 1590. districtè præcipiens ne ullus unquam contrariam doctrinam publicè aut privatim doceat, eave utatur.

Variis indè infertur illicitus usus talis notitia.

930. Hinc inferes non licitum esse superiori amovere aliquem ab officio præcisè propter peccatum ex confessione cognitum; aut illum propterea non assumere ad officium aliquod: aut ei suffragium in electione aliqua denegare &c. Neque licitum est propter

propter notitiam aliquam in confessione acceptam non conferre pœnitenti beneficium: aut efficere ne testator illum hæredem relinquat &c. quia per talem usum hujusmodi scientiæ verè redderetur confessio gravis & odiosa. Neque ad hoc requiritur, ut pœnitens advertat aut saltem suspicari possit id fieri occasione confessionis, sed satis est si revera id fiat. Non enim minus pœnitens averteretur à confessione, si sciret posse confessarium occultè contra ipsum uti scientia in confessione accepta, quam si sciat posse id facere ipso advertente.

931. Si usus scientiæ in confessione acceptæ nec esset directa, nec indirecta confessionis revocatio: & talis foret ut per eam non redderetur gravis, & odiosa, nec magis difficilis: ut si v.g. confessarius moveatur ex confessione pœnitentis ad orandum pro eo: ad studendum pro casibus ab eo propositis: ad vitanda pericula in quibus pœnitens ruinam spiritualem passus est &c. tunc certum videtur talem usum non fore illicitum, & sæpè contingere, imò & necessarium esse, ut patet in studio pro casibus a pœnitente propositis. Et verò cessat tunc utraque ratio propter quam usus talis scientiæ potest esse illicitus, videlicet revelatio confessionis, aut illius odium. Quod si dubium sit, an ex illius usu adsit periculum directæ aut indirectæ revelationis, aut ne reddatur confessio odiosa, aut magis difficilis, omninò ab hujusmodi usu abstinendum est.

Non est illicitum ista scientia uti quando cessat utraque ratio allata.

§. IX.

De satisfactione Sacramentali.

932. PEr se loquendo tenetur confessarius satisfactionem aliquam seu pœnam imponere ei quem a peccatis absolvit. Conclusio certa est. Prob. 1. ex Trid. sess. 14. cap. 8. dicente: *debent ergo Sacerdotes Domini &c. salutares & convenientes satisfactiones injungere*. 2. quia hoc Sacramentum habet rationem judicii vindicativi. 3. quia satisfactio est pars integralis hujus Sacramenti.

Per se loquendo tenetur confessarius satisfactionem aliquam pœnitenti imponere.

Dixi *per se loquendo*, quia moribundus sensibus destitutus, adeòque incapax pœnitentiæ acceptandæ aut exequendæ nihilominus absolvi debet, si prius signa doloris peccatorum dederit.

Hæc confessarii obligatio gravis est.

933. Hæc confessarii obligatio gravis est, ita ut peccet mortaliter, si nullam satisfactionem imponat. Ita DD communiter: idque sufficienter probant rationes conclusionis. Aliqui tamen ut Diana, Lugo, Amicus &c. putant non esse mortale omittere impositionem pœnitentiæ, quando tantum levis imponenda est pro venialibus aut mortalibus alias confessis; quia, inquiunt, obligatio procurandi integritatem Sacramenti in re non essentiali non videtur esse tam stricta, ut non admittat parvitatem materiæ. Verum cum ista integritas sit verè de substantia Sacramenti, licet non de essentia; probabilius videtur quod etiam tunc sit gravis obligatio pœnitentiam aliquam imponendi, præsertim cum id facilè fieri possit.

Tenetur pœnitentiam injungere aliquo modo peccatis proportionatam.

934. Tenetur autem confessarius pœnitentiam injungere aliquo modo peccatis proportionatam spectatis omnibus circumstantiis. Hanc conclusionem expresè tradit Trid. sess. 14. cap. 8. his verbis: *Debent Sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggesserit; pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum peccatoribus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Dicitur 1. *quantum spiritus & prudentia suggesserit.* Quibus verbis monemur non esse hac in re temerè procedendum; sed prius invocandum esse Spiritum Sanctum & diligenter attendendum quamnam expediat satisfactionem injungere, ne in ejus defectu aut excessu peccetur.

Debet haberi ratio qualitatis criminum, & facultatis pœnitentiū.

935. Dicitur 2 *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate.* Quibus verbis declaratur duo esse, ad quæ potissimum Confessarius debet attendere, ut hac in re prudenter se gerat. Primum est criminum qualitas; quia, per se loquendo, pro majoribus criminibus

minibus major satisfactio injungenda est. Vndè peccaret graviter confessarius, si pro quibusvis peccatis etiam gravissimis, leves tantum pœnitentias promiscuè imponeret. Quamvis autem non fiat illic mentio multitudinis peccatorum, certum tamen est multum etiam ad eam esse attendendum, ut satisfactio criminibus proportionetur: quanto enim major est eorum numerus, tantū etiam major debet esse pro illis satisfactio. Alterum est *pœnitentium facultas*: quo nomine involvuntur omnes circumstantiæ tenentes se ex parte pœnitentis ad propositum facientes, ut sunt ejus conditio, ætas, sexus, valetudo, convictus, infirmitas &c. Certum enim est non posse genus & quantitatem satisfactionis prudenter præscribi, nisi reflectendo ad istas aut similes circumstantias. Quis enim non videat notabiles eleemosynas imprudenter injungendas illis qui diurno habere victum sibi comparant: aut graves corporis afflictiones ut jejunia, flagellationes, cilicia &c. illis qui vel infirma sunt valetudine, vel quotidie in aliquo opere laborioso versantur: vel in aliqua conditione degunt ærumnis & miseriis plena. Quis non videat quandoque alias fœminis, alias viris: alias pueris, alias adultis, alias senibus eorumdem etiam peccatorum satisfactione imponendas esse pœnitentias. Præterea diligenter advertendum est, ne sint hujusmodi, ut facilè possint alii, quibuscum convivunt, ad eas advertere, & ex eis colligere gravius aliquod peccatum ab illis admissum: quia illud esset aliquo modo contra sigillum confessionis.

Quid debeat intelligi nomine facultatis pœnitentium.

936. Dicitur 3. *salutares & convenientes satisfactiones*. Tales autem sunt præcipuè ob duas causas, videlicet 1. quando aptæ sunt, ut per eas Deo satisfiat, quales sunt, generaliter loquendo, quæ magis pœnales sunt. 2. quando idoneæ sunt ad relapsum prohibendum, quæ alio nomine dicuntur medicinales. Non sunt autem censendæ salutares, quando tam graves sunt, ut habita ratione conditionis aut infirmitatis pœnitentium, aut aliarum circumstantiarū meritò timeatur ut eas impleant, aut ne à cōfessione deinceps

Quænam censēdæ sint salutares, & cōvenientes satisfactiones.

deinceps eos retrahant: atque ita non in salutem eorum, sed in exitium vertantur.

Quibus ex causis imminui possit pœnitentiæ gravitas peccatis debita.

957. Petes quibus ex causis imminui possit pœnitentiæ gravitas peccatis debita? R. potissimum ex triplici. 1. ex præsenti pœnitentis infirmitate, & si quidem morbo sit valdè oppressus, & morti proximus levissima tantum injungenda est, admonendo ut dolores suos in satisfactionem Deo offerat, atque in eum finem patienter toleret. Quod si morbus remissior sit, & spes adsit convalescentiæ, potest sic injungi ut gravior ejus pars sit tantum implenda post convalescentiam. 2. propter intensum dolorem, lacrymis, singultibus, suspiriis, aliisque signis sufficienter testatum: cum enim pœnitens per hujusmodi dolorem jam magna ex parte Deo satisfecerit non amplius opus est tanta satisfactione. 3. ratione indulgentiarum cum enim eo fine concedantur, ut sint loco satisfactionis Deo debito pro peccatis admissis, clarum est per eas imminui debitum satisfactionis.

Opera in satisfactionem injungenda revocantur ad jejunium eleemosynã & orationẽ.

938. Triplicis potissimum generis sunt opera in satisfactionem pœnitenti injungenda, videlicet jejunia, eleemosyna, oratio. Nomine jejunii comprehendi debent cæteræ corporis afflictationes. Nomine eleemosynæ, quælibet opera misericordiæ. Nomine orationis, ea omnia quæ spectant ad Dei cultum.

Ea pœnitentia injungenda est quæ aptior videtur ad pœnitentis emendationem.

939. Inter opera satisfactoria maximè convenit ea injungere, quæ aptiora sunt ad pœnitentis emendationem. Vndè de illis agens Rituale Romanum sic habet: *contrarias peccatis pœnitentias injungat, velut avaris eleemosynas: libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictationes: superbis humilitatis officia: desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpè, puta semel in mense, vel certis diebus solemnioribus confiteantur, & , si expediat, communicent.* Addo ad tollendas peccandi consuetudines nihil ferè utilius videri quam pœnitentibus præscribere, ut per aliquod tempus quotidiè mane, dum surgunt, proponant peccatum illud, cujus pravam habent consuetudinem, isto die vitare, & in eum finem

nem Dei auxilium implorent. Vespere autem conscientiam suam præcipuè circa illud peccatum examinent; & si deprehendant se in illud iterum incidisse veniam à Deo petant, actum contritionis eliciant, & emendationem proponant.

940. Petes 1. an in satisfactionem injungi possint opera merè interna? R. ordinariè injungenda esse externa, eo quod sint huic Sacramento magis convenientia, quod cum sit sensibile videtur etiam exigere satisfactionem sensibilem. Absolutè tamẽ loquendo videntur posse etiam injungi merè interna v. g. actum contritionis aliquoties per hebdomadam singulis diebus iterandum. Et hæc doctrina usui esse potest respectu moribundi voce jam & motu destituti, sed non sensu interno: tali enim convenienter in satisfactionem imperabitur actus aliquis internus contritionis: aut interna invocatio nominis Iesu & Mariæ &c. **Absolutè loquendo possunt in satisfactionem injũgi actus meri interni**

941. Petes 2. an in satisfactionem imperari possint opera aliundè præcepta? R. cum communi affir. quia sicut ista opera possunt esse & meritoria & satisfactoria, ita absolutè loquendo possunt injungi in satisfactionem sacramentalem. Non tamen facilè illa sola imperanda sunt: quia vindicta peccatorum in hoc tribunali exercenda videtur aliud in satisfactionem exigere. Quod si confessarius non exprimat se injungere tale opus præceptum, neque ex circumstantiis id colligi possit, censendus est imperasse opus diversum ab opere aliundè præcepto. Vnde jussus simpliciter in satisfactionem semel jejunare, non satisfacit jejunando eo die quo tenetur ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ. Similiter jussus simpliciter audire missam, non satisfacit unicam audiens die festo &c. **An in satisfactionẽ imponi possint opera aliundè præcepta.**

942. Petes 3. an possint in satisfactionem imponi pœnitentia aliqua per alium implenda? R. debere saltem aliquid injungi quod pœnitens per seipsum impleat: quia satisfactio est pars materialis integrans Sacramentum Pœnitentiæ: materia autem hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis. Potest tamen adjungi aliquid quod per alium impleatur, v.g. ut pœ- **An injungi possit satisfactio per alium implenda.**

nitens

nitens procuret unius atque alterius missæ celebrationem. Quod si confessarius non exprimat modum, quo debeat opus impleri, censendus est imperasse opus personale: undè si v.g. præceperit simpliciter peregrinationem, tenetur pœnitens per se illam obire. Si tamen injunxerit eleemosynam satisfaciet illam dando per alium, modo fit ex propria pecunia; quia illud est quod intendit confessarius.

Per se loquendo tenetur pœnitens acceptare & implere pœnitentiam.

943. Per se loquendo tenetur pœnitens acceptare & implere pœnitentiam sibi impositam, Ita DD. communius contra Scot. Gabr. Cajet. Sylvest. Navar. &c. dicentes teneri quidem illam implere supposita acceptatione, non teneri tamen ad eam acceptandam, sed posse sub onere impositæ satisfactionis absolutionem recusare, & ad alium confessarium pro ea recurrere. Ratio conclusionis est. 1. quod claves non tantum datæ sint ad solvendum, sed etiam ad ligandum; potestas autem ligandi partialiter saltem consistit in obligatione implendi impositam satisfactionem. 2. quod reus teneatur obedire judici justam sententiam ferenti.

Dixi *per se loquendo*: quia clave, ut dicitur, errante, sive quando imponitur pœnitentia irrationabilis ob nimiam gravitatem, aut diuturnitatem, potest pœnitens illam recusare, & ad alium confessarium recurrere, si confessarius nolit illam mutare aut imminuere.

Hæc obligatio pœnitentis gravis est.

Hæc pœnitentis obligatio gravis est; ita ut peccet mortaliter, si impositam & acceptatam pœnitentiam non impleat. Ita DD. communiter. Idque videntur evincere rationes pro conclusione allatæ. Varii tamen existimant dari hac in re parvitatem materiæ; ideòque esse tantum veniale omittere pœnitentiam levem ob venialia impositam. Contrarium tamen videtur mihi probabilius, si omissio istius levis pœnitentiæ sit omninò voluntaria: quia si levis est, tantò facilius potest impleri; ac proindè voluntaria ejus omissio videtur esse aliquis contemptus hujus Sacramenti; cum per hanc omissionem fiat, ut careat integrali suo complemento.

944. Dices 1. nemo tenetur in hac vita satisfacere pro

pro pęna temporali peccatis suis jam remissis adhuc debita; sed potest velle illam pati in altera in purgatorio. R. quamvis daretur id verum esse absolutè loquendo, & quantum est ex natura rei: supposito tamen, quod aliquis se jam submiserit judicio sacramentali; dico eum teneri virtute clavium ad implendam satisfactionem sibi impositam.

Non potest velle istam satisfactionē differre in alteram vitam in purgatorio exhibendam.

945. Dices 2. redemptio pœnarum purgatorii per satisfactionem sacramentalem est in favorem pœnitentis: ergo potest illi renunciare. R. istam satisfactionem prout per eam redimuntur pœnæ purgatorii, esse quidem in favorem pœnitentis; eam tamen præcipuè imponi in vindictam peccatorum, idque per legitimam judicis sententiam, ac proindè à reo implendam.

Pœnitentia imponitur per legitimā judicis sententiam in vindictam peccatorum.

946. Dices 3. potest pœnitens tollere necessitatem satisfactionis sacramentalis lucrando indulgentiam plenariam: ergo &c. R. indè, ut summum, sequi pœnitentem certum de lucrandis indulgentiis æqualibus satisfactioni peccatis debitæ, non teneri ad ulteriorem satisfactionem. Sed undè id constabit? Dixi *ut summum*, quia nequidem videtur id sequi: cum enim videatur Christus sic instituisse hoc Sacramentum, ut nunquam absolvatur reus sine impositione alicujus pœnæ, ut exigit ratio judicii, videtur pœnitens semper obligari ad subeündam pœnitentiam sibi impositam.

947. Si confessarius determinet tempus inter quod implenda sit pœnitentia, tenetur pœnitens illam implere intra tempus præscriptum. Datur tamen hac in re parvitas materiæ, ita ut illam differre ad aliquot dies ultra tempus determinatum sit tantum veniale, nisi ad finem præscriptæ pœnitentiæ magni referat illam esse impletam tempore imperato.

Tenetur pœnitens implere pœnitentiam intra tempus præscriptum.

948. Si confessarius tempus non determinaverit nihilominus tenetur pœnitens tempore opportuno pœnitentiam implere; ita ut peccaturus sit mortaliter si illam ex gravi negligentia diu differat. Quandonam autem censeri debeat diuturna dilatio, non est facilè determinare. Non est saltem audiendus

Diana

Diana existimans non esse peccatum mortale, illam ad annum differre.

Nec ab ejus onere liberatur si illam intra illud tempus non impleverit.

949. Si quis pœnitentiam non impleverit tempore præscripto sive culpabiliter ex negligentia, sive inculpabiliter ex oblivione, aut legitima causa, non tamen propterea liberatur ab onere istius implendæ: quia intentio confessarii pœnitentiam imponentis principaliter cadit in ipsum opus: undè elapso tempore manet adhuc obligatio implendi operis.

Non est præmittenda satisfactio absolutioni.

950. Erroneum est asserere differendam esse absolutionem, donec pœnitens injunctam pœnitentiam absolverit 1. quia illud est contra praxim Ecclesiæ. 2. quia satisfactio est pars integralis, & ultimum complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Non potest autem esse talis, si præcedat absolutionem: nam ultimum complementum Sacramenti supponit Sacramentum. 3. quia satisfactio præcedens absolutionem non potest pœnitenti prodesse ex opere operato; cum non possit esse pars Sacramenti, quod necdum est: ac proinde confessarius præscribens satisfactionem implendam ante absolutionem privat pœnitentem illo satisfactionis valore, quem haberet ex opere operato ut pars integralis, & complementum Sacramenti.

Neque in primitiva Ecclesia id factum est.

951. Dices in primitiva Ecclesia pœnitentes tantum absolvebantur peracta pœnitentia. R. id tantum usurpatum fuisse respectu eorum, qui publicam pœnitentiam agebant· nec tunc absolutionem istam fuisse sacramentalem, sed tantum ceremonialem qua pœnitentes peracta publica pœnitentia participationi Eucharistiæ, & integræ fidelium communioni in sacrificio Missæ, publicis precibus, &c. solemniter restituebantur.

Non potest pœnitẽs privata authoritate pœnitentiam sibi impositam mutare.

952. Non potest pœnitens propria authoritate pœnitentiam sibi impositam mutare, licet mutaret illam in aliam evidenter meliorem. Ita DD. communiter 1. quia nulla satisfactio potest esse sacramentalis, nisi injuncta virtute clavium 2. quia non est in potestate subditi præceptum Superioris mutare.

953. Nul-

953. Nullus inferior carens jurisdictionem in reservata potest mutare pœnitentiam à superiore impositam propter reservata. Ita communius DD. Ratio est quod sicut imponere pœnitentiam est actus jurisdictionis; ita & illam mutare. Qui igitur caret jurisdictione in reservata, sicut non potest satisfactionem sacramentalem pro illi injungere; ita nec injunctam mutare.

954. Nullus Sacerdos sive inferior, sive æqualis, sive Superior potest satisfactionem ab alio confessario imperatam omnino tollere, sive sicut ut loco ejus nullam aliam substituat. Est communis & certa; quia ex Christi institutione exigitur in hoc tribunali aliqua pro peccatis vindicta, seu satisfactio.

956. Confessarius, qui pœnitentiam imposuit potest eam in alteram commutare, quamdiu retinet memoriam saltem confusam prioris confessionis: ita quoque communiter DD. Sicut enim in arbitrio ejus fuit prima pœnitentiæ impositio, sic ut potuerit quamlibet justam præscribere: ita in ejus potestate est prioris pœnitentiæ in alteram pariter justam commutatio. Quamvis autem aliqui requirant ut hæc commutatio fiat non diu post priorem confessioné, eo quod post diuturnum tempus non videatur posse concurrere ad integritatem prioris Sacramenti: alii tamen probabilius existimant non obstare aliquam temporis diuturnitatem: sicut enim ipsa satisfactio aliquamdiu post confessionem peracta potest moraliter integrare Sacramentum, quod ante præcessit: ita & mutatio satisfactionis.

Commutatio pœnitentiæ potest saltem ab eodem confessario fieri.

957. Non tantum idem confessarius, sed etiam quilibet alius habens legitimam jurisdictionem in peccata propter quæ pœnitentia fuit ab altero imposita, potest ex justa causa injunctam pęnitentiam in alteram commutare, si pœnitens ei peccata declaret propter quæ fuit imposita. Ita etiam DD. communiter. Ratio est quod judex agens vices alterius judicis in eodem tribunali, possit idem, quod alter: cum ergo alter confessarius sit quasi successor prioris confessarij in eodem tribunali, & vices ejus agens:

Potest etiam hæc pœnitentię commutatio fieri ab altero confessario.

sicut

sicut prior confessarius poterat facere hanc commutationem ita & ille.

Ad id tamen necesse est ut pœnitens declaret ei peccata ob quæ fuerat imposita.

Dixi *si pœnitens ei peccata declaret &c.* quia videtur hæc declaratio ad id necessaria. Ratio est quod pœnitentiæ commutatio sit actus judicialis, qui non potest justè exerceri nisi causa prius distinctè cognita. Et ita sentiunt Suar. Vasq. Reginal ConincK. Lugo & alii communius contra Tolet. Navar. Sa. Victor. Dianam &c. existimantes sufficere confusam aliquam cognitionem status pœnitentis: putant enim minus distinctam peccatorum cognitionem requiri ad pœnitentiam commutandam, quam ad eam primo imponendam. Sed ratio allata videtur æquè militare pro commutatione pœnitentiæ, quam pro prima ejus impositione. Hæc autem commutatio non debet fieri sine justa causa, qualis v.g. esset si mutatis circumstantiis pœnitentia prius imposita reddita esset nimis difficilis aut pœnitenti minus utilis &c. & dum fit commutatio, expedit ut relinquatur aliquid implendum ex priori pœnitentia, ne prius Sacramentum careat parte sua integrali: satis enim difficulter intelligitur quomodo pœnitentia ab altero commutata possit integrare prius Sacramentum. Dici tamen potest videri ad id sufficere, quod alter commutans pœnitentiam agat velut vices prioris confessarii, ac proinde moraliter loquendo possit commutata pœnitentia integrare prius Sacramentum, sicut integrasset prior pœnitentia in cujus locum hæc succedit.

Satisfactio sacramentalis non causat gratiam sanctificantem ex opere operato.

958. Non videtur quod satisfactio sacramentalis causet gratiam sanctificantem ex opere operato. Ita Vasq ConincK. Præpos. Lugo, &c. Contra Cajet. Sot. Suar. Gonet. & plerosque recentiores Thomistas. Ratio est 1. quod Sacramentum Pœnitentiæ non videatur productivum gratiæ sanctificantis ex opere operato nisi quatenus est remissivum culpæ, quæ formaliter tollitur per gratiam sanctificantem: atqui satisfactio non remittit culpam, sed supponit jam remissam per absolutionem: ergo &c. 2. quia ante satisfactionem habetur tota essentia Sacramenti: ergo & totus effectus gratiæ sanctificatis.

Dices

Dices satisfactio sacramentalis est pars Sacramenti: atqui partes Sacramenti causant gratiam sanctificantem ex opere operato: ergo &c. R. satisfactionem illam esse tantum partem integralem, non essentialem. Ad solas autem essentiales spectat causare gratiam sanctificantem ex opere operato.

Causat tamē aliquas gratias actuales.

959. Causat tamen ex opere operato aliquas gratias actuales suo tempore dandas adversus relapsum. Ita Suarez, ConincK, Amicus & alii communius contra Lugo. Quia satisfactio sacramentalis ex Christi institutione non tantum imponitur: in vindictam peccatorum, sed etiam in remedium contra relapsum: atqui in eum finem opus est gratiis actualibus: ergo &c.

Item aliquā remissionem pœnæ temporalis peccatis debitæ.

960. Causat quoque ex opere operato aliquam remissionem pœnæ temporalis peccatis remissis adhuc debitæ. Est communis & certa. Et prob. 1. ex Trid. sess. 14. cap. 3. dicente contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur*, ergo juxta Trid. ut satisfactio dici possit pars hujus Sacramenti debet aliquo modo concurrere ad remissionem peccatorum. Atqui non concurrit ad remissionem eorum quoad culpam ergo saltem quoad pœnam, idque ex Christi institutione, adeoque ex opere operato. 2. quia satisfactio, partialiter saltem, eo fine imponitur ut per eam satisfiat pro pœna temporali adhuc debita peccatis quoad culpam remissis, huncque effectum significat: ergo & eundem efficit ex opere operato: nam Sacramenta id efficiunt, quod significant.

Satisfactio sacramentalis non semper causat integram remissionem pœnæ temporalis.

Dixi *remissionem aliquam &c.* non enim satisfactio sacramentalis causat semper integram remissionem istius pœnæ; sed tunc tantum quando omnino proportionata est gravitati peccatorum, & debito modo peragitur. Itaque majorem aut minorem partem istius pœnæ delet, prout magis aut minus proportionata est peccatorum gravitati; & majori aut minori cum devotione peragitur.

Debet fieri in statu gratiæ ut remittat pœnam temporalem.

961. Vt satisfactio sacramentalis causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis ; debet fieri in statu gratiæ . Ita Suar.Con.Lug. & alii communius contra Vasq.Amicum &c. quia inimicus Dei indignus est ut ejus satisfactio à Deo acceptetur pro pœna temporali peccatis debita : sicut indignus est ut opera ejus bona acceptentur ad præmium . Probabile tamen est sublato postea obice seu peccato , satisfactionem sacramentalem reviviscere ad effectum hunc producendum : quia contra istam reviviscentiam nihil solidum potest adferri . Et ita sentiunt Sotus,ConincK,Lug.& alii communius contra Cajet.Ledes.

Satisfacit tamen obligationi suæ qui illam implet in statu peccati.

962. Satisfacit tamen obligationi suæ qui satisfactionem præceptam implet in statu peccati , sicut non teneatur illam postea iterare in statu gratiæ. Ita DD.communiter . Ratio est quod confessarius imponens satisfactionem pœnitenti præcipuè intendat ut pœnitens ponat opus in satisfactionem præceptum . An autem peccet ponendo illud in statu peccati,variant authores . Hoc videtur satis certum non peccare saltem mortaliter præsertim in sententia negante satisfactionem producere gratiam sanctificantem ex opere operato ; quia tunc nequidem partialiter ponitur obex principali effectui Sacramenti , qui est gratia sanctificans . Quia tamen impeditur secundarius ejus effectus , qui est remissio pœnæ temporalis , videtur peccare venialiter , qui pœnitentiam implet in statu peccati. Id tamen etiam negat Lugo quia,inquit, alioqui peccaret venialiter qui audiret Sacrum in statu peccati , aut in eo statu adesset benedictioni Pontificis concedentis indulgentiam : quia tunc similiter poneret obicem remissioni pœnæ temporalis .

Videtur tamen peccare venialiter.

C A-

CAPVT VII.

De Extrema Vnctione, Ordine, ac Matrimonio.

§. I.

De Extrema Vnctione.

963. EXtrema Vnctio est verum Sacramentum. Est de fide contra Vvaldenses & Albigenses, qui id primi negarunt: quos deinde secuti sunt Vvicleffus, Luther. & Calv. Extrema unctio est verum Christi Sacramentū.

Prob. 1. ex Script. Iac. 5. v. 14. & 15. *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis Iacobus manifestè describit ritum hujus Sacramenti, designando ejus materiam, nempe oleum. Formam nempè orationem. Ministrum, nempè Presbyterum. Subjectum, nempè infirmum. Et effectum, nempè alleviationem infirmi, & remissionem peccatorum.

Respondet Lutherus hanc Epistolam non esse canonicam, sed contra est quod antiquissima Concilia, videlicet Laodic. can. ult. Carthag. 3. can. 47. Roman. sub Gelasio 1. ac PP. antiquissimi Hier. in Epist. ad Paulin. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. Innocent. in Epist. ad Exuper. cap. 7. & alii plurimi eam ut canonicam recipiant. Epistola Iacobi illud describentis est verè canonica.

Respondet Calvinus, Iacobum illic agere non de Sacramento aliquo, sed de ritu cujusdam unctionis, quam fideles tunc usurpabant ad curanda corpora per gratiam curationum, de qua Marcus cap. 6. dicens *ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Sed huic interpretationi manifestè obstant verba illa, *si in peccatis sit, remittentur ei:* quæ nullo modo detor- Et manifestè agit de unctione ut Sacramentum est.

queri possunt unctionem corporum dumtaxat curativam, de qua Mar.loco cit.obstat.2. quod unctio, de qua Iacobus, debeat fieri per Sacerdotes; ut constat verbis illis, *inducat Presbyteros &c.* hoc enim verbo intelligendos esse Sacerdotes definit Tridentinum sess.14.can 4. & declarat praxis Ecclesiæ. Vnctio autem, de qua Marcus, fieret per discipulos Christi nec. dum Sacerdotes. 3.quod unctio cujus ritum tradit Iacobus tantum applicari possit fidelibus baptizatis, ut colligitur ex his verbis *infirmatur quis in vobis*: fideles enim alloquitur. Vnctio autem quam refert Marcus applicaretur etiam infidelibus ad eos sanandos. Itaque unctio hæc tantum curabat corpora: nostra autem etiam animas.

Eadem veritas probatur ex perpetua praxi Ecclesiæ.

Prob.2. ex perpetua traditione Ecclesiæ de qua constat ex antiquissimis Conciliis, & Patribus ac consensu Ecclesiæ tam græcæ quam latinæ, ut videre est apud Bellarm. Arcud. & alios passim. Nostra denique conclusio expresse definita est à Concilio Florent.in decreto de Sacramentis. Et à Trid. sess.14.can.1.

Hoc Sacramentum institutum est post Resurrectionem.

964. Dices omnia sacramenta novæ legis fuerunt à Christo instituta: sed Extrema unctio non fuit à Christo instituta, cum Evangelistæ Christi facta referentes illius non meminerint; sed tantum Iacobus cujus proindè videtur author, ergo &c. R.cum S. Thoma hic q.29.a.3.ad 1. *quod multa Dominus fecit & dixit quæ in Evangelio non continentur*: ac proindè ex Evangelistarum silentio nihil posse concludi: & traditionem sufficere ad credendum quod fuerit à Christo institutum. Itaque loco Iacobi citato non habetur hujus Sacramenti institutio, sed prius a Christo instituti promulgatio. Videtur autem a Christo institutum post resurrectionem simul cum Sacramento Pœnitentiæ, cujus est quædam consummatio ut ait Trid. sess.14. in procemio de Extrema unctione. Dum autem cap.1. dicit fuisse insinuatum Mar.6. ubi de discipulis Christi dicitur, *ungebant oleo multos ægros*, tantum vult unctionem illam corporum figurativam fuisse figuram unctionis nostræ sacramentalis postea instituendæ.

965.Sa-

965. Sacramentum Extremæ unctionis non est necessarium ad salutem necessitate saltem medii; quia, ut certum est, absque ejus receptione potest salus æterna obtineri. Videtur tamen necessarium necessitate præcepti: quamvis enim nullibi extet in jure canonico præceptum de hujus Sacramenti receptione, consuetudo tamen Ecclesiæ in hoc Sacramento moribundis ministrando videtur habere vim præcepti, & quidem graviter obligantis; ita ut non possit moribundus hoc Sacramentum recusare sine peccato mortali.

Non est ad salutem necessariũ necessitate medii, sed tantũ præcepti.

966. Iterari potest & debet in diversis morbis in quibus æger in extremum vitæ periculum adducitur: non tamen in eodem morbo. Quod si æger ferè convaluerit, & aliquamdiu post reincidat in morbum, iterum inungi potest, quia morbus hic censeri potest moraliter diversus ab altero, maximè si habeat diversa symptomata. Requiritur autem ut morbus sit valdè gravis, jamque ægrotum in magnum mortis periculum deduxerit, adhuc licitè conferatur, imo & secundum aliquos, ut validè; ita ut nullum sit Sacramentum si conferatur ægroto adhuc existente extra mortis periculum. Et ita sentiunt Suar. Granad. Amic. &c.

Iterari potest in diversis morbis non in eodem.

967. Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum: proxima autem ipsa unctio. Debet autem hæc unctio ex usu Ecclesiæ & præcepto Ritualium obligante secundum aliquos sub mortali, secundum alios sub veniali fieri in formam Crucis. Non est tamen id necessarium ad valorem Sacramenti: uti neque quod fiat manu corpus ægri immediatè tangente, cum tempore pestis administrari possit mediante virgula.

Materia hujus Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum.

Dices: Iacobus non expressit quale debeat esse oleũ sed simpliciter dixit *ungentes eum oleo*: ergo non est necesse ad valorem Sacramenti sit ut oleum olivarũ. R. oleum simpliciter positum supponere pro oleo olivarum quia istud est præcipuum olei genus: ideoque Ecclesiam ita merito intellexisse, idque & Florent. in decr. de Sacramentis. Et Trident. sess. 14.

cap.1. de Extrema unctione determinasse addendo *olivarum*.

968 An autem pariter sit de essentia seu valore Sacramenti, ut oleum sit ab Episcopo benedictum? controvertitur. Affirmant communius DD. quia Florentinum & Tridentinum locis citatis expresse addunt *ab Episcopo benedictum*: idque semper observatum est in Ecclesia latina ut oleum infirmorum ab Episcopo benedicatur. Negant Victor. Valent. Henriq. Præpos. &c. Quia teste Arcudio lib.5. de Sacram. cap.2. Presbyteri simplices in Ecclesia græca ex antiqua consuetudine benedicunt istud oleum, idque faciebant etiam ante schisma. Nec unquam de hac re reprehensi sunt ab Ecclesia latina. Imo hanc consuetudinem approbavit Clemens VIII. in instructione de ritibus græcorum edita anno 1595. 1. Aug.

Probabile est benedictionem Episcopi non esse de essentia materiæ hujus Sacramenti.

Hæc sententia probabilis est: & ad id quod in contrarium allatum est ex Florentino & Tridentino dici potest, ab his Conciliis assignari pro materia oleum *ab Episcopo benedictum*, non quod ista benedictio sit necessaria necessitate Sacramenti; sed quod in Ecclesia latina sit necessaria necessitate præcepti. Retenta autem communi sententia dicendum est Presbyteros græcos benedicere istud oleum non authoritate propria, sed ab Episcopis per antiquam consuetudinem tacitè ipsis delegata, adeòque stare quod necessaria sit benedictio Episcopi, videlicet vel per se vel per suum Vicarium data; ita ut simplex Sacerdos non possit authoritate propria illud benedicere.

Vnctiones quinque sensuum sunt necessariæ necessitate Sacramenti.

969. Vnctiones quinque sensuum non tantum sunt necessariæ necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti; ita ut Sacramentum sit nullum, si una ex illis omittatur. Ita cum S. Thoma Theologi communius contra Estium, Molan. Arcud. Sylvium, Becan. Amic. & paucos alios. Prob. 1. quia licet variæ Ecclesiæ unctiones quasdam addant, aut omittant, omnes tamen usurpant unctiones quinque sensuum. 2. quia ad valorem Sacramenti debent in forma exprimi quinque sensus: ergo in eundem finem adhibendæ sunt unctiones quinque sensuum. 3. quia Ecclesia

clesia statuit, ut si fortè Sacerdos ante completas quinque unctiones deficiat, per alium perficiantur: ergo signum est quod judicet singulas esse de essentia.

Dices 1. Iacobus tradens ritum hujus Sacramenti non meminit quinque unctionum, sed simpliciter dicit *ungentes eum oleo*: ergo &c. R. multa haberi per traditionem, quæ non exprimuntur in Scriptura: usus autem universæ Ecclesiæ adhibentis unctiones quinque sensuum satis denotat id fuisse ab Apostolis traditum. Quales unctiones adhibeantur in Ecclesia græca.

970. Dices 2. in Ecclesia græca, teste Arcudio, Sacerdotes non sunt solliciti de organis quinque sensuum inungendis: non enim inungunt oculos, aures & nares; sed frontem genas, mentum, manus, pectus, & pedes. R. vel illos hac in re errare: vel inunctis fronte, genis, & mento, censeri moraliter inuncta organa visus, auditus, olfactus, & gustus ipsis vicina: Neque etiam in Ecclesia latina omnia quoque organa istorum sensuum immediatè in se inunguntur, sed tantum partes vicinæ: v.g. non inunguntur ipsi oculi, sed palpebræ oculos tegentes: non lingua quæ est organum gustus, sed labia.

971. Dices 3. pastorale Mechliniense editum anno 1588. cum approbatione Archiepiscopi & Universitatis Lovaniensis can. 9. de Extrema unctione dicit in morbis contagiosis sufficere unctionem unicam cum forma exprimente quinque sensus. Idem statuitur in pastorali Passaviensi teste Amico. R. canonem hunc pastoralis Mechliniensis fuisse postea correctum per sequentem Synodum habitam 1608. deinde huic pastorali, aut Passaviensi, aut cuicumque alter idem statuenti prævalet authoritas pastoralis Romani id non permittentis. Pastorale Mechliniense asserens unicam sufficere fuit quoad hoc correctum.

Cæterum negari non potest quin opposita sententia sit probabilis, adeoque usui esse possit in casu extremæ necessitatis, quo non posset nisi unica unctio adhiberi ob mortem jamjam imminentem. Vix tamen, aut saltem raro admodum potest id contingere, cum eo tempore, quo pronunciatur forma cum expressione 5. sensuum possint celeriter inungi organa quinque sensuum. Quamvis autem tactus vigeat

in toto corpore, solæ tamen manus inunguntur, tanquam præcipuum illius organum.

Vnctiones renum & pedum non sūt necessariæ, licet assignētur à Florentino.

972. Vnctiones aliæ duæ, quas Florentinum cum aliis unctionibus quinque sensuum enumerat, videlicet unctiones renum & pedum, non sunt necessariæ. Imo unctio renum præsertim in fœminis omitti debet ex decentia, ut monet Rituale Romanum. Vnctio autem pedum in quibusdam Ecclesiis omittitur: in aliis usurpatur. Vbi consuetudo viget ungendi pedes, servanda est.

Quænam sit forma hujus Sacramenti.

973. Forma hujus Sacramenti à Florentino & plerisque Ritualibus hæc assignatur: *per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti in nomine Patris &c.* Et ita de aliis sensibus. Non sunt tamen hæc omnia verba de essentia illius. 1. enim de essentia non est invocatio Sanctissimæ Trinitatis. Neque de essentia sunt ista verba, *sanctam & suam piissimam misericordiam*: ita DD. communiter. Idem docent Reginald. Sylv. Dian. &c. de his particulis *per visum, auditum &c.* addit Sylvius, neque de essentia videri ista verba, *quidquid deliquisti*. Oppositum tamen quoad utrumque communius docent Theologi: quia sine istis vocibus non videtur sufficienter exprimi effectus hujus Sacramenti.

De essentia formæ hujus Sacramenti est ut sit deprecativa.

974 De essentia formæ est ut sit deprecatoria. Ita cum S Th. DD. communiter. Contra Albert. Dur. Richa. Palud. &c. Prob. 1. ex verbis Iacobi, *orant super eum, & oratio fidei salvabit infirmum*. 2. ex Florent. assignante formam deprecatoriam. 3. ex antiquissimo & constanti usu Ecclesiæ formam deprecatoriam adhibentis.

Non obstat formæ deprecativæ quod debeat esse signum practicum effectus sui.

975. Dices 1. tempore D Ambrosii Ecclesia Mediolanensis utebatur hac forma: *ungo te oleo sanctificante in nomine Patris & Filii & Spiritus S ut more militis uncti preparatus ad certamen aereas possis superare potestates*. Ecclesia autem Veneta, ut refert Sylvius, usurpat hanc: *ungo hos oculos oleo sanctificante in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ut quidquid visu illicitè deliquisti, hujus olei unctione expietur per Christum Dominum nostrum*. Et ita de aliis sensibus: atqui formæ istæ non

non sunt deprecatoriæ : ergo &c. R. neg. min. hæc enim verba in forma Ambrosiana *ut more militis &c.* accipi possunt in sensu deprecativo : uti & illa formæ Ecclesiæ Venetæ, *ut quidquid deliquisti &c.*

976. Dices 2. formæ Sacramentorum debent tanquam signa practica significare effectum suum illumque operari : atqui forma deprecativa non est apta ad hanc practicam significationem : undè nec alia Sacramenta habent formam deprecativam : ergo &c. R. neg. mi. quia potuit Christus æquè infallibiliter formæ deprecativæ operationem effectus alligare quam formæ alteri. Quod autem voluerit formam hujus Sacramenti esse deprecatoria potius quam in aliis Sacramenti, colligitur ex verbis S. Iacobi, & usu Ecclesiæ.

977. Varii sunt effectus hujus Sacramenti quos S. Iacobus his verbis expressit : *& oratio fidei salvabit infirmum alleviabit eum Dominus : & si in peccatis sit dimittentur ei.* Primus igitur effectus hujus Sacramenti à S. Iacobo relatus, est salus infirmi, primario quoad animam : secundario quoad corpus ; sic tamen ut salutem corporis quandoque tantum operetur, quando scilicet *id saluti animæ expedierit*, ut loquitur Tridentinum sess. 14. cap 2. de Extrema Vnctione.

Enumerātur à S. Iacobo effectus hujus Sacramenti 1. salus infirmi.

Secundus est ejusdem infirmi alleviatio: quam sic describit idem Trident. loco cit. *ægroti animam alleviat & confortat, magnam in eo divina misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Hæc autem tota alleviatio fit mediantè augmento gratiæ habitualis, & auxilio gratiarum actualium, quod Deus infirmo confert intuitu hujus Sacramenti.

2. Ejusdē infirmi alleviatio ; & quid per eam sit intelligendum

Tertius est remissio peccatorum, quam his verbis expressit S. Iacobus, *& si in peccatis sit, dimittentur ei.* Difficultas tamen est quid debeat intelligi nomine peccati? an peccatum quoad culpam? an quoad pœnam? an quoad effectum, qui sit torpor quidam

3. Remissio peccatorum.

seu

seu languor ad bonum operandum, & resistendum malo proveniens ex peccato originali, & etiam ex actualibus in vita commissis. Ratio autem hujus difficultatis est, quod ex una parte S. Iacobus prædictis verbis clarè tribuat huic Sacramento remissionem peccatorum: ex altera verò sint tantum duo Sacramenta mortuorum, videlicet Baptismus & Pœnitentia; quod falsum erit si hoc etiam Sacramentum institutum sit ad remissionem peccatorum quoad culpam.

Nomine peccati intelligendum est peccatū propriè dictum, adeoq; peccatum quoad culpam.

978. Nihilominus nomine peccati intelligendum hic esse peccatum quoad culpam docent communius Theologi contra Thomistas nomine peccati intelligentes hic prædictum torporem seu languorem animi, qui est effectus peccati præsertim originalis: contra quos. Prob. conclusio 1. quia peccatum simpliciter positum supponit pro peccato propriè dicto, quale tantum est peccatum quoad culpam: sed S. Iacobus simpliciter dicit *& si in peccatis sit, dimittentur ei*: ergo &c. 2. quia Trid. loco cit. dicit hoc Sacramentum delicta, si quæ adhuc supersint, expiari, & reliquias peccatorum abstergi: ly autem expiari & abstergi propriè convenit remissioni peccatorum quoad culpam. 3. quia hæc formæ verba, *indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti &c.* propriè sumpta important etiam remissionem peccatorum quoad culpam.

Extrema unctio non est propriè Sacramentum mortuorum.

Ad rationem dubitandi. R. Extremam Vnctionem non esse strictè Sacramentum mortuorum; sicut sunt Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ: quamvis enim sit etiam institutum ad vitam animæ reddendam per remissionem mortalium quoad culpam: id tamen non facit nisi in certis casibus, quando nempe vel peccata non fuerunt remissa per Sacramentum Pœnitentiæ ex occulto aliquo defectu: vel post confessionem commissa sunt, sed memoria exciderunt: vel homo per phrenesim, apoplexiam, aut aliud impedimentum factus est incapax confessionis; nec antea habuit de illis contritionem, sed tantum attritionem. Cum ergo Sacramentum Extremæ Vnctionis præsupponat receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, de-

Quibus casibus remittat peccata.

debeatque reipsa hoc Sacramentum ante Extremam Vnctionem recipi consequenter præsupponit vitam prius redditam per Sacramentum Pœnitentiæ: ac proinde potius dicendum est Sacramentum vivorum, quam mortuorum: licet sit etiam in prædictis casibus Sacramentum mortuorum.

979. Neque admittenda est quorumdam antiquorum interpretatio prædicta Iacobi verba, *& si in peccatis sit remittuntur ei*, intelligentium de sola remissione venialium ob dictam rationem dubitandi: 1. quia peccatum simpliciter positum supponit pro mortali. 2. quia hæc formæ verba, *indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum &c. deliquisti*, non potest nisi violenter restringi ad sola venialia. Ratio autem ob quam contrarium sentiunt, ne scilicet Extrema Vnctio sit etiam Sacramentum mortuorum, jam soluta est.

Nō stat quorumdam interpretatio explicātium verba S. Iacobi de sola remissione venialium.

Petes quisnam sit primarius & principalis effectus hujus Sacramenti, an prædicta infirmi alleviatio supra ex Tridentino explicata? an remissio peccatorum? R. esse istam alleviationem; quia videtur primario propter illam institutum: undè & hunc effectum secluso obice semper operatur: remissionem autem peccatorum tantum prædictis aut similibus casibus. Vterque autem hic effectus ordinatur ad salutem animæ, tamquam ad ultimatum effectum.

980. Omnis & solus homo baptizatus ratione aliquando usus, vi morbi in magno mortis periculo constitutus est subjectum capax hujus Sacramenti. Est communis & certa. Dicitur 1. *Baptizatus*, quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum. Dicitur 2. ratione aliquando usus: cum enim ejus susceptio debeat esse saltem interpretativè voluntaria, nec possit esse talis absque omni usu. Rationis non potest eis conferri qui nunquam ratione usi sunt. Dicitur 3. *vi morbi in magno mortis periculo constitutus*. Quia non sufficit quolibet mortis periculum, sed debet oriri ex aliqua corporis infirmitate, juxta illud Iac. *infirmatur quis vestrum &c.* Vnde nec extremo supplicio afficiendis, nec conflictum quantumvis periculosum inituris conferendum est. Debet

Remissio peccatorum est tantum secundarius effectus.

Quodnam sit subjectum capax hujus Sacramenti.

autem

autem mortis periculum ex corporis infirmitate: oportet tum esse magnum; quia non sufficit qualecumque periculum: non est tamen exspectandum donec infirmus sit morti proximus; sed curandum est ut detur dum adhuc est integris sensibus; quia tunc majori cum fructu recipitur.

Quænam dispositio requiratur in homine justo ad hoc Sacramentũ.

981. Nulla alia dispositio ad hoc Sacramentum recipiendum in homine justo requiritur, quam intentio voluntas saltem interpretativa illud recipiendi. Ita DD. communiter. Dicitur *saltem interpretativa*, quia ex communi Doctorum seu sufficit quoque talis voluntas. Censetur autem hæc voluntas includi in professione vitæ Christianæ in quantum Christianus censetur voluisse in eo articulo sibi applicari hoc extremum salutis remedium. Idque patet ex praxi Ecclesiæ conferentis etiam hoc Sacramentum improviso aliquo morbo oppressis, & omni sensu destitutis. In illis autem qui sibi conscii sunt peccati mortalis prærequiritur confessio aut contritio si desit copia confessarii: quia cum non sit certum hoc Sacramentum habere vim demittendi mortalia: in mortis autem periculo adhibenda sint media ad salutem certo sufficientia: consequens est ut qui sibi conscius est peccati mortalis, illud confiteatur si adsit copia confessarii: vel certè actum contritionis eliciat, si desit confessarius.

Quænam in eo qui sibi conscius est peccati mortalis.

Quandonam conferatur gratia sanctificans vel augmentum ejus per hoc Sacramentũ.

982. Gratia sanctificans vel augmentum ejus, & consequenter remissio peccatorum quæ fit per infusionem gratiæ tunc confertur cum quinta unctio cum forma sibi correspondente completa est. Ita DD. communius cum S. Thoma in supplem. q. 30. a. 1. ad 2. quia supposita communi sententia supra tradita quod quinque unctiones sint de essentia hujus Sacramenti probabilius videtur, quod simul & indivisibiliter constituant hoc Sacramentum, sicut singulæ non habeant rationem Sacramenti partialis independenter ab aliis, sed simul indivisibiliter componant unicum Sacramentum totale: ergo gratia sanctificans tunc præcisè infunditur cum quinta unctio cum forma sibi correspondente completa est: non enim ante; quia necdum est Sacramentum completum,

pletum. Non etiam post; quia Sacramenta effectum gratiæ sanctificantis tunc operantur quamprimum completa sunt.

Gratiæ autem actuales confortantes animum adversus molestias morbi & tentationes dæmonum dantur successivè provt opportunum est, & exigit ægroti necessitas. Vndè pro illis nullum assignari potest tempus determinatum, quo præcisè dantur.

Et quandonam gratiæ actuales.

983. Solus Sacerdos potest esse minister hujus Sacramenti. Est de fide ex Florent. in decr. de Sacramentis. Et Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4. de Extrema Vnctione. Et manifestè colligitur ex verbis S. Iacobi, *infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* Quo nomine non intelliguntur ætate seniores, ut volunt hæretici, quibus propterea anathema dicit Tridentinum can. 4. cit. sed Sacerdotes juxta Patrum & totius Ecclesiæ consensum, quæ nunquam adhibuit alios ministros quam Sacerdotes.

Solus Sacerdos potest esse minister hujus Sacramenti.

984. Quamvis autem omnis Sacerdos possit validè ministrare hoc Sacramentum: solus tamen proprius Parochus, aut is qui ab eo licentiam accipit, licitè illud ministrat extra necessitatem. Et Religiosi illud ministrantes sæcularibus absque consensu Parochi ipso facto excommunicantur ex Clement. unica *de privilegiis*. Et Clement. *dudum* de sepulturis. Excipe sæculares intra septa domus Religiosæ habitantes eique inservientes. Dixi *extra necessitatem* quia in casu necessitatis quo alioqui infirmus moriturus esset sine hoc Sacramento, potest quilibet Sacerdos licitè illud ministrare.

Solus Parochus aut qui ab eo deputatur licitè illud ministrat.

985. Parochus tenetur ex justitia hoc Sacramentum subditis suis ministrare, ita ut peccet mortaliter si absque justa causa voluntariæ omittat, aut negligat hoc Sacramentum illis conferre. Ita DD. communiter. Ratio est quod non præstet id in re gravi ad quod ex justitia tenetur ratione officii. Idem dic de Superioribus Regularibus respectu suorum inferiorum.

Parochus tenetur ex justitia illud ministrare subditis suis.

Dixi *si absque justa causa &c.* communius enim censent Doctores non teneri Parochos cum magno

vitæ

Parochus quandoque etiam cum vitæ periculo tenetur Extremam unctionem ministrare.

vitæ periculo illud ministrare. Ratio illorum est; quod hoc Sacramentum non sit ad salutem necessarium: quod maximè locum habet, si vita Parochi sit populo necessaria, eo quod v g. non sit qui in ejus locum succedat. 2. si per Sacramentum Pœnitentiæ sit jam saluti moribundi prospectum. Quod si infirmus nec Pœnitentiæ nec Eucharistiæ Sacramenta prius recepisset, nec posset recipere, videtur tunc Parochus aut Superior etiam cum vitæ periculo teneri ad hoc Sacramentum illi administrandum; quia potest fieri ut sit illi tunc ad salutem necessarium, si nempè tantum habeat attritionem de peccatis suis.

§. II.

De Sacramento Ordinis.

Ordo est Verum Sacramentum à Christo institutum.

986. ORdo sumi potest dupliciter. 1. pro quodam Ministrorum Ecclesiæ gradu seu statu: qualiter sumptus est quid permanens, constatque non esse Sacramentum. 2. pro ipsa ordinatione seu consecratione qua potestas ordinatis confertur ad peragenda certa Ecclesiæ ministeria ac præcipue ad Sacramenta conficienda: Qualiter est actio aliqua transiens.

Ordo acceptus hoc posteriori modo est verum Sacramentum, est de fide ex Conc. Chalced. Flor. & præsertim Trid sess.14.can.3. contra Luth. variosque alios hæreticos, à quibus hoc in puncto dissentit Calvinus lib.4. instit cap.19 n.28. admittens ordinem esse Sacramentum: & monens se alibi, cum duo tantum agnovit Sacramenta, Baptismum & cœnam, loquutum fuisse de Sacramentis quæ sunt omnibus communia.

Idque manifestè colligitur ex Apost. 1. ad Timoth.4.& 2. ad eund.1.

987. Prob. etiam conclusio ex Apostolo 1. ad Tim. 4. *noli negligere gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*, id est ex communi DD. ac PP. interpretatione; noli negligere gratiam ordinis Episcopalis qui tibi collatus est per prophetiam, id est *per revelationem*, qua

jussus

jussus es in Episcopum ordinari, aut, ut alii volunt, per certam sacrorum verborum formam à Christo institutam, quæ prophetia dicitur, eo quod sit sermo divinitus traditus *cum impositione manuum Presbyterii* hoc est Presbyterorum majorum seu Episcoporum. Et 2. ad eund. Timot. 1. ait *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quibus verbis & aliis similibus apertè significat Timotheum fuisse ordinatum certò quodam ritu sensibili gratiæ collativo, adeoque à Christo instituto, & quidem in Ecclesia semper duraturo ut colligitur ex eod. Apost. 1. ad Timot. 5. *manus citò nemini imposueris*. Ubi Timotheus vi suæ ordinationis Episcopalis supponitur habere potestatem ad alios deinceps ordinandos; adeoque etiam aliis Episcopis eandem potestatem competere, ex quo sequitur potestatem certo ritu ordinandi semper in Ecclesia duraturam.

Et ex 1. ad Tim. 5. colligitur potestatem certo ritu ordinandi semper in Ecclesia duraturam.

Id etiam Patres unanimiter asserunt.

Prob. eadem conclusio ex antiquissimis Patribus Dionysio, Ignat. Cypr. Ambr. Chrys. Aug. Innoc. I. Leon. I Greg Magno aliisque apud Bellarm. unius Augustini, cui maximè deferunt sectarii, verba refero ex lib. 2. contra Parmen. cap. 13. *explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti: si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur.*

Septem ordines recensetur ab antiquissimis conciliis.

988. Ordines sunt septem, videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum, *quorum*, inquit Tridentinum sess. 23. cap. 2. *ab ipso Ecclesiæ initio nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria in usu fuisse cognoscuntur*. Et meritò; eorum enim meminit Concilium Carthag. 4. & Romanum sub Sylvestro, & Cornelius Papa in Epist. ad Fab. Antioch. tres priores dicuntur majores, quia constituunt hominem in altiori gradu potestatis: & sacri, quia annexum habent continentiæ votum. Quatuor alii dicuntur minores, & non sacri ob rationem contrariam.

989. Di-

Ex eo quod aliqui Patres pauciores recenseant nihil concludi potest contra septenarium numerum.

989. Dices 1. pro minori numero. Varii Patres recensent tantum tres ordines; videlicet Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, 2.officia Acolyti, Lectoris, Ostiarii sæpè à laicis exercentur. Ad 1. R. varios Patres tantum meminisse istorum trium, eo quod soli tres illi olim censebantur majores & sacri; quia necdum subdiaconatui annexum erat votum castitatis. Deindè nulla est consequentia: satis est quod aliqua Concilia & alii Patres septem recenseant. Ad 2. R. sufficere quod ista officia convenientius ab ordinatis quam à laicis exerceantur, ut detur specialis ordinatio, ad illa ritè obeunda.

Quo sensu tonsura dicatur ordo.

990. Dices 1. pro majori numero: Tonsura est etiam ordo ex cap. *cum contingat* de ætate præficiendorum; ubi dicitur per eam conferri clericalem ordinem. Et in quadam Bulla Sixti, appellatur character clericalis. 2. Episcopatus est ordo, cum tamen non fuerit inter septem numeratus. 3. Concilium Carthag. 4. post Ostiarios addit Psalmistas seu Cantores. 4. Ignatius & Epiphanius adjungunt laborantes seu fossores ad mortuos sepeliendos.

Cur Episcopatus nō numeretur separatim à Sacerdotio.

Ad 1. R. Tonsuram appellari illic ordinem sumendo hoc nomen non pro sacra aliqua ordinatione, prout hic sumitur; sed pro statu clericali, quo tonsuratus distinguitur à laico, fitque capax beneficiorum ecclesiasticorum. Propter eandem rationem dicitur a Sixto character clericalis. Ad 2. R. Episcopatum includere essentialiter Sacerdotium, ideò non numerari tanquam specialem ordinem, maximè cum non stet per se, sed essentialiter dependeat a Sacerdotio. Vndè tam Episcopi quam simplices Presbyteri indifferenter vocantur Sacerdotes. Ad 3. R. fieri illic mentionem Cantorum non tanquam ordinis, sed tanquam officii. Idem dic ad 4.

Presbyteratus est Sacramentum.

991. Ordinatio Sacerdotis est propriè & verè Sacramentum: est de fide ex Tridentino sess. 23. can. 4. *si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos semel fuit laicum rursus fieri posse: anathema sit.* Id etiam evincunt argumenta, quibus supra generatim probavimus ordinem esse Sacramentum:

nullus

nullus enim est ordo in particulari, de quo id potius verificetur.

992. Ordinatio Diaconi est etiam Sacramentum. Ita DD. communiter contra Dur. & Cajet. quorum sententiam multi censent temerariam. Prob. 1. quia Act. 6. Diaconatus ab Apostolis collatus est per manuum impositionem adhibita certa oratione seu forma; ut patet ex his verbis *& orantes imposuerunt eis manus*. Et apud latinos hæc forma usurpatur *accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ manifestè denotat conferri gratiam ex opere operato: quod proprium est Sacramentorum. 2. quia Trid. sess. 23. can. 6. dicit anathema eis qui negant *esse in Ecclesia Catholica Hierarchiam divina institutione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*: quo postremò nomine intelliguntur saltem Diaconi: ac proinde Diaconatus juxta Tridentinum est ex institutione divina: ergo nulla est ratio negandi esse Sacramentum. 3. quia Anastasius II. Papa scribens ad Anastasium Imperatorem expresè docet in ordinatione Presbyterorum & Diaconorum conferri gratiam.

Diaconatus est etiam verum Sacramentum: Idque probatur ex scriptura & Tridentino, & Anastasio Papa.

993. Dices 1. Anacletus Papa Epist. 3. cap. 2. docet duos tantum ordines esse à Christo institutos, unum Episcoporum, alterum Sacerdotum simplicium. Idem docet Damasus Epist. 5. R. eos non negare plura esse Sacrorum ordinum Sacramenta; sed tantum plures esse Sacerdotum ordines quam duos, videlicet majorum seu Episcoporum, & minorum seu simplicium Presbyterorum. Idque contra Corepiscopos, qui sibi multa Episcopalia arrogabant, quasi essent medii cujusdam ordinis inter Episcopos & simplices Presbyteros. Porrò Corepiscopi olim dicebantur Sacerdotes illi, qui cum non essent Episcopi, præficiebantur tamen Ecclesiis quorumdam notabilium oppidorum instar Episcoporum, & ideò major illis quam cæteris Presbyteris jurisdictio concedebatur: unde volebant se medium quemdam ordinem inter Episcopos & simplices Sacerdotes constituere, quos redarguunt in præfatis Epistolis prædicti Pontifices.

Explicatur quo sensu Anacletus & Damasus dixerit esse tãtum duos ordines à Christo institutos.

Apostoli Act. 6. non instituerunt hunc ordinem sed tantum aliquos in diaconos ordinarunt.

994. Dices 2. Diacon. institutus fuit ab Apostolis Act. 6. & quidem ad ministerium temporale mensarum pauperum & viduarum. R. Apostolos non instituisse loco citato ordinem Diaconatus: sed supposita Christi institutione ordinasse illic primos Diac. occasione quidem ministerii & curæ viduarum; non tamen adhoc tantum munus; ut colligitur tum ex qualitatibus, quæ in illis exiguntur tum ex eo quod legantur prædicasse, disputasse, baptizasse &c.

Ordinatio subdiaconi est etiam Sacramentum.

995. Ordinatio subdiaconi est etiam Sacramentum. Ita quoque communiter DD contra Dur. & Cajet. quibus favent Gratianus & Magister. Prob. quia hæc ordinatio est etiam collativa gratiæ ex opere operato, ut colligitur ex Florentino in decr. de Sacram. ubi post assignatas materias & formas ordinationis Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum dicit indeterminatè effectum Sacramenti Ordinis esse augmentum gratiæ. 2. ex forma ordinationis Subdiaconorum relata à Clemente lib. 8. Apostolic. constit. c. 1. in qua dicitur *tribuo ei Spiritum S. ut vasa ad ministrandum tibi facta dignè attrectet*. 3. ex forma Græcorum, in qua, ut in Presbyteratu & Diaconatu dicitur, *divina gratia, quæ semper infirma curat &c. promovet talem &c.*

Dici possunt subdiaconi comprehendi in scriptura sub nomine Diaconorum.

996. Dices 1. nullibi in Scriptura fit mentio subdiaconorum; ergo signum est quod subdiaconi non sint ex divina institutione, seu Ecclesiastica. R. 1. dici posse eos in scriptura comprehendi sub nomine Diaconi, quod nomen generatim significat Ministrum. Item sub nomine *Ministrationum*. 1. ad Cor. 12. R. 2. multa esse ex divina institutione, quæ habentur per solam traditionem: Subdiaconatum autem esse divinæ institutionis colligitur ex eo quod extiterit ab initio Ecclesiæ: nam Ignatius Martyr meminit subdiaconorum in Epist. ad Antioch.

Quo sensu subdiaconatus non fuerit olim ordo sacer.

997. Dices 2. cap. *à multis* de ætate & qualitate præficiendorum, de subdiaconatu dicitur, quod in primitiva Ecclesia non fuerit ordo sacer. R. id dici quod tunc non habuerit votum castitatis sibi annexum, ut nunc habet. Quamvis aliundè tunc etiam fuerit ordo sacer ratione scilicet Sacramenti.

998. Di-

998. Dices 3 non confertur subdiaconatus, saltem in Ecclesia latina, cum impositione manuum: ergo &c. R. non esse de essentia Sacramenti ordinis, ut conferatur per impositionem manuum ut patebit ex infra dicendis de materia & forma singulorum ordinum. Ex eo autem, quod Diaconatus & Subdiaconatus possint ex privilegio & commissione summi Pontificis conferri a non Episcopis, ut infra dicemus agentes de Ministro Sacramenti Ordinis, non sequitur, quod non sint Sacramenta; quia non est de essentia ut Minister sit Episcopus ut ibidem ostendemus.

Impositio manuum nō est de essentia cujuslibet Sacramenti ordinis.

999. Major est controversia de collatione minorum Ordinum: videtur tamen probabilius quod sint Sacramenta. 1. quia ita communius docent Theologi S.Th. Alb. Bonav Rich. Valent Suar. Sylv. Amic. &c. 2. quia id significat Florentinum: cum enim dixit materiam Sacramenti Ordinis esse illud, per cujus traditionem confertur Ordo, & exemplificavit in Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, statim subjungit: *& similiter de aliis per rerum ministeria sua pertinentium assignationem*. 3. quia Trid. sess. 23. c. 2. docet hos Ordines semper fuisse in usu: ac deindè post omnes enumeratos c. p. 3. generaliter pronuntiat *per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri*.

Videtur probabilius quod minores ordines sint etiā Sacramentum.

1000. Contrarium tamen probabiliter sentiunt Dur Cajet. Nav. Sot. Vasq. Arcud Merat. &c. 1. quia minores Ordines modo plures fuerunt, modo pauciores in Ecclesia. 2. quia apud Patres antiquiores nulla fit mentio Acolytorum, nec Ecclesia græca hunc ordinem agnoscit teste Arcudio 3. quia ministeria istorum Ordinum passim nunc a laicis exercentur: imo Socrates lib. 5. cap. 12. refert in Ecclesia Alexandrina Ordinem Lectoris solitum fuisse indifferenter conferri tam Cathecumenis, quam baptizatis.

Contrarium tamen est probabile & nititur argumentis sat solidis.

1001. Ad 1. R. ab initio semper fuisse septem Ordines: licet fortè alioqui non fuerint in usu quovis tempore & loco. Ad 2. R. Patres illos non meminisse Acolytorum, quia non susceperant enumerare sin-

Solvuntur argumenta in contrarium.

gulos Ordines ; sed modo unius & alterius tantum ex occasione meminerunt, apud Græcos autem Lectorem fungi etiam munere Acolyti, ideoque non habere Acolytos à Lectoribus distinctos. Ad 3. R. ista ministeria convenientius exerceri ab ordinatis, idque sufficere ut detur specialis ordinatio ad illa exercenda. Ad id quod ex Socrate refertur; dicendum Lectoris aliorumque minorum Ordinum officia posse aliis committi quam ordinatis, licet convenientius ab ordinatis exerceantur.

Exponuntur ritus qui servatur in Ecclesia latina & græca in ordinatione Presbyterorum.

Rituum diversitas Ecclesiæ grecæ à ritibus Ecclesiæ latinæ

1002. Circa essentialem materiam & formam Ordinis Presbyteratus gravis est controversia ob diversitatem rituum qui in Ecclesia latina & græca in Presbyterorum ordinatione usurpantur. Apud latinos hic ritus servatur. 1. Episcopus una cum Sacerdotibus ei assistentibus imponit manus ordinando; 2. Episcopus stolam ordinandi ante pectus decussat in formam Crucis, eique planetam seu casulam imponit. 3. ambas manus ejus inungit oleo infirmorum. 4. calicem cum vino & patenam cum hostia illi porrigit, dicens: *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo pro vivis & mortuis in nomine Patris &c.* 5. peragitur sacrificium Missæ, & sic ordinatus una cum Episcopo formam consecrationis pronuntiat. 6. post communionem iterum Episcopus ambas manus ejus capiti imponit, sed solus, dicens; *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata remittuntur eis; quorum retinueris, retenta sunt.*

Ex ista diversitate nascitur gravis controversia circa essentiam materiæ & formæ

1003. In Ecclesia autem græca hic ritus teste Arcudio servatur. 1. Episcopus ordinandi caput ter signat. 2 partem pallii sui capiti ejus imponit, ac deindè superposita manu dextera dicit; divina gratia quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet. N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. 3. varias orationes super illum recitat, 4. sub tempus consecrationis eidem tradit panem vel consecratum ut habent varia Ritualia, vel consecrandum, ut habent alia præsertim manuscripta, quæ sinceriora putat Arcudius. Ubi vides nullam fieri traditionem calicis cum vino & patenæ cum hostia cum forma importante potestatem offerendi sacrificium,

cium, ut fit in Ecclesia latina. Sed Ordinandum completè constitui Presbyterum per impositionem manus dexteræ cum prædicta forma *divina gratia* &c. reliqua enim, quæ sequuntur, esse accidentalia satis constat. Ex hac rituum diversitate nascitur gravis difficultas circa essentiam materiæ & formæ ordinationis Presbyterorum in utraque Ecclesia.

1004. Decussatio stolæ, impositio casulæ, & unctio manuum non est de essentia ordinationis Presbyterorum in Ecclesia latina; sed sunt meræ ceremoniæ accidentales. Est communis & certa: quia nihil solidi adferri potest ad probandum ista esse de essentia.

Neque prima manuum impositio est de essentia. Ita communiter DD. contra Lugo. Prob. 1. quia non fit à solo Episcopo, sed etiam a Presbyteris ei assistentibus, quos tamen constat non esse ministros hujus ordinationis. 2. quia nulla ei respondet verborum forma; fit enim omnibus silentibus: solumque videtur instituta in signum consensus Ecclesiæ circa ordinationem ejus super quem manus imponunt. Prima manuum impositio non est de essentia in Ecclesia latina.

1005. Traditio instrumentorum, videlicet calicis cum vino, & patenæ cum hostia, cum forma isti traditioni respondente, est in Ecclesia latina de essentia ordinationis Presbyterorum. Ita DD. communiter contra Bonav. Becan. Arcud. & paucos alios totam essentiam hujus ordinationis ponentes in secunda manuum impositione cum forma ei correspondente. Prob. 1. quia Florentinum agens de hoc Sacramento sic loquitur, *sextum Sacramentum est Ordinis; cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*. Et infra *forma Sacerdotis talis est; accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* quis autem dixerit Concilium pro materia & forma assignasse aliquid accidentale. 2. quia per dictam materiam, & formam aptissime significatur præcipua potestas Presbyteratus, quæ est ad conficiendum corpus & sanguinem Christi. 3. quia his peractis in signum acceptæ potestatis juben- Traditio calicis cum vino & patenæ cum hostia est de essentia in latina Ecclesia.

tur simul cum Episcopo pronunciare verba consecrationis.

Secunda manuum impositio cũ forma ei respõdente est etiam de essentia ordinationis Presbyterorum.

1006. Secunda manuum impositio, cum forma ei respondente *accipite Spiritum S. &c.* est etiam de essentia hujus ordinationis; ita ut totalis ordinatio essentialiter componatur ex duplici materia partiali, videlicet traditione instrumentorum, nempè calicis cum vino & patenæ cum pane, atque hac secunda manuum impositione: & similiter duplici, forma partiali respondente utrique isti materiæ. Ita etiam communiter DD. contra Sot. Tapper. Valent. Nugn. Gonet. &c. Prob. 1 ex Scriptura hanc ordinationem exprimente nomine impositionis manuum, ut 1. ad Timot 5. *manus citò nemini imposueris*. 2 ex Trident. sess. 14. cap. 5. de Extrema Vnctione ubi dicit Ministrum istius Sacramenti esse vel Episcopos vel Sacerdotes ab ipsis ordinatos *per impositionem manuum Presbyterii*. 3. quia forma *accipe Spiritum S. &c.* respondens huic manuum impositioni manifestè significat conferri gratiam sacramentalem. Vndè Trident. sess. 3. can. 4. dicit anathema ei *qui per sacram ordinationem dicit non dari Spiritum S. ac proindè frustra Episcopos dicere accipite Spiritum Sanctum &c.*

Proponitur difficilis objectio petita ex diversitate rituum Ecclesiæ latinæ & græcæ.

1007. Dices contra priorem conclusionem Ecclesia græca in ordinatione Sacerdotum non adhibet traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane, nec formam aliquam usurpat respondentem huic nostræ *accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* ergo vel hæc traditio, & forma non est de essentia ordinationis Presbyterorum vel certè alterutrum indè sequitur, videlicet aut in Ecclesia græca invalidam esse Presbyterorum ordinationem: aut si valida est, diversam esse essentiam Sacramenti Ordinis in Ecclesia græca & latina. Primum dici non potest; quia Romæ in collegio Græcorum non aliter ordinantur Presbyteri Græci vidente & approbante Pontifice. Non etiam secundum; quia id repugnat Ecclesiæ unitati; in qua necessario est unitas Sacramentorum.

1008. R. dicendum cum Bellar. Præp. Con. Lug. & aliis

aliis communius Christum in institutione Sacramentorum determinasse quidem materiam & formam secundum rationem genericam signi sensibilis; non tamen semper & in omnibus secundum rationem specificam talis signi saltem ultimam Agendo autem in particulari de materia & forma hujus Sacramenti neque determinatè pro materia instituisse impositionem manuum super caput ordinandi: neque determinatè traditionem instrumentorum: neque hanc aut illam præcisè formam. Sed tantum generatim requisivisse signum aliquod sensibile circa personam ordinandi, quo significaretur tradita ei potestas consecrandi & absolvendi, relicta Ecclesiæ facultate determinandi in particulari signum sensibile quo uti vellet ad hoc significandum. Apostolos autem elegisse manuum impositionem cum certa aliqua forma, tanquam signum utriusque potestatis collatæ. Porrò Ecclesiam græcam in eum finem restituisse istam manuum impositionem, & prædictam formam *divina gratia quæ semper infirma curat &c.* Ecclesiam autem latinam impositionem quidem manuum etiam retinuisse pro signo collatæ potestatis ad absolvendum à peccatis, & formam congruentem degisse, *accipe Spiritum S. &c.* Pro signo autem potestatis ad consecrandum assumpsisse traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane cum prædicta forma *accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* tanquam signum aptissimum ad hanc potestatem significandam. Supposita autem dicta electione utriusque Ecclesiæ, sive à principio facta fuerit per legem expressam, sive per usum & consuetudinem vim legis obtinentem, incœpisse in Ecclesia latina traditionem instrumentorum necessariam esse non solum necessitate præcepti, sed Sacramenti: non item in græca, sed in ea suffecisse impositionem manuum cum prædicta forma, divina gratia &c.

Non videtur Christus in omnibus Sacramentis determinasse materiam & formam ultimatè.

Ecclesia Græca retinuit solam impositionem manuum.

Latina autem etiã adhibuit traditionem instrumentorũ ad conferendam potestatem consecrandi.

1009. Ex quo tantum sequitur materiam & formam, qua apud Latinos traditur potestas consecrandi, esse diversam materialiter ab ea, qua eadem potestas in Ecclesia græca confertur: non autem formaliter, sive in ratione signi hujus potestatis; quando

Ex quo tantum sequitur diversitas quædam materialis, non formalis.

quidem eadem potestas per utramque materiam & formam tradatur. Ista autem diversitas materialis non obest unitati Ecclesiæ.

Ecclesia non potest mutare substantiam Sacramentorum formaliter.

1010. Dices 2. Ecclesia non potest mutare substantiam Sacramentorum ut patet ex Trid. sess.21. cap.2. ubi expresse docet Ecclesiam circa Sacramentorum dispensationem posse quidem aliqua immutare, sed *salva eorum substantia*. Sed juxta allatam explicationem fuisset aliquid ab ea immutatū circa substantiam Sacramenti Ordinis: ergo &c. R. nihil fuisse immutatum formaliter, sed tantum materialiter: quia ut diximus impositio manuum cum certa forma, qua ab initio & etiamnum in Ecclesia græca significatur & confertur potestas consecrandi & absolvendi, tantum est diversa materialiter à traditione calicis cum vino & patenæ cum pane, per quam sub forma prædicta in Ecclesia latina significatur & confertur eadem potestas. Aliquid simile est in Sacramento Matrimonii cujus materiam licet Ecclesia non possit immutare formaliter in ratione signi; potest tamen eam materialiter immutare, & reipsa sic immutavit dum clandestinum Matrimonii contractum reddidit invalidum, exigens ad ejus validitatem & Parochi & testium præsentiam, & consequenter idem exigens ad valorem Sacramenti; cum Sacramentum non possit esse validum sine valore contractus.

Potest tamen id aliquo modo materialiter.

Cōstat Christum usum esse determinata materia & forma in Apostolorū ordinatione & tamē eandem non esse necessariam.

1011. Dices 3. Christus, dum Apostolos fecit Sacerdotes, usus est determinata materia & forma: ergo non reliquit eam Ecclesiæ determinationi. R. neg. conseq. non enim omnia quibus determinate usus est Christus sunt de essentia Sacramenti. Ita in consecratione panis determinate usus est vel azymo, vel fermentato pane; & tamen nec determinate, azymus, nec determinate fermentatus essentialiter requiritur ad validam consecrationem. Deinde an Christus materiam aliquam adhibuerit v.g. an singulis manus imposuerit? an nullam? incertum est: videturque probabilius Apostolis contulisse Sacerdotium solis his verbis, *hoc facite in meam commemorationem*.

1012. Di-

1012. Dices 4. Concilia antiquiora tantum meminerunt impositionis manuum in Sacerdotum ordinatione: ergo &c. R. solius manuum impositionis meminisse, quod tunc per eam solam Sacerdotium conferretur, saltem communius.

Adferuntur argumenta probantia impositionē manuum nō esse de essentia ordinationis Presbyterorum.

1013. Contra autem posteriorem conclusionem, in qua asserimus manuum impositionem cum hac forma *accipe Spiritum S.* esse etiam de essentia ordinationis Sacerdotum. Facit 1. quod Concilium Florentinum in decret. de Sacram. pro materia hujus ordinationis assignet tantum porrectionem instrumentorum, nulla facta mentione impositionis manuum: ergo censet hanc impositionem non esse essentialem. 2. quod ordinandus, per traditionem instrumentorum & formam ei respondentem ante impositionem manuum factus sit Sacerdos ut patet ex eo quod simul cum Episcopo consecret: ergo jam accepit characterem sacerdotalem. 3. quod Greg. IX cap. *Presbyter* de Sacramentis non iterandis, dicat ordinationem factam sine manuum impositione non debere iterari, sed supplendum esse quod omissum fuit.

1014. Ad 1. Florentinum illic attendere Sacerdotium prout continet potestatem conficiendi corpus & sanguinem Christi, & utrumque in sacrificium offerendi. Hæc autem potestas confertur per traditionem instrumentorum & formam ei respondentem. Cum quo stat quod potestas absolvendi à peccatis conferatur per aliam partialem materiam & formam.

Cur Florentinum non meminerit impositionis manuum dū assignavit materiam hujus ordinationis.

1015. Ad 2. R. factum tunc & dici Sacerdotem, quia hæc denominatio petitur principaliter à potestate offerendi sacrificium, quam tunc habet, licet necdum habeat potestatem absolvendi, à qua potius judex, quam Sacerdos constituitur. Sicut ergo potestas offerendi sacrificium diversa est à potestate absolvendi, ita convenienter utraque potestas confertur per diversam partialem materiam & formam: & utrique respondet suus partialis character.

1016. Ad 3. R. Gregorium tantum velle partialem ordinationem factam per traditionem instrumen-

men.

mentorum & hanc formam *accipe potestatem &c.* non esse ferendam, cum fuerit valida, & verè per eam data fuerit potestas offerendi sacrificium. Sed solum supplendam esse partialem alteram ordinationem, qua per manuum impositione confertur potestas absolvendi à peccatis. Quamvis igitur istæ duæ partiales ordinationes unicam totalem constituant; qua ordinandus complete fit Sacerdos habens utramque potestatem & consecrandi & absolvendi; ideoque convenienter simul conferantur: absolutè tamen loquendo potest validè conferri potestas consecrandi seorsim a potestate absolvendi: quia potestas prior non pendet essentialiter à posteriore. Potestas autem absolvendi pendet essentialiter a potestate consecrandi, ideoque non potest conferri nisi habenti priorem potestatem.

Quo sensu Gregorius dixerit ordinationem factam sine impositione manuum non esse iterandam.

1017 Petes 1. utrum apud latinos sufficiat traditio calicis absque patena? vel traditio utriusque absque vino & pane? R. probabilius requiri utriusque traditionem cum vino & pane: nec ordinatum cum alterutrius defectu posse licitè offerre sacrificium propter dubium de validitate talis ordinationis: ac proinde talem de novo ordinandum saltem sub conditione.

An sufficiat traditio calicis absque patena? vel utriusque absque vino & pane.

Petes 2. an ad validitatem ordinationis requiratur physicus instrumentorum contactus? R. id quidem a multis probabiliter negari: quia tamen id non est certum, ideò in praxi curandum est ut semper immadiate ab ordinato tangantur, & calix & patena; & ad hoc invigilare solent Presbyteri Episcopo assistentes.

An requiratur physicus contactus instrumentorum.

1018. Duæ etiam sunt apud latinos partialis materiæ & formæ in ordinatione Diaconorum. Prima partialis materia est impositio manuum cum hac forma *accipe Spiritum S. ad robur & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus in nomine Patris &c.* Secunda partialis materia est traditio libri Evangeliorum cum hac forma *accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis & defunctis &c.*

Duæ etiam sunt partiales materiæ & formæ in ordinatione Diaconorū, & Subdiaconorum.

Quæ possunt obiici ex diverso ritu Ecclesiæ græcæ in Diaconorum ordinatione ab eo qui servatur

in latina, eodem modo solvenda sunt, ac ea quæ dubio præcedenti allata sunt ex diverso ritu ejusdem Ecclesiæ in ordinatione Præsbyterorum.

1019. Duæ etiam videntur esse in Ecclesia latina partiales materiæ & formæ ordinationis subdiaconorum. Prima partialis materia est traditio calicis vacui & patenæ vacuæ cum hac forma, *videte cujusmodi ministerium vobis traditur &c.* Altera partialis materia est traditio libri Epistolarum cum hac forma *accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Dei*.

Quænam sit materia & forma minorum ordinum.

Idem cum proportione dicendum est de materia & forma minorum ordinum; videlicet in ordinatione Acolytorum materiam esse partim traditionem urceorum vacuorum: partim traditionem candelabri cum cereo extincto. In ordinatione autem Exorcistarum, traditionem libri exorcismorum. In ordinatione Lectorum, traditionem libri lectionum. In ordinatione Ostiariorum, traditionem clavium. Formas autem esse verba cuilibet traditioni respondentia.

1020. Petes an ordinatio Episcoporum sit Sacramentum. R. Affirm. Ita communius recentiores. Contra plerosque antiquos Mag. Albert. S. Th. Bonav. Sco. Richar. &c. asserentes Episcopatum esse tantum extensionem Sacerdotii, & excellens ejus complementum.

Probatur efficacibus argumentis ordinationem Episcoporũ esse etiam Sacramentum.

Prob. conclusio 1. ex duplici Apostoli testimonio, quo supra num. 983. generatim probavimus Ordinem esse Sacramentum: utroque enim loco Apostolus agit de Ordine Episcopali 1. ex PP. ibid cit. plerique enim illorum agunt de eodem Ordine Episcopali. Certè de illo clare agit Ambr. lib. de dignitate sacerdotali ubi sic loquitur: *quis dat frater Episcopalem gradum Deus, an homo? respondes sine dubio Deus: sed tantum per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus infundit gratiam*. 3. quia Episcopus vi suæ ordinationis accipit potestatem ad munia valdè præstantia: ergo & gratiam ad illa debitè peragenda. 4. quia isti ordinationi nihil deest ad rationem Sacramenti, cum sit ceremonia sacra, sensibi-

lis

lis &c. collativa gratiæ, ut patet ex ipsa forma *accipe Spiritum Sanctum &c.*

Episcopatus non censetur specialis ordo distinctus à sacerdotali quia illum essentialiter involvit.

1021. Dices 1. Ordo Episcopalis non est distinctus ab Ordine sacerdotali; alioqui enim essent plusquam 7. Ordines: ergo non est etiam Sacramentum distinctum a Sacramento Ordinis sacerdotalis. R. Ordinem Episcopalem adæquatè sumptum involvere Ordinem sacerdotalem, ideoque non numerari tanquam Ordinem distinctum a sacerdotali. Si tamen præcisè sumatur pro ordinatione qua quis jam Sacerdos in Episcopum consecratur, sicut hæc consecratio distinguitur ab ordinatione qua prius factus fuit Sacerdos: ita est Sacramentum distinctum a Sacramento prioris ordinationis.

Character Episcopalis supponit essentialiter characterem sacerdotalē.

1022. Dices 2. si ordinatio Episcopi esset Sacramentum imprimeret characterem distinctum a charactere sacerdotali: ergo posset quis necdum Sacerdos fieri Episcopus per impressionem istius characteris. R. neg conseq. quia character Episcopalis præsupponit essentialiter characterem sacerdotalem. Ita licet in confirmatione imprimatur character distinctus a charactere Baptismali, non potest tamen imprimi, nisi præcesserit Baptismalis. Dici etiam posset quod character ille Episcopalis, sit complementum characteris sacerdotalis efficiatque cum sacerdotali unicum totalem characterem completum.

Episcopus jure divino major est dignitate simplici Presbyteri.

1023. Absolute loquendo Episcopus jure divino major est quoad dignitatem simplici Sacerdote. Est de fide contra Vuicleff. & Calv. Prob. 1. ex Trid. sess. 23. can. 6. dicente *si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit*. 2 authoritate Epiphani & Augustini, qui Aetium id negantem referunt inter hæreticos. Item Dionisii, Ignatii, Tertulliani, aliorumque antiquorum PP. apud Bellar.

Eodem jure major est quoad potestatem Ordinis.

1024. Episcopi vi suæ ordinationis, ac proinde jure diuino, maiores sunt Presbyteris quoad potestatem Ordinis: & etiam aliquo modo quoad jurisdictionem. Prob. 1. pars ex Trid. sess. 23 can. 7. *si quis*

quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam esse cùm Presbyteris communem, anathema sit. Item ex PP. apud Bellar. dicentibus Episcopos successisse Apostolis: Presbyteros autem 70. discipulis: hos tantum posse generare filios Ecclesiæ per Baptismum: illos autem, ut loquitur Epiph. posse generari Patres per ordinationem Sacerdotum.

Prob. etiam 2. pars; quia licet Episcopi probabilius jurisdictionem suam saltem expeditam accipiant à R. Pontifice, qui simplici Presbytero parem aut etiam majorem jurisdictionem potest conferre: connaturaliter tamen debetur Episcopis major jurisdictio ob majorem eorum dignitatem ab ipso Christo institutam, ac proinde dici possunt jure divino habere majorem jurisdictionem, quam simplices Presbyteri, non quidem proximè expeditam ad actum secundum, itaut usus illius non possit impediri à summo Pontifice, sed radicaliter, & in actu 1.

Et etiã quoad jurisdictionem saltem radicaliter & in actu 1.

1025. Dices 1. Scripturæ sæpe confundunt nomina Episcopi & Presbyteri: ergo non est inter eos distinctio R. Scripturas sumere tunc nomen Episcopi latius, prout vi nominis idem est ac inspector vel superintendens, & in hac acceptione conuenit etiam simplicibus Presbyteris habentibus curam animarum. Sed non in altera, qua nomen hoc significat primum gradum Ecclesiasticæ hierarchiæ.

Confunditur aliquando nomen Presbyteri cum nomine Episcopi latius sumpti.

1026. Dices 2. Hier. in cap. 2. ad Tit. ait, *idem est Presbyter, qui Episcopus: & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis. Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego vero Cepha, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat non Christi; in toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superimponeretur cæteris:* Et inferius: *hoc adduximus, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui Præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint se magis consuetudine*

Præponitur difficilis locus S. Hieronymi.

quam

quam dispensationis dominicæ veritate Presbyteris esse majores.

Hieronymus non est intelligendus de potestate Ordinis sed jurisdictionis.

R. Hæc Hieronymi verba in speciem duriora intelligenda esse non de potestate Ordinis (quam majorem in Episcopis ac in Presbyteris ibidem clare agnoscit his verbis: *quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter*) sed de potestate jurisdictionis, quam Episcopi nunc habent supra Presbyteros: hanc enim præeminentiam jurisdictionis non competere eis jure divino existimavit Hieronymus. Idque verum est intellectum de jurisdictione actuali; hanc enim exercent, nisi dependenter a summo Pontifice, qui aut illam eis concedit, aut saltem confirmat ut possit proximè exire in actum: potestque æquè amplam simplicibus Presbyteris concedere, & amplissima primis sæculis omnibus concedebatur.

Explicantur duo alia loca allata ex Augustino; & Chrysostomo.

1027. Dices 3. Aug. Epist. 19. ad Hier. ait *quamvis secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbytero major est; in multis tamen Augustinus Hieronymo minor est*. Et Chrysostomus in cap. 3. 1. ad Timot. hom. 11. dicit inter Episcopum, & Presbyterum nihil ferè interesse. R. Augustinum agentem cum Hieronymo, qui tantum erat Presbyter ex modestia sic loqui, & Hieronymum sibi præferre quoad scientiam & virtutem, licet ei præiret dignitate: Quod attinet ad Chrysostomum, dum dicit *ferè* satis indicat esse aliquod discrimen, illudque explicat dum ibidem ait, *sola quippè ordinatione superiores illi sunt*.

Referuntur ceremoniæ intervenientes in consecratione Episcopi in Ecclesia Latina.

1028. Tria apud latinos interveniunt in ordinatione Episcoporum: videlicet manuum impositio supra caput ordinandi facta a tribus Episcopis, cum hac forma, *accipe Spiritum S. &c.* impositio libri Evangeliorum supra scapulas & cervicem ejus, cum hac forma, *accipe Evangelium, & vade prædicare populo tibi commisso*. Unctio capitis & manuum, cum hac forma, *ungatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione &c.* Item, *ungantur manus istæ de oleo sanctificato &c.*

1029. Certum est impositionem manus supra caput

put ordinandi factam saltem ab uno Episcopo esse partialem, ut minimum, materiam essentialem hujus ordinationis & hæc verba: *accipe Spiritum S. &c.* partialem formam essentialem. Ita communiter DD. & quidem quod spectat ad impositionem manus id apertè colligitur ex Apostolo 1. ad Timot. 4. ubi agens de ejus ordinatione in Episcopum, ait: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Patet etiam de verbis illis *accipe Spiritum S. &c.* quia manifestè significant collationem gratiæ. Nec refert quod verba illa sint generalia, quia ex circumstantiis sufficienter determinantur ad significandum gratiam Ordinis Episcopalis.

Impositio manuum & forma ei respondens sūt de essentia Ordinationis Episcopi.

Confir. ex eo quod in Ecclesia græca adhibeatur etiam impositio manus supra caput ordinandi; cum tamen hoc discrimine, quod manus impositio fiat simul cum pallio; quod utique non est de essentia, cum omittatur in latina. Pro forma autem dicatur: *divina gratia, quæ semper infirma sanat & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum &c.*

Confir. ex eo quod etiam in Ecclesia græca adhibeatur impositio manus.

Dixi 1. *impositionem manus*, non manuum: quia in Græcorum Rituali fit tantum mentio impositionis manus. Ex quo colligitur impositionem utriusque manus non esse de essentia. Non potest tamen omitti in Ecclesia latina; quia in ea, ut minimum, id necessarium est necessitate præcepti.

Impositio utriusq; manus non videtur esse de essentia.

1030. Dixi 2. *factam saltem ab uno Episcopo*: quia dubitatur an de essentia sit, ut fiat à tribus: affirmant communius DD. quia hæc fuit semper praxis utriusque Ecclesiæ & latinæ & græcæ. Et ita præscribit Anacletus Epist. 2. *non minus, quam à tribus Episcopis &c. ullatenus Episcopus ordinetur.* Et videtur id definivisse Ioannes 3. in Epist. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ his verbis: *magna Concilia affirmant eum non esse Episcopum, qui minus quam à tribus Episcopis, authoritate etiam Metropolitani, fuerit factus.*

Major difficultas est an sit de essentia ut fiat à tribus Episcopis ut cōmunius sentiunt DD.

1031. In contrarium tamen est quod Greg. Magnus in responsione ad quæstionem Augustini Episcopi

Adferuntur valida in contrarium argumenta.

copi Cantuarienſis, ei concedat, ut ſolus Epiſcopus conſecret, ut refert Ariaga diſp.57. ſect. num.3. Et Gregorius XII. teſte Præpoſito permiſerit Patriarchæ Æthiopiæ, ut per unum Epiſcopum ordinaretur. Et Innocentius X. ut teſtatur Herinx diſp.10. num.62. idem conceſſerit Archiepiſcopo Epheſino ut nempè per unum Epiſcopum conſecraretur. Videnturque omnino Apoſtoli Epiſcopos variis in locis conſecraſſe abſque duorum Epiſcoporum concurſu. Ex quo dicendum videtur non eſſe ex inſtitutione Chriſti ut interſint tres Epiſcopi, ſed tantum ex Eccleſiaſtica conſtitutione: alioqui enim non potuiſſent prædicti Pontifices hac in re diſpenſare. Et ita ſentiunt Sylveſter, Henriq. Arcud. Præpoſ. & multi recentiores. Poſſet tamen retenta communi ſententia dici id eſſe ex inſtitutione divina, & neceſſarium neceſſitate Sacramenti non quidem abſolutè, ſed tantum ex ſuppoſitione quod ſummus Pontifex non diſpenſet hac in re.

Oſtenditur modus conciliandi utramq; ſententiam.

Impoſitio libri Evangelii ſuper ſcapulas Epiſcopi non eſt de eſſentia ordinationis ejus.

1032. Probabilius videtur, quod impoſitio libri Evangelii ſupra ſcapulas, & cervicem ordinandi cum forma ei reſpondente, non ſit de eſſentia Ordinationis Epiſcopalis. Ità communius DD. contra Antonin. Arcud. Ariag. Franc. bonæ ſpei &c. 1. quia non videtur dubium, quin apud Græcos impoſitio manus cum forma ſupra relata ſufficiat ad conſtituendum Epiſcopum: ergo etiam apud Latinos ſufficit manuum impoſitio cum forma ei reſpondente. 2. quia liber Evangel. ſupra ſcapulas ordinandi olim tenebatur a Diaconis, & nunc tenetur ab uno è Capellanis Epiſcopi: cum tamen applicatio materiæ ſecundum omnes debeat fieri a Miniſtro Sacramenti: ſolus autem Epiſcopus eſt Miniſter: ut mox dicemus.

Nec unctio capitis & manuum.

Idem dicendum eſt de unctione capitis & manuum: quia conſtat apud Græcos unctiones illas omitti, & tamen apud eos eſſe veros Epiſcopos.

Solus Epiſcopus eſt miniſter ordi-

1033. Solus Epiſcopus eſt miniſter ordinarius cujuſlibet ordinationis. Ita expreſsè Flor. in decr. de Sacram. & quidem reſpectu Epiſcopatus & Sacerdotii ſic eſt miniſter, ut abſolutè nullus præter

ipſum

ipsum possit validè istos ordines conferre. De Episcopatu certum est, & ratio clara; quia simplex Sacerdos nec formaliter nec virtualiter continet Episcopatum. Quod attinet ad Sacerdotium, dissentiunt Aureol. Angel. Vasq. Præpos. &c. existimantes simplicem Sacerdotem ex commissione summi Pontificis posse Presbyteros ordinare. Sed contraria praxis Ecclesiæ, in qua nunquam auditum est fuisse Sacerdotem ab alio simplici Sacerdote ordinatum, satis confirmat conclusionem nostram.

narius cujuslibet ordinationis.

1034. Potest simplex Sacerdos, sive Sacerdos non Episcopus ex speciali aut generali commissione summi Pontificis minores ordines conferre. Ita DD. communiter contra Adrian. & patet, tum ex Trid. sess. 23. cap. 10. de reform. ubi apertè id supponit. Tum etiam ex praxi recepta: nam & Cardinales in propriis Ecclesiis: & varii Abbates eos de facto conferunt subditis suis.

Potest tamen simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis minores ordines conferre.

Idem communiter sentiunt DD. de subdiaconatu & Diaconatu. Et patet ex Bulla Innoc. 8. edita anno 1489. quam refert Rodrig. p. 2. quæst. Regul. in qua concedit Abbati Cisterciensi potestatem conferendi istos duos ordines Religiosis ejusdem Ordinis: constatque id sæpius fuisse in praxim deductum. Vide de hac re Præpositum dub. 13. n. 120. ubi varia habet circa hoc notatu digna.

Idem dicendum de Diaconatu & subdiaconatu.

1035. Nullus Episcopus potest licitè alios ordinare quam subditos suos aut habentes dimissorias, aut speciale ad id privilegium. Quod si alienum ordinare præsumat absque dimissoriis aut privilegio suspenditur ad annum à collatione Ordinum, & qui sic ordinatus est suspenditur ab exercitio Ordinis quamdiu proprio Episcopo videbitur. Ita Trid. sess. 23. cap. 8. de reform. Nullus etiam Episcopus potest licitè suos ordinare in diœcesi alterius Episcopi absque ejus consensu.

Non potest Episcopus licitè ordinare non subditos absque dimissoriis.

1036. Petes quot modis possit quis censeri subditus alicujus Episcopi ut possit ab eo ordinari. R. 3. ratione originis seu nativitatis. Ita in ordine ad recipiendos ordines censetur quis subditus Episcopi diœcesis in qua natus est, vel in qua natus reputatur

Fitque subditus tribus modis ratione nativitatis domicilij & Ecclesiastici beneficii.

ratione domicilii parentum: quod addo, quia fortuito alicubi natus in itinere, censetur fictione juris natus non ibi, sed ubi parentes fixam habent habitationem. 2 ratione domicilii: hoc titulo subditur aliquis Episcopo loci in quo habitat, vel venit habitatum animo ibi constanter manendi. 3 ratione beneficii Ecclesiastici, quod quis in aliqua diœcesi possidet, ex cap. *cum nullus* de temporibus Ordinat. in 6. non sufficit tamen capellania castrensis pure à Domino temporali dependens; quia talis capellania non censetur beneficium Ecclesiasticum.

Fœmina jure divino incapax est cujuslibet ordinationis.

1037. Fœminæ jure divino incapaces sunt quorumvis Ordinum, ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nullam unquam fœminam ordinavit. Et colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 14. v. 34. nec refert quod olim aliquæ dicerentur Diaconissæ, Presbyteræ, Episcopæ: non enim sic appellabantur ratione alicujus Ordinis sacri: sed generatim sic vocabantur viduæ vel uxores eorum, qui facta separatione thori ordinati erant in Diaconos, aut Presbyteros, aut Episcopos. Specialiter etiam Diaconissæ appellabantur quæ per aliquam benedictionem consecratæ erant, non ut altari ministrarent; sed ut præessent januis per quas mulieres ingrediebantur in Ecclesiam ut comitarentur illas quæ ad Episcopum vel Presbyterum ibant: ut assisterent instructioni & Baptismo mulierum: ut haberent curam pauperum viduarum &c.

Quo sensu olim aliquæ dicerentur Diaconissæ, Presbyteræ & Episcopæ.

Nulla certa ætas requiritur ad validam ordinationem, secus ad licitam.

1038. Masculus omnis baptizatus est subjectum capax ordinationis: nec ad ejus valorem requiritur certa ætas, aut scientia: secus, ut licitè fiat. Pro prima tonsura requiritur à Pontificali Romano septennium: & a Tridentino sess. 23. cap. 4. ea scientia, quæ communiter non habetur ante novennium. Pro minoribus Ordinibus non est certa ætas determinata: Tridentinum sess. cit. cap. 11. non vult ut ad eos admittantur, qui latinam linguam ignorant, & qui non sperantur habituri aliquando doctrinam sufficientem ad majores Ordines recipiendos. Pro subdiaconatu, Diaconatu; & Presbyteratu sic statuit Trid. sess. cit. cap. 12. *nullus in posterum ad subdiaconatus Ordinem*

dinem ante 22. ad Diaconatus, ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoveatur. Intellige annos inchoatos ex communi DD. interpretatione. Pro Episcopatu requiruntur anni 30. expleti. Si quis autem ante præscriptam ætatem Ordinem sacrum scienter recipiat, incurrit suspensionem ab usu Ordinis sic recepti. Qui autem bona fide sic ordinatus est, poterit Ordinem receptum exercere, cum ad legitimam ætatem pervenerit, non ante.

Ordinatus ante præscriptam ætatem incurrit suspensionem.

1039. Nullus sæcularis potest licitè sacros Ordines recipere nisi titulum sustentationis habeat vel ex beneficio, vel ex patrimonio, vel aliundè. Vide Trid. de hac re sess 21. cap. 2. de refor. si quis autem ordinetur sub ficto titulo, aut in contractu, quo datur illi aliquid in titulum, obliget se ad illud restituendum, aut nihil exigendum, peccat mortaliter & incurrit suspensionem.

Ad licitam ordinationē requiritur titulus sustentationis.

1040. Qui ordinantur per saltum, id est qui suscipit Ordinem superiorem, inferiore prius non recepto, peccat mortaliter: & manet suspensus ab usu recepti Ordinis. Si tamen durante suspensione ab usu Ordinis fideliter abstinuerit, poterit Episcopus dispensare cum illo, ut post receptum Ordinem saltu prætermissum ministret. Ita Trident. sess. 23. cap. 14. de reform. Pro moribus & doctrina promovendorum ad sacros Ordines videatur idem Trid. sess 23. cap. 14. de temporibus ordinationum & interstitiis: de obligationibus ordinatorum, & ad aliis sacros Ordines pertinentibus videatur Laym. Præpos. Con. &c.

Ordinatus per saltum suspenditur ab usu Ordinis.

§. III.

De Sponsalibus.

1041. Quia sponsalia solent matrimonium præcedere: & matrimonium secundum se prius est matrimonio in ratione Sacramenti: ideò breviter prius agemus de sponsalibus, & matrimonio secundum se, quam agamus de matrimonio ut est Sacramentum.

Sponsalia sunt mutua promissio futurarum nuptiarum.

1042. Sponsalia prout hic sumuntur, sunt mutua promissio futurarum nuptiarum l.1. ff de sponsalibus. Dicitur 1. *mutua* quia cum hic contractus sit onerosus includit mutuam obligationem. Hinc si Titius matrimonium promittat, & Caja promissionem acceptet; sed non repromittat, non sunt sponsalia. Teneretur tamen Titius ad exequendam promissionem suam, si Caja vellet; quia promissio etiam gratuita obligat, dum est acceptata. Quod si Caja acceptans promissionem non exprimat quod nolit ex parte sua obligari, præsumetur per acceptationem simpliciter factam virtualiter repromisisse.

Ad sponsalia non sufficit simplex propositum sed requiritur vera utrimque promissio.

Dicitur 2 *promissio*: quia ad sponsalia non sufficit simplex propositum, sed requiritur vera utrimque promissio: & consequenter ad valorem sponsalium ea omnia requiruntur, quæ sunt de essentia veræ promissionis: videlicet 1. ut sit voluntaria seu libera: hinc invalida sunt sponsalia contracta in ebrietate, delirio &c. 2. ut sit exterius manifesta; quia debet acceptari, 3. ut acceptetur.

1043. Duo sunt casus in quibus specialiter dubitatur de valore sponsalium; primus est quando contrahuntur ex gravi metu injustè incusso. Secundus, quando promissio ficta est; hoc est quando quis exterius quidem promittit matrimonium, interius tamen non habet animum se obligandi.

Sponsalia contracta ex gravi metu possunt rescindi.

Ad 1. R. videri quidem tunc valida; posse tamen rescindi ab eo qui metum illum injustè passus est. Si tamen metus fuerit levis, aut justè incussus absolutè sunt valida. Ita communiter DD.

Requiritur intentio se obligandi.

Ad 2. R. non esse tunc valida: quia ut communius docetur in tractatu de jure & justitia intentio obligandi se est de essentia contractus. Peccat tamen graviter fictè promittens: obligaturque ad compensandum damnum, si quod inde promissario evenerit: obligaturque ad removendam fictionem per verum consensum, si non possit aliter vitari damnum promissarii, aut grave aliquod scandalum.

1044. Variis modis contrahuntur sponsalia. 1. expressè dicendo, promitto tibi matrimonium, vel tacitè, quando parentes præsentibus liberis, & adver-

tenti-

tentibus ad id quod agitur, eorum nomine contrahunt: tunc enim liberorum taciturnitas censetur tacitus consensu cap. unico *de desponsatione puberum* in 6. 2. vel per ipsos sponsos immediatè vel per eorum parentes modo jam explicato. 3. vel inter sponsos præsentes vel inter absentes per procuratorem aut litteras. 4. vel publice vel clandestinè: quamvis enim per Trident. invalidus sit clandestinus matrimonii contractus: sponsalia tamen clandestina nec invalida sunt, nec illicita, nisi fortè obstent speciales aliquæ locorum consuetudines. 5. denique vel absolute vel conditionate: contracta tamen conditionate non sortiuntur perfectam ratione sponsalium, nisi quando purificata conditione transeunt in absoluta.

Quibus modis possint contrahi sponsalia.

1045. Soli illi possunt validè sponsalia contrahere, qui aliquando possunt matrimonium validè & licitè inter se inire. Ratio est, quod nemo possit se obligare ad rem impossibilem, aut illicitam.

Quinam validè ea contrahant.

1046. Ad valorem sponsalium requiritur in sponsis septennium completum cap. *litteras*. Et cap. *accessit*, de desponsatione impuberum. An autem debeat esse ita omnino completum, ut sint invalida, si desit vel unicus dies, variant authores: communius affirmant. Sotus tamen, & Rebellin. & alii putant sufficere si sit verè completum, ita ut defectus unius aut alterius diei non obstet valori sponsalium. Quod si malitia suppleat ætatem, hoc est si ante septennium apertè constet sponsos habere sufficientem usum rationis ad talem contractum, Sanchez, Pontius, Gonetus &c. putant sponsalia esse valida. Alii tamen communius id reiiciunt propter varios abusus, qui ex ea re facilè orirentur.

Ad eorum valorem requiritur septennium completum.

1047. Primus & præcipuus sponsalium effectus est gravis obligatio contrahendi matrimonium tempore per contrahentes constituto: aut si nullum tempus per eos, aut consuetudinem determinatum sit, parte altera opportunè id exigente. Ita DD. communiter. Quod si pars rogata resiliat, aut longiores moras trahat absque legitima ratione, potest & debet à judice compelli ad promissionem implendam. Si

Primus effectus sponsalium, obligatio contrahēdi matrimonium tempore constituto.

tamen ex ista compulsione prævideretur infaustus nuptiarum exitus, posset servari, quod habetur cap. *requisivit* de sponsalibus; videlicet partem nuptias recusantem movendam esse potius quam cogendam.

Secundus jus quoddam inchoatũ quod habet sponsus in corpus sponsæ & contra.

1048. Alter sponsalium effectus est jus quoddam, quod acquirit sponsus in corpus sponsæ, & sponsa in corpus sponsi, ita ut si sponsus fornicetur cum alia, aut sponsa cum alio, non solum peccet contra castitatem, sed etiam contra justitiam. Quæ malitia injustitiæ superaddita fornicationi communius censetur mortalis respectu sponsæ, eo quod ipsa per istam fornicationem notabiliter deterior ac vilior efficiatur. Respectu autem sponsi, venialis, ob contrariam rationem.

Spõsalia puberum dissolvuntur mutuo sponsi & sponsæ consensu.

1049. Sponsalia puberum dissolvuntur mutuo sponsi & sponsæ consensu, etiamsi fuerint juramento firmata. Quia ut dicitur cap. 1. de regulis iuris: *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Dixi *puberum*: quia sponsalia impuberum non possunt ante pubertatem mutuo consensu dissolvi cap. *de illis* de despensatione impuberum. Potest tamen pars una facta pubes absque consensu alterius quamvis adhuc impuberis resilire, modo id statim fiat post pubertatem & exterius declaretur. Id autem secundum jura censetur statim fieri quod fit intra triduum. Quod si quis post pubertatem contraxerit sponsalia cum impubere, non potest resilire; sed expectare debet pubertatem alterius; ut is, si velit, resiliat. Quod si statim non reclamet, firma erunt sponsalia, nec poterunt amplius dissolvi, nisi mutuo consensu.

Dissolvuntur etiam Sponsalia per matrimonium cum altero aut altera initum.

1050. Dissolvuntur etiam sponsalia per matrimonium cum altera persona contractum cap. 1. *de sponsa duorum*: non tamen per altera sponsalia etiam jurata. Hoc ipso tamen quo quis matrimonium alteri promittit, aut tentat illud inire, censetur ex parte sua renunciasse prioribus sponsalibus: & consequenter partem alteram innocentem liberasse ab obligatione sponsalium, non tamen seipsum. An autem is qui post inita sponsalia cum alia matrimonium contrahit,

trahit, mortua uxore adhuc teneatur priorem ſponſam ducere, ſi ipſa velit, controvertitur: affirmant Con. Pont. Dia. &c. præſertim ſi ſponſalia fuerint jurata. Negant alii communius: quia videtur ſatis conſtare per matrimonium cum alia initum priora ſponſalia penitus diſſolvi.

1051. Diſſolvuntur quoque ſponſalia per profeſſionem Religioſam, aut vota ſubſtantialia in Religione approbata, & ſuſceptionem Ordinis ſacri. An etiam per ſolum ingreſſum in Religionem, aut votum ingrediendi, non convenit inter authores. Toletus cenſet per ingreſſum manere utrumque liberum. Navarrus neutrum, ante ſecutam profeſſionem: Rebellus ſolum ingredientem: alium verò teneri ad expectandum uſque ad Religioſa ejus vota.

Diſſolvuntur quoque per vota Religioſa.

1052. Dicendum videtur 1. partem in ſæculo remanentem poſſe, ſi velit, reſilire: quia ingrediens Religionem videtur hoc ipſo renunciare ſponſalibus. 2. probabilius videri eum qui Religionem ingrediatur remanere ex parte ſua obligatum, caſu quo egreditur: quamvis enim jus canonicum concedat ſponſis poteſtatem ingrediendi Religionem poſt ſponſalia: non tamen decernit ut ſponſalia per iſtum ingreſſum ſolvantur. Unde ſi contingat talem egredi è Religione, aut eum, qui voverat ingreſſum, liberari a voto ſuo, adhuc tenebitur inire matrimonium, ſi ſponſa illud exigat. 3. non poſſe ſponſum adire Religionem niſi reſarciendo ſponſæ damna, ſi quæ ab eo paſſa ſit. Hinc non poſſet inire vitam Religioſam, ſi ſponſam defloraſſet, nec aliter quam per matrimonium poſſet damnum illud reparare.

Ingrediens Religionem adhuc ex parte ſua manet obligatus ſi egrediatur.

1053. Petes an etiam per votum perpetuæ caſtitatis in ſæculo, aut ſacros Ordines ſuſcipiendi ſolvantur ſponſalia ex parte voventis? Affirmant Sot. Henr. Pont. Merat. Gonet. &c. volentes ſponſalia includere hanc tacitam conditionem, niſi ſtatum perfectiorem eligere voluero. Negant Sanch. Con. Hurt. &c. quorum ſententia videtur probabilior: quia tale votum videtur eſſe contra jus quod ſponſus vel ſponſa per ſponſalia acquiſivit in corpus alterius.

An ſponſalia ſolvãtur per votum caſtitatis in ſæculo aut ſuſcipiendi ſacros Ordines.

Jura nō permittant istud votum, sicut permittunt ingressum in Religionem.

Ad rationem in contrarium. Resp. prædictam conditionem ne tacitè quidem includi in sponsalibus. Neque enim includitur ex natura rei: alioqui enim in promissione, qua quis alteri promitteret centum aureos, subintelligeretur etiam hæc conditio: nisi voluero istam summam in usum aliquem perfectiorem impendere v.g. distribuere pauperibus: quod tamen etiam juxta adversarios falsum est. Neque etiam includitur ex juris dispositione, nusquam enim per canones datur libertas sponsis absque mutuo consensu manendi in cœlibatu, vel sponso suscipiendi sacros Ordines: sicut datur potestas ingrediendi Religionem. Ex quo patet, cur potius licitum sit post sponsalia Religionem ingredi, quam servare castitatem in sæculo, aut sacros Ordines suscipere.

Recensentur adhuc varii modi quibus sponsalia solvuntur.

1054. Variis adhuc modis solvuntur sponsalia. Videlicet 1. per quodcumque superveniens impedimentum matrimonii. 2. per notabilem moram culpabilem sponsi vel sponsæ in contrahendo matrimonio intra tempus constitutum. Qui enim est in tali mora censetur alteri obligationem remittere; quamvis ipse ex parte sua adhuc teneatur. 3. per discessum unius in terram longinquam absque alterius consensu cap. *de illis* de sponsalibus. Qui tamen discedit non liberatur ex parte sua ab obligatione sponsalium. 4. per fornicationem sponsi & sponsæ cap. *quemadmodum* de jure jurando. Vbi licet tantum expresse agatur de fornicatione sponsæ: idem tamen de sponso dicendum colligunt authores ex ratione ibi allata: quia scilicet sponsalibus censetur inesse tacita conditio, nisi contra legem sponsalium feceris.

Non semper utrimq; solvitur obligatio.

Solvuntur etiam sponsalia per impudicos tactus.

1055. Idem dicendum cum communi si sponsa permiserit se ab alio impudicè tangi, quia per hujusmodi tactum fit notabiliter vilior, ingeritq; metum ne fidem marito non servet. Quod Hurtadus etiam extendit ad sponsum aliam impudicè tangentem. Sed oppositum tenent alii communius, quia sponsus non notabiliter per hoc vilescit, ut sponsa. Meritò tamen id limitat ConincK, nisi tactus illi turpes fuissent

sent frequentes. Vtroque tamen casu sola pars innocens liberatur ab oligatione sponsalium.

Quod si utraque pars fornicata sit, putat Bonacina neutram posse resilire; quia delictum unius videtur compensari delicto alterius: sicut quando uterque conjux adulterium admisit, neuter habet jus divortii. Alii tamen communius censent solum sponsum remanere liberum, quia sponsus non ita vilescit per fornicationem, ut sponsa.

1056. Denique sponsalia solvi possunt per quamcumque mutationem notabilem sponsalibus supervenientem, quæ si sponsalia præcessisset, sponsalibus obstitisset, ut si sponso vel sponsæ superveniat notabilis deformitas, infirmitas habitualis, paupertas, infamia &c. Idem dicendum, si horum aliquid ante sponsalia occultum, contractus sponsalibus detegatur.

Solvuntur quoque per notabilem sponsi aut sponsæ mutationem sponsalibus supervenientem.

§. IV.

De matrimonio secundum se.

1057. MAtrimonium dupliciter spectari potest. 1. ut est officium naturæ. 2. ut est Sacramentum. Spectatum priori modo duobus adhuc modis potest accipi. 1. pro contractu quo vir & fœmina sibi mutuo tradunt dominium corporis in ordine ad actum generationis. 2. pro statu seu vinculo per istum contractum inducto habitualiter permanente & conjuges obligante ad individuam vitæ societatem. Vtroque modo sumptum rectè definitur, *viri & mulieris maritalis conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens*. Si ly *conjunctio* sumatur pro conjunctione in facto esse & habitualiter perseverante, convenit matrimonio sumpto pro statu permanente. Si verò accipiatur pro conjunctione in fieri, convenit matrimonio accepto pro dicto contractu transeunte. Dicitur autem maritalis conjunctio, quia ista conjunctio tradit marito potestatem in corpus uxoris, & contra uxori in corpus mariti in ordine ad generationem. Non est tamen necesse ut hæc

Matrimonium rectè definitur viri & mulieris maritalis conjunctio individuam vitæ cõsuetudinem retinens.

hæ potestas sit libera & expedita; sed potest esse ligata & impedita etiam in perpetuum per votum castitatis in matrimonio quoque ex mutuo conjugum consensu seruandæ. Vt constat ex matrimonio S. Iosephi cum B. Virgine, quod stetit cum voto virginitatis.

Potestas ad usum matrimonii non debet esse necessario expedita.

1058. Dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum vocatur quod inter personas non impeditas legitimo consensu contractum est; quale etiam nunc est inter non baptizatos, & olim fuit in lege naturæ, ac Mosaica. Ratum dicitur quod signatum est Sacramento fidei, sive quod contrahitur inter baptizatos, & ideò maiorem firmitatem & insolubilitatem obtinet. Consummatum nominatur quod accedente copula carnali completum est.

Dividitur in legitimum ratum & cōsummatum.

1059. Matrimonium, secluso, quod sit Sacramentum, non indiguit speciali & immediata Dei institutione, sed immediatè oritur ex ipso iure naturæ: hoc ipso enim quo Deus creavit masculum & feminam cum potencia generativa, licita fuit eorum conjunctio ad generis humani propagationem, & consequenter etiam contractus matrimonialis, qui necessarius est ad convenientem prolis educationem.

Fundatur immediate in ipso jure naturæ.

1060. De fide est matrimonium ejusque usum honestum esse ac licitum contra Encratitas, aliosque veteres hæreticos. 1. ex Script. Matth. 19. v. 6. 1. ad Tim. 4. v. 3 ubi Paulus prædicit futuros aliquando hæreticos, *prohibentes nubere* 2. ex Conc. Gangr. can. 2. & 31. & Bracchar. can. 11. 3. ex communi totius Ecclesiæ consensu.

De fide est matrimoniū ejusq; usum esse honestū & licitum.

Nec obstat quod aliqui Patres videantur fœditatem aliquam agnoscere in usu matrimonii: respiciunt enim ad concupiscentiam carnalem, quæ in eo se præsertim exerit, & quæ ab Apostolo peccatum vocatur, eo quod sit effectus peccati & ad peccatum inclinet. Adde matrimonium ante peccatum Adami caruisse prævia ista concupiscentia usum rationis præveniente: post peccatum verò cœpisse esse in remedium ejusdem concupiscentiæ.

Ante peccatum Adami carebat inordinata concupiscentia.

Initio

Initio mundi & statim à diluvio obligabantur omnes præcepto naturali ad ineundum matrimonium. Ita DD.communiter. Ratio est quod matrimonium fuerit tunc necessarium ad propagationem generis humani. Imò probabile est huic præcepto naturali accessisse positivum Dei præceptum his verbis *crescite & multiplicamini*. Gen. 1. Nec refert quod eadem verba dirigantur quoque ad pisces præcepti incapaces; quia dici potest, quod respectu illorum contineant simplicem benedictionem. Respectu verò hominum benedictionem simul & præceptum.

Initio mundi & post diluvium fuit præceptum naturale de incundo matrimonio.

1061. Utrumque autem istud præceptum desiit humano genere sufficienter multiplicato. Imo in nova lege Christi laudabilius & melius esse abstinere a matrimonio quam illud inire, nisi aliquid specialiter obstet, est de fide contra Lutherum asserentem continentiam esse impossibilem, & consequenter votum de castitate servanda non obligare, contra manifestam Apostoli doctrinam virginitatem suadentem, 1. ad Cor. 7 eamque matrimonio tanquam aliquid melius præferentem. Imò & contra Christum continentiam commendantem, Matth. 19. his verbis: *sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*. Id enim intelligendum esse moraliter de voluntaria continentia constat ex unanimi PP. & Scripturæ interpretum consensu prædicta verba sic exponentium. Denique Apoc. 14. laudantur qui non sunt cum mulieribus coinquinati sed virgines permanserunt.

Desiit hoc præceptum humano genere sufficiẽter multiplicato.

Et virginitas melior est matrimonio.

Ex eo autem quod melius sit continentiam servare, quam matrimonium inire, non est periculum ne genus humanum pereat, ut olim Hieronymo obiiciebat Iovinianus; nam ut Hieronymus sapienter respondit, *difficilis est virginitas, & ideò rara est*.

Licitæ sunt secundæ, tertiæ & ulteriores nuptiæ.

1062. Licitum est tam viro, quam fœminæ comparte mortua transire ad secundas, tertias, quartas, & ulteriores etiam nuptias; est de fide contra Novatianos, tum ex Apostolo ad Rom. 7. Et 1. ad Cor. 7. Item 1. ad Tim. 5. Tum ex Conc. Niceno; Florent.

Florent. & aliis. Ac denique ex PP. apud Bellarm.

Nec Patres improbant illas tanquã illicitas, sed tanquam minus bonum & effectum magnæ concupiscentiæ.

1063. Dices 1. varii Patres præsertim Græci damnant iteratas nuptias: & quidem Nazian. tertias vocat iniquitatem: ulteriores autem porcinas. Et Clemens Rom. lib. 3. const. Apost. cap. 2. iteratas nuptias vocat sceleratas, intemperantes, & manifestam impudicitiam. R. aliquos quidem Patres invectos fuisse in secundas, & ulteriores nuptias ex studio promovendæ continentiæ, non tamen eas absolutè damnasse tanquam illicitas, cum dicant talia coniugia non esse dissolvenda, ut de Basilio nominatim ostendit Arcud. lib. 7. cap. 28. Et Hieronymus qui etiam iteratas nuptias vituperat, nihilominus in apol. ad Pamach. cap. 3. expresse profitetur se nec bigamos nec trigamos damnare, nec inquit, si dici possit, octigamos.

Cur secundæ & ulteriores nuptiæ non benedicãtur ut primæ.

1064. Dices 2. Concilium Neocæsar. can. 7 imponit pœnitentiam transeuntibus ad secundas nuptias: ergo existimat illas esse illicitas. R. neg. conseq. sed id facit propter præsumptionem intemperantiæ: vel certè agit de illis, qui ad 2. nuptias transeunt cum solemnitate, quæ tantum primis adhibenda est. Ex eo autem quod Ecclesia neget benedictionem secundis nuptiis, & ex illis contrahatur irregularitas, non sequitur quod sint illicitæ. Quia ideò non benè dicuntur quia secundæ nuptiæ non significant conjunctionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa, ut significant primæ. Irregularitas autem aliundè oritur, quam ex delicto.

Illicita est polygamia in lege Evangelica.

1065. Illicita est polygamia, sive pluralitas uxorum in lege Evangelica: est de fide ex Trid. sess. 24. cap. 2. ubi dicit anathema dicenti *licere Christianis plures simul habere uxores*. Deduciturque ex Matt. cap. 19. Si enim, ut ibi Christus asserit, mœchatur, qui dimissa priore uxore alteram ducit: multò magis mœchatur qui priore retenta alteram adjungit.

Fuit etiam initio mundi illicita jure saltem divino positivo.

1066. Illicita etiam fuit polygamia jam inde ab initio mundi, jure saltem divino positivo. Prob. ex prima matrimonii celebratione, Genes. 1. ubi Deus primo homini unicam dedit uxorem dixitque ut vir

adhæ-

adhæreret uxori, non uxoribus, essentque duo in carne una, non plures. Quod exponens Nicolaus in responso ad consulta Bulgarorum sic præclare loquitur: *duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, & unam fœminam tantum cui potuit utique, si vellet, duas uxores tribuere sed noluit. Scriptum quippe est, propter hoc relinquet patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, non dixit uxoribus. Et iterum erunt duo in carne una, masculus scilicet & fœmina in carne una, non tres aut plures.*

1067. Non tantum jure divino positivo, sed etiam jure naturali illicita est polygamia, sive matrimonium unius viri cum pluribus fœminis. Et quidem si agatur de matrimonio unius fœminæ cum pluribus viris, certum est illud esse illicitum jure naturæ, quia manifestè repugnat fini matrimonii, videlicet generationi prolis quam impedit ejusdem fœminæ cum pluribus viris congressus. Sed controvertitur, an idem dicendum sit de matrimonio unius viri cum pluribus fœminis: id enim negant Dur. in 4 dist. 33. 4. 1. Abul. 1. Reg. 8. quæst. 25. Gerson. in regulis moral. cap. de matrim. Cajet. in c. 4. & 16. Gen. Michael Med. Con. Amic &c.

An etiam jure naturali controvertitur.

Contraria tamen sententia S. Thomæ uti communior, ita verior videtur. 1. quia licet pluralitas uxorum non impediat primarium finem matrimonii, qui est prolis generatio, cum vir unus possit ex pluribus uxoribus prolem suscipere: impediat tamen communiter secundarium, qui est bona prolis educatio, & pax domestica: cum raro accidat ut vir unus possit sufficienter providere bonæ educationi multiplicis prolis ex pluribus uxoribus susceptæ: & rarius adhuc fiat ut pax domestica permaneat cum pluralitate uxorum. 2. quia æqualitas contractus matrimonii videtur exigere, ut sicut uxor tradit viro dominium totius corporis sui, sic suum tradat totaliter vir uxori, eoque fruatur, cum voluerit: quod non poterit fieri, si plures habeat uxores.

Affirmativa sententia verior videtur; quia polygamia repugnat saltem secundario fini matrimonii.

Qua ratione per Dei dispensationem licita fuerit polygamia in antiqua lege.

1068. Dices 1. Deus in lege antiqua dispensavit cum Abrahamo, Iacobo, Davide, aliisque Patriarchis, ut possent licitè simul habere plures uxores, ut certum est: atqui non potest Deus dispensare in lege naturali: ergo &c. R dist.mi. non potest propriè & directè: conc. impropriè & indirectè: nego. Quamvis enim homicidium, & sublatio rei alienæ invito domino sint illicita: potest tamen Deus utrumque licitum reddere dando alicui jus in vitam & bona alterius: quod est impropriè & indirectè dispensare in jure naturali. Ita ergo potuit polygamiam reddere Patriarchis licitam dividendo jus in plures uxores, quod ex natura rei uxor una habet totaliter in corpus mariti.

Non fuit licita propter solā consuetudinem, sed propter fundatam in divina dispensatione.

1069. Dices 2. Amb.lib.1. de Abrahamo cap.4. dicit: *cum Abraham duxit Agar, non commisit in legem sed legem prævenit*. Et Aug lib.10. de civit. cap.28 ait, quo tempore Iacob habere plures uxores lex nulla prohiberet. Et lib.23 contra Faust.cap.47. excusans eundem Iacob sic scribit: *quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est*. Ista autem ratio nulla esset si polygamia esset illicita jure naturæ, quia consuetudo nihil potest contra jus naturæ. Et paulò post dicit Iacobum non fecisse contra naturam utendo pluribus uxoribus, nec id fuisse tunc ulla lege prohibitum.

Fuit tantum licita polygamia post diluvium nō ante idque ad multiplicandum genus humanum.

R. Ambrosium id dicere respectivè ad legem postea à Christo latam adversus polygamiam. Idem dicendum est ad primum Augustini locum. Ad 2. autem, morem illum fuisse fundatum in divina dispensatione, qua supposita sequitur Iacobum nec contra naturam, nec contra legem peccasse.

1070. Petes 1. quandonam cœperit licitum esse plures uxores simul habere. 2. quibusnam id permissum fuerit? & quam ob causam? Ad 1. R. id solum fuisse licitum post diluvium; unde etiam non legitur in Scriptura quod aliquis ante diluvium plures simul uxores habuerit præter Lamech, qui duas duxit, & propterea à Nicolao supra reprehenditur tanquam de adulterio causa 24 quæst. 3. cap.19. *an non*, inquit scribens ad Lotharium Regem, *districta ultione ferien-*

feriendus es qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus esse dignosceris. Cœpit autem id esse licitum statim à diluvio per divinam dispensationem Noemo ac filiis ejus revelatam; idque ad multiplicandum genus humanum; quem in finem initio mundi non erat necessaria polygamia: quia eam abundè supplebat longissima hominum vita generationi idonea.

Ad 2. R. non solum id permissum fuisse primis Patriarchis & populo judaico, sed etiam gentilibus: Gen. 1. satis apparet quod Abimelech gentilis habuerit plures uxores, qui tamen describitur ut vir moraliter bonus. Deinde si id non fuisset pariter gentilibus licitum, Iacob vivens inter eos & plures uxores ducens fuisset illis scandalo. Et matrimonium Esther cum Asuero non fuisset verum matrimonium; quia habebat prius Reginam Vasthi pro uxore. — Non tantum populo judaico sed etiam gentilibus fuit permissa.

1071. Nec dicas inde sequi polygamiam adhuc esse gentilibus licitam, eo quod lex Christiana nihil immutaverit in conjugiis infidelium: quia Christus reduxit omne conjugium sive Christianorum sive infidelium ad suam primam institutionem, dum Matt. 19. repetit quæ habentur in Genesi de ejus institutione. Deinde humano genere sufficienter multiplicato cessat ratio prædictæ dispensationis sine qua diximus illicitam esse polygamiam: unde etiam videtur dicendum excepto populo judaico, quem specialiter Deus volebat multiplicatum, polygamiam: per abusum in aliis populis tamdiu perseverasse. — Christus sustulit polygamia respectu omnium.

1072. Matrimonium ut Sacramentum, rectè definitur signum sensibile gratiæ sanctificantis, quo vir & mulier consensu perpetuo conjunguntur. Quod sit propriè Sacramentum fide certum est contra Luther. & Calv & alios hæreticos. 1. ex Florent. in decreto de Sacram. recensenti matrimonium inter septem novæ legis Sacramenta: & Trid. sess. 24. can. 1. dicenti anathema contrarium asserentibus. 2. ex communi consensu totius Ecclesiæ etiam orientalis apud Arcud. 3. ex PP. Ambr. Chrys. Aug. Leon. Innocentio — Matrimoniũ est verè & propriè Sacramentum.

centio I. & aliis apud Bellarm. Hæc sunt Augustini verba lib. de bono coniug. cap 18. *in nostrorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti , quam fœcunditas uteri .* Et cap. 24. *bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines causa generandi est in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet , etiam in sanctitate Sacramenti .*

Hæc veritas definita est à Cōcilio Flo. rent. & Trid. &. ab antiquis PP. traditur.

1073. Dices 1. non potest ex Scriptura probari , quod matrimonium sit Sacramentum : ergo &c. R. 1. multos cum Bellarm. existimare id tradi ab Apost. ad Ephes. 1. his verbis : *erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo & Ecclesia .*

Quandonam fuerit à Christo institutum.

1074. Dices 2. non potest assignari tempus , quo fuerit hoc Sacramentum à Christo institutum. R. institutum fuisse vel in Cana Galileæ, dum præsentia sua nuptias ibi celebratas honoravit, Ioa. 2. vel dum indissolubilitatem matrimonii stabilivit , Matth 19. vel denique post Resurrectionem .

1075. Dices 3. in aliis Sacramentis semper invenitur aliquid ab extrinseco applicatum subjecto Sacramentum recipienti : atqui id non contingit in matrimonio : ergo &c. R. id esse speciale huic Sacramento , eo quod Christus nullum novum pro eo, sicut pro aliis , ritum instituerit ; sed ipsum priorem matrimonii contractum elevaverit ad esse sacramentalem

Forma hujus Sacramenti, sunt verba exprimentia consensum , materia corpora contrahentium.

1076. Dices 4. non potest assignari quænam sit materia & forma hujus Sacramenti . R. formam esse verba aut signa exprimentia consensum : materiam autem esse corpora contrahentium . Non enim est alia materia & forma matrimonii ut est Sacramentum, quam sit ut est contractus: cum Christus contractum matrimonii nulla facta mutatione elevaverit ad esse Sacramenti. Nec obstat quod corpora contrahentium sint tantum materia circa quam versatur matrimonii contractus : in Sacramentis autem debeat assignari materia ex qua componantur ; quia hoc speciale est huic Sacramento , quod cum sit ipsemet matrimonii contractus à Christo elevatus ad es-

se

se sacramenti; sicut contractus ille habet tantum materiam circa quam; ita & hoc Sacramentum.

1077. Dices 5. Florentinum dicit tria reperiri in omnibus Sacramentis, videlicet id quod est Sacramentum tantum; id quod est res tantum; & id quod simul est res, & Sacramentum. Atqui non possunt hæc tria assignari in matrimonio ergo &c. R neg. min. nam ipse contractus matrimonii est Sacramentum tantum; quia significat, & non significatur. Gratia verò sacramentalis est res tantum quia significatur & non significat. Vinculum verò matrimoniale, quod ex contractu oritur, est Sacramentum & res simul, quia significat, & significatur, significat enim indissolubilem Christi conjunctionem cum Ecclesia & significatur per istum contractum ex quo oritur.

Quidnam in hoc Sacramẽto sit Sacramentum tantum res tantum Sacramentum & res simul.

1078. Matrimonium baptizatorum semper est Sacramentum, quando saltem confusè illud intendunt. Ita DD. Communiter contra Cajet. Conc. Victor. &c. existimantes matrimonium per procuratorem aut litteras contractum non esse Sacramentum, licet adsit intentio Sacramenti. Contra quos Prob. conclusio; quia Cristus non instituit specialem aliquem ritum pro hoc Sacramento, sed ipsum matrimonii contractum elevavit in baptizatis ad esse Sacramenti; ergo hoc ipso quod baptizati ineunt istum contractum & non deest intentio requisita in administratione & receptione Sacramentorum, habetur id omne quod requiritur ad hoc Sacramentum.

Matrimoniũ baptizatorũ semper est sacramentum, dum saltem confusè illud intendunt.

1079. Dices matrimonium potest validè iniri inter absentes per procuratorem ut infra dicetur; sed sic initum non potest esse Sacramentum; licet non desit in contrahentibus intentio Sacramenti; ergo &c. Prob. mi. 1. quia supposito quod contrahentes sint ministri hujus Sacramenti, ut communiter docetur, sequitur sponsum dormientem posse hoc Sacramentum ministrare, ut continget si sponsus dormiat in Gallia, dum procurator nomine ejus contrahet in Hispania. 2. quia actio sacramentalis non potest per alium exerceri quam per ministrum Sacramenti; in nostro autem casu exerceretur per procuratorem,

Exponitur multiplex difficultas obstans rationi sacramenti in matrimonio per procuratorem inito.

torem, qui non est minister, 3.quia Sacramentum non potest conferri absenti, ut hic continget. 4.quia absurdum est dicere quod aliquis recipiat Sacramentum prophanis negotiis ita intentus, ut nequidem cogitet de Sacramento: atqui id sæpè contingeret in matrimonio per procuratorem inito, ut consideranti patebit. 5.denique quia matrimonium per procuratorem initum solet iterari in facie Ecclesiæ.

Sicut absens potest validè matrimonium inire per procuratorem; ita & Sacramētum hoc ministrare.

R.neg.mi.ad 1.ejus prob.dico in eo nihil esse absurdi: sicut enim non est absurdum sponsum dormientem inire contractum matrimonii per suum procuratorem: ita per eum ministrare hoc Sacramentum. Ad 2. R.actionem istam sacramentalem exerceri per ministrum, videlicet per sponsum contrahentem, non quidem immediatè, sed mediatè per procuratorem: sicut exerceretur ipse contractus quem Christus elevavit ad esse Sacramenti. Ad 3. hoc esse speciale huic Sacramento, quod possit absenti ministrari, eo quod non distinguatur ab ipso matrimonii contractu, qui potest validè inter absentes iniri. Ad 4.dico in eo nihil esse absurdi: sicut enim tunc nihil cogitans de contractu verè contrahit: ita nihil cogitans de Sacramento verè illud recepit.

Quandonam peccet contrahens matrimonium per procuratorem in statu peccati.

1080. Inferes ergo poterit peccare nihil cogitans de peccato, & reipsa peccabit, si nempè dum procurator nomine ejus contrahet, ipse sit in statu peccati mortalis: peccat enim qui hoc Sacramentum recipit in statu peccati. R.ipsum tunc peccasse, quando advertens se esse in statu peccati, & periculum esse ne hoc Sacramentum in eo statu reciperet, neglexit expiationem peccati sui.

Ad ultimam probationem R.non iterari tunc matrimonium prius inter absentes per procuratorem initum; sed tantum à præsentibus confirmari & approbari, & suppleri solemnitates omissas.

Potest matrimonium esse validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti.

1081. Si baptizati matrimonium contrahant absque ulla intentione Sacramenti, erit validum in ratione contractus civilis, non in ratione Sacramenti. Ita Vasq.Rebel.Pontius, Hurt.Merat.Gonet. Contra Bellar.Sanc.Præp.Con.Silv.&c. docentes hæc duo ex Christi institutione ita esse connexa ut nunquam

matri-

matrimonium inter baptizatos possit valere in ratione contractus, nisi etiam valeat in ratione Sacramenti. Contra quos.

Prob concl.1. quia cætera Sacramenta possunt esse invalida defectu solius intentionis in ministro requisitæ: ergo similiter hoc Sacramentum. 2. quia baptizati matrimonium contrahentes non tantum possunt carere intentione Sacramenti, sed etiam habere positivam volitionem contrariam; ut facilè potest accidere in hæreticis negantibus matrimonium esse Sacramentum, sed non est credibile Christum sic instituisse hoc Sacramentum ut etiam fieret nolente Ministro illud fieri: ergo &c.

Baptizati nō tantum possunt carere intentione Sacramenti sed etiam habere contrariam.

1082. Dices 1. non possunt baptizati intendere contractum matrimonii, nisi virtualiter & implicitè intendant Sacramentum: quia hoc Sacramentum supposita institutione Christi non distinguitur à contractu matrimonii. R. contractum matrimonii non esse per se connexum cum Sacramento, sed tantum per accidens, & de facto separari in non Baptizatis; ideoque posse unum intendi sine altero. Certè non apparet saltem quomodo dici possit virtualiter intendi matrimonium in ratione Sacramenti ab iis qui in infantia post Baptismum ab infidelibus abducti, nulla cognitione habita de Christi Ecclesia & Sacramentis ejus, postea matrimonium ineunt.

Ratio Sacramenti accidit matrimonio ideoque potest unum intendi sine altero.

1083. Dices 2. non est credibile Christum reliquisse in fidelium potestate ut eorum matrimonium sit vel non sit Sacramentum. R. id non esse minus credibile, quam in aliis Sacramentis; quæ certò pendent ab intentione Ministri, ut sint vel non sint valida. Hæc autem potestas, non est potestas juris, quasi possint licitè id facere: sed tantum facti.

1084. Dices 3. fideles clandestinè contrahentes plerumque non cogitant de Sacramento, & tamen matrimonium eorum est Sacramentum, ubi Tridentinum non est receptum; quia ibi validum est eorum matrimonium: ergo intentio Sacramenti non est necessaria ut matrimonium sit Sacramentum. R. tales ordinariè intendere saltem confusè Sacramentum; quia intendunt jungi matrimonio; sicut junguntur

Clandestinè contrahētes solent etiam confusè saltem Sacramentum intendere.

alii fideles: si tamen nullo modo Sacramentum intenderent, nec matrimonium illorum esset Sacramentum.

Quid dicendum de matrimonio non baptizatorū dum postea baptizantur.

1085. Petes 1. an matrimonium initum inter non baptizatos, fiat Sacramentum cum postea baptizantur? R. cum Bellar. Sanc. Tann. Laim. & multis aliis, id esse valde probabile, modo tunc coram Parocho & testibus matrimonium ratificent. Sicut enim ista ratificatio, est vera confirmatio prioris matrimonii: ita dici potest elevari à Christo ad esse Sacramenti, sicut elevatum fuisset prius matrimonium, si fuissent baptizati.

Quid de matrimonio baptizati cum non baptizata.

1086. Petes 2. an matrimonium ob grauem causam cum dispensatione contractum inter baptizatum & non baptizatam, vel contra, sit Sacramentū ex parte baptizati. R. id Theologos cōmunius negare, quia sicut matrimonium est unicus duorum indivisibiliter contractus; ita & unum indivisibiliter Sacramentum: ac proinde non posse ex altera parte claudicare sive in ratione contractus, sive in ratione Sacramenti. Dici tamen posset, quod Christus unum & indivisibilem matrimonii contractum elevaverit ad esse duo partialia Sacramenta, quorum unum possit subsistere sine altero: sicut alter conjugum potest recipere gratiam hujus Sacramenti, altero illam non recipiente defectu debitæ dispositionis.

Quid si unus intendat Sacramentum alter non.

1087. Petes 3. an si vnus contrahentium intendat Sacramentum, altero non intendente, contractus matrimonii futurus sit Sacramentum ex parte illud intendentis? R. id videri probabilius, cum ex parte ejus nihil desit ad rationem Sacramenti, dicique possit, quod in contractu matrimonii contineantur duo Sacramenta partialia, quorum unum possit subsistere sine altero ut jam dictum est.

Minister hujus Sacramenti non est Parochus sed sunt ipsi contrahentes.

1088. Minister hujus Sacramenti non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. Ita cum S. Thoma Theologi communiter, contra Melchiorem Can. Est. Silv. Scrib. & paucos recentiores. Prob. 1. ex Florent. in decreto de Sacramentis sic loquente de matrimonio: *septimum est Sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ*

secun.

secundum Apostolum, *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Subsumo: atqui contrahentes ponunt consensum, & mediante illo efficiunt matrimonium: ergo & Sacramentum. Quod enim ibi sermo sit de matrimonio ut est Sacramentum colligitur 1. ex istis verbis: *septimum est Sacramentum matrimonii*, 2. quia ibi ex professo traditur doctrina Sacramentorum, quæ esset valde manca si non comprehenderet omnia quæ necessaria sunt ad valorem hujus Sacramenti, inter quæ est persona Ministri. Mutuus autem consensus dicitur à Concilio causa efficiens matrimonii, sumendo causam efficientem in latiori significatione prout etiam causam alicuius rei constitutivam complectitur, quo sensu v.g. dicitur albedo efficere parietem album, hoc est constituere. Ita consensus conjugum efficit seu constituit matrimonium. Vel certè sumitur matrimonium, non pro ipso contractu matrimonii, sed pro vinculo conjugali, quo resultat ex mutuo conjugum consensu: qualiter sumptum potest etiam habere rationem Sacramenti, si consideretur non in facto esse, sed in fieri.

Quo sensu mutuus consensus dicitur efficiens causa matrimonii.

1089. Prob. 2. ex Trid. sess. 24. can. 1. definiente absque ulla exceptione matrimonium, videlicet Christianorum, esse Sacramentum. Debuisset autem excipere matrimonium clandestinum, si Minister hujus Sacramenti esset Parochus. Et cap. 1. de refor. docet *clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, fuisse rata & vera matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*. Atqui matrimonia dicuntur rata ratione Sacramenti, ut declaratur cap. *quando* de divortiis ergo censet clandestina matrimonia fuisse etiam Sacramenta; ac proinde Parochum non esse Ministrum hujus Sacramenti, cum in clandestinis non interveniat.

Tridentinũ non excipit clandestinũ matrimoniũ à ratione Sacramenti.

1090. Prob. 3. ex communi sensu omnium ferè Theologorum tam veterum quam recentiorum, cui multum tribui debet in pertinentibus ad Sacramenta, quæ aliter quoad varia probari nõ possunt, quam per sensum Ecclesiæ in ejus præsertim Doctoribus residen.

DD. tam antiqui quam recentiores communiter sen-

residentem. Quod autem in hanc sententiam con- spirent veteres Theologi, patet ex eo quod teste Soto nullus ante Canum contrarium, saltem apertè, docuerit. Recentiores verò, ut Sotus, Vasq. Rebel. Pon. tius Cani sententiam censeant improbabilem. Bellarminus verò esse falsam, aut certè totam Ecclesiam hac in re gravissima multis sæculis errasse. His tamen non obstantibus fatendum videtur cum aliis Cani sententiam, tum ob gravium DD. authoritatem, tum ob rationes non leves, quibus nititur, esse probabilem: ut patebit ex his quæ jam pro ista sententia adferemus, & solvemus.

...tiunt Parochum non esse Ministrum hujus Sacramenti.

Citantur varii Pontifices & Patres pro opposita sententia.

1091. Dices 1. varii Pontifices & Patres docent aut supponunt benedictionem Sacerdotis esse de essentia matrimonii, saltem ut est Sacramentum. 1. enim Evaristus Epist. ad Episcopos Africanos dicit conjugia aliter præsumpta quam cum benedictione sacerdotali non esse conjugia, sed adulteria. 2. Nicol. 1. Epist. ad Rodoald. relatus can. *Lotharius* causa 31. quæst. 2. docet matrimonium inter Lotharium & Vvaldradam initum dissolvendum esse, si non fuerit cum benedictione Sacerdotis celebratum 3. Alexand. cap *cum in Ecclesia* de simonia, scribit horribile esse quod pro benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid accipiatur. 4. Martin. in fine Concilii Constant. numerat inter Sacramenta solemnitatem matrimonii. 5 Tertull. lib. 2. ad uxorem sub finem scribit illud matrimonium esse Sacramentum, quod Ecclesia conciliat. Amb. Epist. 7. docet conjugium sanctificandum esse benedictione sacramentali.

Generaliter dici potest Pontifices illos ac Patres nō agere de benedictione cōtroversa.

1092. R. 1. generaliter Pontifices ac Patres citatos non agere de assistentia & benedictione Parochi dicentis: *ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* quam adversarii ex Trid. volunt esse essentialem, cum nusquam istorum verborum meminerint: sed de alia qua Sacerdos per varias orationes nubentibus solemniter benedicit. Quam benedictionem esse tantum accidentalem, patet ex eo quod secundis nuptiis non adhibeatur: imò nec primis tempore Adventus & Quadragesimæ.

1093. Resp. 2. specialiter ad 1. vel Evaristum loqui secundum præsumptionem fori externi non reputantis matrimonium illud verum esse, quod non potest probari. Vel tunc clandestina matrimonia fuisse etiam irrita, ut probat Pontius. Deinde id etiam ab adversariis solvendum est, cum non negent conjugia sine prædicta benedictione Parochi non esse conjugia, sed tantum non esse Sacramenta.

Intelligendus est Evaristus secundum præsumptionem fori externi.

1094. Ad 2. R. Nicolaum 1. id scripsisse, quia Lotharius repudiaverat Teutpergam uxorem suam, ut Vualdradam pellicem suam duceret. Mandat ergo Rodoaldo Legato suo, ut hoc matrimonium declaret nullum, nisi Lotharius probet se prius Vualdradam non clam, sed palam cum benedictione Sacerdotis duxisse. Vide de hac re Baron. ad annum Christi 862.

Explicatur Nicolaus 1. circa matrimonium Lotharii.

1095. Ad 3. R. Alexandrum illic sumere Sacramenta in latiori significatione, cum inter Sacramenta numeret etiam sepulturas & exequias mortuorum. Licet autem ista nuptiarum benedictio non sit Sacramentum strictè sumptum; quia tamen est aliquid spirituale, meritò dicit non posse præcisè pro ea aliquid exigi. Ad 4. fere idem dicendum videlicet Martinum V. adjungere Sacramentis solemnitatem matrimonii, non quia est Sacramentum strictè sumptum; sed quia est aliquid sacramentale, & velut aliquod huius Sacramenti complementum.

Alexander sumit Sacramenta latius dū illis annumerat benedictionem nuptiarum.

1096. Ad 5. R. Tertullianum id non habere, sed tantum asserere *illud esse felix matrimonium, quod Ecclesia conciliat*; hoc est quod a fidelibus in Ecclesia contrahitur ab eaque approbatur & benedicitur. Ad 6. R. Ambrosium intelligendum esse non de sanctificatione sacramentali quæ habetur ex opere operato; sed de sanctificatione accidentali quæ habetur per benedictionem sacerdotalem & preces ei adjunctas.

Ambrosius intelligendus est de sāctificatione accidentali.

1097. Dices 2. Concilium Carthag. 4. can. 13. conjuges admonet ut nocte post acceptam benedictionem contineant se ob reverentiam benedictionis: ergo censet benedictionem illam esse Sacramentum. Florentinum autem dicit omnia Sacra-

Adferuntur varia in cōtrarium ex variis Conciliis.

menta perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma: atqui hoc falsum erit si contrahentes sint ministri; quia possunt valide contrahere absque verbis v. g. per nutus. Concilium autem Coloniense habitum anno 1536. p. 7. cap. 40. dicit matrimonium accedente sacerdotali benedictione conferre gratiam. Et cap. ultimo Manualis dicuntur Sacerdotes legitimi Ministri hujus Sacramenti. Denique Synodus Cameracensis habita 1567. cap. 1. de matrim. ait Parochos esse hujus Sacramenti Ministros: & idem habetur in Rituali Romano.

Quare hoc Sacramentū absolutè loquendo possit perfici absque verbis potius quam alia Sacramenta.

1098. Ad 1. R. neg. conseq. quia non tantum Sacramenta; sed etiam Sacramentalia præsertim solemniora, qualis est benedictio nuptiarum, digna sunt magna reverentia. Ad 2. id esse speciale Sacramento matrimonii, quod, absolutè loquendo, possit perfici absque verbis per solos nutus; eo quod scilicet possit sic perfici in ratione contractus, quem Deus elevavit ad esse Sacramenti. Vnde Concilium istud specialiter agens de matrimonio, dixit illud regulariter perfici mutuo cōsensu per verba expresso: satis insinuans per ly *regulariter* posse consensum istum aliter exprimi, quam per verba, nempe per nutus & litteras. Ad 3. R. id dici ab isto Concilio, quia cum hæc benedictio sit saltem præcepta, non potest gratiam recipere, qui illam culpabiliter omittit. Quod autem in manuali Sacerdotes dicantur legitimi ministri hujus Sacramenti non debet intelligi de Sacramento hoc quoad substantiam spectato, sed quoad solemnitatem & ceremoniam accidentalem benedictionis ab Ecclesia præscriptæ, quæ latè dicitur Sacramentum. Eadem responsio adhibenda est ad Synodum Cameracensem, & Rituale Romanum.

Benedictio nuptiarum dicitur Sacramentum in latiori significatione

1099. Dices 3. Parochus interrogatis viro & muliere & mutuo eorum consensu audito ex decreto Trid. dicit, *ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* atqui hæc verba essent falsa, si non esset Minister matrimonii: ergo &c. R. neg. mi. quia sensus illorum verborum est; ergo matrimonium vestrum authoritate mihi ab Ecclesia commissa ratum

Quò sensu debent intelligi ista Parochi verba: ego vos in matrimonium conjungo.

habeo

habeo seu confirmo. Non posse autem esse alium istorum verborum sensum, patet ex eo quod certum sit matrimonium esse validum, etiamsi Parochus non pronuntiet verba ista, imò & reclamet, modo cum testibus requisitis audiat conjugum consensum.

1100. Dices 4. in aliis Sacramentis, quæ in usu consistunt, semper Minister diversus est à suscipiente: ergo hic similiter. R. neg. conseq. disparitas est quod hoc Sacramentum consistat in ipso conjugum contractu a Christo elevato ad esse sacramentale. Idem autem necessario sunt qui contrahunt, & ex contractu obligantur, quod non contingit in aliis Sacramentis.

Cur in hoc Sacramento Minister nō sit diversus à suscipiente.

1101 Dices 5. plerique ex contrahentibus nesciunt se esse Ministros hujus Sacramenti: ergo non possunt habere debitam intentionem in Ministro requisitam. R. satis esse quod generatim intendant contrahere matrimonium eo modo quo in Ecclesia Christi contrahitur: hoc ipso enim censentur implicitè intendere hoc Sacramentum.

Non est necesse ut contrahentes sciant, se esse Ministros ut intendant Sacramentū.

1102. Dices 6. secundum jus antiquum sponsalia per copulam affectu maritali factam transibant in matrimonium & etiam nunc transeunt, ubi Tridentinum non est receptum: ergo si contrahentes sint hujus Sacramenti ministri, ista copula illicita erit pars hujus Sacramenti, quod est absurdum. R. esse moraliter impossibile ut copulam affectu maritali factam non præcedant verba, quibus significent se in eam affectu maritali consentire: ac proinde antecedenter ad illam contractum esse per ista verba matrimonium. Si tamen aliquo casu, contingeret, ut ipsa copula foret primum signum mutui consensus in matrimonium, non esset absurdum dicere quod copula illa in ratione signi mutui consensus concurreret ad hoc Sacramentum sicut non est absurdum asserere quod actio turpis, qua v.g aqua applicaretur baptizando per tactus impudicos, esset materia proxima Baptismi.

Potest actio illicita concurrere ad Sacramentū.

§. V.

De consensu ad matrimonium requisito & ejus indissolubilitate.

Mutuus consensus contrahentium necessarius est ad valorem matrimonii.

1103. Consensus mutuus contrahentium necessarius est ad valorem matrimonii. Ratio est quod matrimonium consistat in contractu: de essentia autem contractus sit mutuus contrahentium consensus. Ex quo sequitur nulla potestate humana posse matrimonio conjungi in illud non consentientes. An autem divina potestate suppleri possit iste consensus controvertitur: hoc certum videtur posse Deum tradere viro & fœminæ mutua corporum dominia in ordine ad generationem, absque prævio eorum in id consensu: consequenter tamen inspiraturum consensum in istam traditionem, & individuam vitæ societatem, & in ea omnia quæ per se consequuntur ex ista dominii traditione.

Consensus ille debet esse verus & non fictus.

1104. Consensus ad matrimonium requisitus. 1. debet esse verus: unde si ex alterutra parte contrahentium sit fictus matrimonium est nullum. Ratio est, quia sine verò consensu non stat verus contractus; in contractu autem situm est matrimonium. 2. requiritur ut sit plenè deliberatus, id est factus cum advertentia de se sufficienti ad mortale: id enim exigit obligationis gravitas, quæ ex matrimonio contrahitur. 3. ut sit signo aliquo exteriori expressus: quia debet utrique parti innotescere, ut possit acceptari. 4. ut sit liber à coactione, seu metu gravi, sicut si consensus metu gravi injustè incusso extortus sit, matrimonium sit invalidum: quia licet probabilius videatur contractus ex gravi metu initos jure solo naturæ spectato esse validos, & jure positivo solum rescindibiles, ut communius docetur in tractatu de jure & justitia, contractus tamen matrimonii sic initus speciali jure positivo irritus est cap. *veniens* de sponsalibus cap *consultationi tuæ*. Ibid. & meritò id statutum est; si enim esset validus, cum natura sua sit indissolubilis, non posset postea rescindi,

Item plenè deliberatus.

Et liber ab omni coactione seu gravi metu.

di, ut possunt cæteri contractus ex gravi metu facti.

1105. Sufficit consensus conditionatus, si conditio apposita sit de præsenti vel de præterito, eaque subsistat: quia subsistente conditione æquivalenter est absolutus: idque verum est etiam si contrahentes nesciant conditionem subsistere aut non subsistere. Non possunt tamen conjuges uti matrimonio suo, nisi sciant conditionem subsistere. Nec fortè plus volunt, qui dicunt matrimonium suspendi, donec contrahentes certi sint de existentia conditionis.

Sufficit conditionatus si conditio sit de præsenti aut præterito & subsistat.

1106. Si autem conditio sit de futuro contingenti, suspenditur valor matrimonii usque ad conditionis eventum, quem tenentur contrahentes expectare, & obstaculum ejus eventui non ponere, si conditio sit honesta aut saltem indifferens. Adveniente autem conditione probabilius videtur quod matrimonium reddatur validum absque novo consensu, modo prior consensus non fuerit revocatus. Ita communius DD. Ratio est quod cæteri contractus conditionati transeunt in absolutos sine novo consensu, dum advenit conditio apposita: ergo idem dicendum est de contractu conjugali. Quia tamen opinio hæc non est certa, in praxi curandum est ut sic contrahentes impleta conditione consensum renovent, & quidem in præsentia Parochi & testium, ubi Tridentinum receptum est.

Si autem sit de futuro cō, tingenti suspendit valorem matrimonii.

1107. Si conditio adjecta repugnet naturæ aut fini matrimonii irritum est matrimonium: ex cap. *si conditiones* de conditionibus oppositis: ubi dicitur nullum esse matrimonium sub his conditionibus contractum *si generationem prolis evites: aut donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro quæstu adulterandam te tradas*: quia nempè primum repugnat fini matrimonii: secundum, ejus indissolubilitati. Tertium autem, ejus sanctitati & fidei. Et ratio etiam id evincit; quia omnis contractus destruitur per adjectionem conditionis repugnantis contractui. Si autem conditio adjecta non repugnet naturæ aut fini matrimonii, licet sit turpis, ut si quis

Si conditio repugnet naturæ, aut fini matrimonii irritum est matrimonium.

dicat

dicat contraho tecum ea conditione ut victum furto quæras, committas homicidium &c. aut etiam sit impossibilis, ut si dicat contraho tecum ea conditione ut voles, in cœlum ascendas &c. non est propterea irritum matrimonium sed conditiones illæ habentur pro non adjectis. Cap. cod *si conditiones*. Id tamen intelligendum est secundum præsumptionem fori externi supponentis tales conditiones non seriò adijci alioqui enim si quis vere consensum suum tali conditioni ita alliget, ut sine illa nullo modo intendat contrahere, nullum erit matrimonium. Ita communiter DD.

Quid dicendum sit de adjectione conditionis turpis aut impossibilis.

1108. Non est necesse ut consensus ad matrimonium requisitus feratur in actum conjugalem, sed sufficit si tendat in translationem dominii corporum in ordine ad istum actum. Ita DD. communiter. Prob. 1. quia ex communi Ecclesiæ sensu S. Iosephus & B. Virgo contraxerunt verum matrimonium & tamen non consenserunt in actum conjugalem. 2. quia si quis matrimonium contraheret cum voluntate ingrediendi Religionem ante matrimonii consummationem; validè contraheret; & tamen non intenderet actum conjugalem. 3. quia actus iste supponit matrimonium jam constitutum: ergo non pertinet ad ejus essentiam: ergo potest intendi essentia matrimonii, non intento isto actu.

Non est necessarium ut cōsensus requisitus feratur in actū conjugalem.

1109. Dices 1. qui consentit in translationem dominii alicujus rei in ordine ad ejus usum, virtualiter & interpretativè consentit in illius usum: ergo non potest quis consentire in translationem corporis sui in ordine ad usum conjugalem, nisi in istum usum consentiat. R. dist. ant. si aliunde non possit istum usum impedire conc. si possit, nego. Qui autem transfert dominium corporis sui in ordine ad usum coniugalem, duobus modis potest istum actum impedire. 1. ingrediendo Religionem intra bimestre ante matrimonium consummatum, prout jus canonicum permittit. 2. ineundo pactum de continentia in matrimonio servanda. Posito igitur quod coniuges tale pactum inierint ante matrimonium, clarū est quod

Potest usus coniugalis impediri per coniugū votum de continentia in matrimonio servanda.

con-

contrahendo matrimonium non intenderint actum conjugalem.

1110. Dices 2. finis matrimonij est generatio prolis sed pactum istud de continentia in matrimonio servanda repugnat generationi prolis: ergo, & matrimonio; ac proinde illud invalidat juxta dicta num. 1104. de adjectione conditionis fini matrimonij repugnantis. R. dist. Ma. finis matrimonij est generatio prolis, supposito quod conjuges velint uti conjugio suo conc. supposito quod ex mutuo consensu nolint uti sed velint servare continentiam nego: sicut ergo liberum est conjugibus uti conjugio, vel ex mutuo consensu continentiam servare, hocque postremum laudabilius est, quam primum: ita illis liberum est vitare generationem prolis per continentiam vel illam procurare per actum conjugalem.

Generatio Prolis est tantum finis matrimonii supposito quod conjuges velint uti matrimonio

1111. Dices 3. supposito isto pacto non possunt sponsus, & sponsa tradere sibi invicem potestatem in mutua corpora ad actum conjugalem: ergo nec possunt inire matrimonium, per quod essentialiter ista potestas traditur. R. dist. ant. non possunt tradere potestatem proximam, & expeditam conc. remotam, & impeditam ex mutuo consensu nego. Iam autem hæc potestas sufficit ad matrimonium, ut patet in iis qui jam contracto matrimonio vovent ex mutuo consensu continentiam: non desinit enim propterea permanere matrimonium, licet tunc potestas in mutua corpora ad actum conjugalem sit per votum illud impedita.

Non requiritur ad matrimonium potestas proxima, & expedita ad actũ conjugalem.

1112. Consensu Parentum non est necessarius ad valorem matrimonii, vt constat ex Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. ubi damnat hæreticos asserentes *matrimonia à filiis familias sine consensu Parentum contracta irrita esse, & Parentes ea rata vel irrita facere posse.* Ordinarie tamen consensus iste necessarius est ad hoc ut licitum sit matrimonium, ita ut graviter peccent filii, & filiæ familias contrahentes invitis Parentibus. Et de hac necessitate intelligendi sunt Canones, & Patres requirentes consensum Parentum. Pontius tamen putat huiusmodi matrimonia olim fuisse irrita jure Ecclesiastico: sicut jam sunt

Consensus Parentũ non est necessarius ad valorẽ matrimonii.

clan-

clandestina. Graviter tamen etiam peccarent Parentes, si irrationabiliter consensum denegarent & isto casu licitum esset matrimonium absque illorum consensu. An autem justè aut injustè consensum suum denegent, præcipuè spectat ad Episcopum judicare.

Matrimoniũ clãdestinum spectato tantum jure naturæ est validum.

1113. Matrimonia clãdestina spectato tantum jure naturæ sunt valida. Conclusio certa est ex Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. ubi manifestè id supponit. Et ratio etiam clara est; quia ad valorem matrimonii ex natura rei sufficit mutuus consensus liber inter personas ad matrimonium habiles.

Fuit tamen semper ab Ecclesia graviter prohibitum.

Quamvis talia matrimonia non videantur etiam jure naturæ illicita ut communius docent Theologi: semper tamen fuerunt graviter ab Ecclesia prohibita, ut testatur Trid. loco cit. ob gravissima incommoda, quibus obnoxia sunt. 1. enim nata sunt parere gravia scandala, dum conjunges de quorum matrimonio non constat, putantur vivere in concubinatu. 2. quia sæpè dum occultè fiunt; contrahuntur temere, & sine sufficienti deliberatione. 3. quia facilè possunt iniri cum occulto impedimento. 4. quia multis essent causa damnationis; dum priore uxore, cum qua clam contraxissent, dimissa, cum alia palam contraherent, & cum ea in perpetuo adulterio viverent.

Iure autem novo Tridẽtini non tantum est illicitum sed etiam invalidum.

1114. In locis autem, in quibus Tridentinum, saltem quoad hoc, publicatum & receptum est, non solum illicita sunt talia matrimonia, sed etiam invalida; ut patet ex his Tridentini verbis cap. 1. cit. de reform. *qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit; & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Itaque juxta Tridentinum ut non sit clandestinum requiritur præsentia Parochi & duorum aut trium testium, nec sufficit aliorum, quamvis multi sint, præsentia.

Quandonam censeatur clandestinũ.

Nomine autem Parochi intelligitur non solum ille,

ille, qui primariò alicui Ecclesiæ Parochiali præfectus est, sed etiam ejus vicarius, item proprius contrahentium Episcopus ejusque vicarius generalis, ac denique ipsos habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in contrahentes.

1115. Dices 1. non potest Ecclesia decreto suo mutare substantiam Sacramentorum, aut aliquid ei addere: atqui hoc fieret si præter consensum contrahentium requireretur præsentia Parochi & testium, ut decernit Tridentinum: ergo &c. R. eandem adhuc esse post Tridentinum formaliter substantiam Sacramenti matrimonii, ac erat ante, nempè legitimum matrimonii contractum, quem Christus elevavit ad esse Sacramenti: factam autem esse aliquam tantum materialiter mutationem in quantum jam ad legitimum istum contractum requiritur præsentia Parochi & testium, quæ ante non requirebatur: quod non excedit potestatem Ecclesiæ.

Potest Ecclesia aliquo modo mutare substantiam Sacramenti materialiter non formaliter.

1116. Dices 2. non potest Ecclesia facere ut contractus qui jure naturæ & licitus & validus est, sit jam illicitus & invalidus: atqui clandestinus matrimonii contractus jure naturæ & licitus & validus est: ergo &c. R. dist. ma. non potest facere ut sit illicitus & invalidus jure naturæ: conc. jure civili: neg. potest enim propter bonum commune aliquid exigere ad valorem alicujus contractus, quod non exigitur jure naturali: ut patet in multis aliis contractibus qui validi essent spectato solo jure naturali, & invalidi sunt jure civili ob defectum alicujus solemnitatis ab eo requisitæ.

Contractus jure naturæ licitus, & validus potest Ecclesiastico fieri illicitus & invalidus.

1117. Præsentia Parochi & testium ad valorem matrimonii requisita, ubi Tridentinum est receptum, debet esse moralis, hoc est talis ut advertant ad id quod agitur, ac de eo testari possint. Non est tamen necessarium ut ista præsentia sit Parocho & testibus voluntaria, sed sufficit quod vir & fœmina coram ipsis etiam invitis, & quantum in se est repugnantibus, mutuum consensum verbis ad Parochum directis sufficienter exprimant, ut constat ex variis declarationibus Cardinalium

Requiritur moralis præsentia Parochi, & testium.

Con-

Concilii Tridentini interpretum apud Præpositum.

Ad valorem sufficit præsentia alterutrius conjugum Parochi etiam extra parochiam.

1118. Etiamsi ex præcepto interesse debeat Parochus sponsi vel sponsæ in cujus Parochia matrimonium celebratur, sufficit tamem ad valorem si alterutrius Pastor assistat et iam extra suam Parochiam aut diœcesim, quia ista præcisè assistentia non est actus jurisdictionis saltem contentiosæ. Ita Sanch. Con. Præp. Dia. & alii communius, extatque ea de re apud Rebel. & Bonac. Declaratio Cardinalium Tridentini interpretum.

Potest Parochus cuilibet Sacerdoti cōcedere facultatem assistendi matrimonio.

1119. Qui habet duo domicilia potest è duobus Parochis, quem voluerit adhibere, quia uterque est verè illius Parochus. Vagabundi tamen debent contrahere coram Parocho loci in quo versantur, dum matrimonium contrahunt: qui tamen non potest eos licitè conjungere nisi præmissa diligenti inquisitione, & re ad Episcopum delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerit: juxta Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap 7.

1120 Potest Parochus cuilibet alteri Sacerdoti concedere facultatem matrimonio assistendi loco suo; non tamen alteri qui non sit Sacerdos, ut colligitur ex his Trid verbis cap. 1. de reform. *qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, &c.* Non est tamen necesse ut ipse Parochus sit Sacerdos, sed sufficit si habeat titulum, & officium Parochi ut expresse declaravit Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum anno. 595.

Non potest matrimoniū clandestinū esse validum ratione ignorantiæ.

Non requiritur ut testes sint exceptione majores, sed satis est quod sint sufficienti rationis usu prædit. Neque etiam exigitur ut sint vocati, vel in eum finem venerint; sed sufficit quod sint præsentes quamuis inuiti aut etiam per vim detenti. Ita quoad utrumque DD. communiter.

1121. Petes 1. an in iis locis, in quibus decretum Tridentini de reformatione receptum est, non possit aliquando matrimonium clandestinum esse validum vel ratione invincibilis ignorantiæ istius decreti, vel ratione necessitatis, ut si concubinarius morti

pro-

proximus velit concubinam ducere ad prolem legitimandam, nec possit haberi Parochus? R.neg. ita DD. communiter: quia lex Tridentini non tantum prohibet hujusmodi matrimonium, sed omninò & absolutè irritat.

1122. Petes 2. an habens domicilium in loco ubi Tridentinum non est receptum, v.g. in Anglia, validè contrahat clandestinè in loco ubi receptum est v.g. in Belgio? vel contra habens domicilium, ubi Tridentinum receptum est validè contrahat clandestinè in loco ubi non est receptum? Ad.

Contractus debet fieri juxta leges locorum in quibus celebrantur.

1. R.neg. quia contractus debent fieri juxta leges loci in quo celebrantur. Ad 2. R.affirm. quia Tridentinum non irritat matrimonium clandestinum respectu omnis loci, sed tantum respectu ejus, in quo publicatum est, quandoquidem ad id publicationem exigat. Ita Sanch. Con. Præp. Hurt. Pont. &c. id tamen videtur limitandum, nisi in fraudem legis eo se transtulerit ad clandestine contrahendum: ita enim decisum esse a sacra Congregatione Cardinalium Trid. interpretum testatur Zipæus lib. 4. consult 6.

1123. Petes 3. quid dicendum sit de Hollandia aliisque locis in quibus Tridentinum aliquando fuit receptum, sed modo subjacent hæreticis Tridentinum non recipientibus: an scilicet in istis locis valeat matrimonium clandestinum. R. non valere initum inter Catholicos illic habitantes, si possit haberi Parochus vel ejus substitutus sine gravi ipsius, vel contrahentium periculo. Quod si non possit haberi, vel quia nullus est vel quia ita latet, ut non possit inveniri: vel denique quia non potest adiri aut advocari sine gravi periculo, tunc ex dispensatione Ecclesiæ validum est matrimonium absque præsentia Parochi initum, modo adhibeantur duo aut tres testes, ut præscribit Tridentinum. Ita responsum esse a sacra Cong Card. Trid. interp. testantur Præpos. Sylv. ac nominatim Zipæus lib. 4. tit. de sponsal. num. 16.

An clandestinum matrimonium contractum in Hollãdia in qua Tridentinũ fuit promalgatum, sit validum.

Dixi *inter Catholicos*: licet enim id varii etiam extendant ad hæreticos: probabilius tamen videtur

eorum matrimonia coram Ministro hæretico, vel solis testibus, ubi hæc consuetudo est, inita, esse valida ex tacita Pontificis id scientis, nec reclamantis dispensatione. Vnde etiam eorum liberi habentur ab Ecclesia pro legitimis. Ita Tanner. Laym. &c.

§. VI.

De Matrimonii indissolubilitate.

Matrimonium à prima sui institutione fuit indissolubile jure divino.

1124. MAtrimonium etiam non consummatum à prima sui institutione indissolubile fuit jure divino, ac proinde nulla authoritate pure humana dissolvi potuit. Prob. ex verbis Christi Matth. 19. ubi interrogatus à Iudæis an non liceret homini dimittere uxorem suam, respondet: *non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ.* Quæ verba, nomine Dei, prolata sunt ab Adamo. Gen. 2. antequam cognosceret uxorem suam: ac proinde intelligenda etiam sunt de matrimonio non consummato. Et ibid. tollens potestatem dandi libellum repudii, ait: *ab initio autem non fuit sic.*

Fuit etiam indissolubile jure naturali.

1125. Matrimonium saltem consummatum, non tantum jure divino, sed etiam naturali fuit ab initio mundi indissolubile. Ita communiter DD. Prob. quia matrimonium consummatum ex natura sua ordinatur ad convenientem prolis generationem & educationem: hanc autem non posse convenienter haberi cum matrimonii dissolubilitate dictat ratio naturalis; ut consideranti patebit. Huic rationi adde alteram S. Thomæ 3. contra Gentes cap. 123. *si quis*, inquit, *mulierem assumens tempore juventutis quo decor & fœcunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem.*

Hæc indissolubilitas cōvenit præsertim matrimonio cōsummato.

Dixi, *saltem consummatum*: quia hæ duæ rationes tantum directè militant pro indissolubilitate matrimonii consummati. Extendi tamen possunt ad matrimonium secundum se, in quantum ex primæva sui

sui institutione ordinatum fuit ad prolis generationem. Nec in lege naturæ liberum fuit per aliquod tempus ante consummationem alterutri conjugi ab altero discedere ad ineundam vitam perfectiorem; ut licet in Evangelica, de qua re postea.

1126. Probabilius videtur in lege Mosaica matrimonium ex speciali Dei permissione Iudæis facta dissolvi potuisse per libellum repudii. Ita Albert. Dur. Scot. Bellar. Sanch. Præpos. contra Bonav. Sot. Est. Silv. &c. volentes libellum repudii non fuisse permissum a Moise tanquam licitum, sed solum toleratum ad vitanda graviora mala v.g. uxorum odia & homicidia; ut asserit Hieronymus in cap. 19. Matth.

In lege Mosaica dissolvebatur per libellum repudii ex speciali Dei dispensatione.

Prob. concl. ex Deut. 24. ubi ex facultate facta viro dimittendi uxorem si ei displiceat, & libertate, quæ conceditur repudiatæ nubendi alteri, omnino colligitur libellum repudii verè fuisse Iudæis permissum, & per eum verè factam matrimonii dissolutionem: alioqui enim permissio illa fuisset illis perniciosa: induxisset enim repudiatas in adulteria faciendo illis potestatem alteri viro nubendi. Licet enim tunc licitum fuerit viro habere plures uxores: nunquam tamen licuit fœminæ habere simul plures marito. Ac proindè si per libellum repudii non fuisset matrimonium verè dissolutum, non potuisset repudiata sine adulterio novum maritum accipere.

1127. Dices 1. Christus Matth. 19. dicit libellum repudii fuisse Iudæis permissum ob duritiam cordis eorum: & hanc permissionem revocat tanquam abusum. R. Christum istis verbis tantum significare duritiam cordis Iudæorum fuisse occasionem istius permissionis, non verò istam permissionem non fuisse veram. Quod autem illam revocet non sequitur quod fuerit mera tolerantia & abusus, quia vera permissio revocari potest, præsertim cum habuerit malam causam, ut hic accidit.

Quo sensu Christus dixerit repudium fuisse Iudæis permissum, ob duritiam cordis.

1128. Dices 2. Deut. 24. v. 4. dicitur si mulier repudiata, alteri viro nupserit, & hic mortuus fuerit, non posse eam a priori marito recipi: cujus rei hæc

ratio redditur *quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino*. Ergo committebat adulterium nubendo alteri. R. verba illa intelligenda esse de pollutione & abominatione legali, quæ etiam absque culpa contrahebatur. Ita ex dispositione legis immundus censebatur, qui mortuum vel leprosum tetigerat.

Quo sensu Deus dispensare possit in lege naturæ.

1129. Dices 3. indissolubilitas matrimonii est juris naturalis, ut paulò ante dictum est: sed Deus non potest dispensare in jure naturæ, ergo &c. R. dist. mi. non potest Deus directè dispensare in jure naturali, hoc est sic ut perseverante jure naturali det facultatem faciendi contra illud conc. non potest indirectè dispensare efficiendo ut quod est juris naturæ non sit amplius tale, ac proindè possit fieri: nego. Ita juris naturæ est ne quis capiat rem alienam invito domino: Deus tamen tanquam supremus Dominus transferendo dominium rei alienæ in alterum, efficit ut alter possit rem alienam capere invito ejus domino; quia tunc non est contra jus naturæ rem alienam capere: ita velut supremus Dominus efficiendo ut dominium quod habet uxor in corpus mariti sit a marito dependens, potuit maritus uxorem dimittere absque ejus injuria.

Quandonam matrimonia nō baptizatorum possint dissolvi in lege Evangelica.

1130. Matrimonia infidelium non baptizatorum possunt in lege Evangelica dissolvi, si uno conjugum ad fidem converso nolit alter converti, neque cohabitare absque injuria Creatoris, potestque fidelis hoc casu relicto infideli aliud matrimonium inire cum fideli. Conclusio certa est. Ita enim expressè statuitur cap *quanto* de divortiis. Colligiturque ex Apostolo 1. ad Cor 7 ubi sic habet: *quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*. Id est ut communiter DD. exponunt: Christianus aut Christiana eo casu non legi seu vinculo prioris matrimonii sed ex divina dispensatione in favorem Religionis Christianæ ab eo liberatur.

Dixi 1. *non baptizatorum*, si enim conjuges prius fuerint baptizati & fideles ita ut matrimonium illorum verè fuerit Sacramentum, & postea alter conjugum

gum fidem deserat fiatque infidelis; non potest propterea matrimonium dissolvi, quia tunc matrimonium illorum nō tantum fuit contractus aliquis civilis, sed Sacramentum. Potest tamen fidelis conjux separare se ab infideli quoad habitationem & thorum, debetque si adsit periculum subversionis.

1131. Dixi 2. *neque velit cohabitare absque injuria Creatoris*: quia si conjux infidelis paratus sit cohabitare nulla contumelia Christum aut Christianam Religionem afficiendo neque ad infidelitatem aut aliud grave peccatum conjugem fidelem pertrahendo, non potest tunc matrimonii vinculum dissolvi, ut probabilius & communius censent DD. contra Sot. Bellar. Sanc. Idque conformius est dicto capitulo *quanto* de divortiis, & doctrinæ Apostoli 1. ad Cor. 7. suadentis uxori fideli ut cohabitet cum viro infideli, & contra; si infidelis consentiat in pacificam cohabitationem: adde & liberam fidei à conjuge professionem. Quia tunc cessat ratio dissolutionis matrimonii, & talis dissolutio verteretur in odium fidei Christianæ.

Non potest dissolvi matrimonium, si infidelis paratus sit pacificè cohabitare.

1132. Matrimonium baptizatorum per copulam carnalem consummatum nullo casu dissolvi potest quoad vinculum. Est de fide ex Florent. in decreto de Sacram. Et Trid. sess. 24. can. 7. confirmaturque ex perpetua Ecclesiæ praxi. Dixi *quoad vinculum*; quia quoad thorum & cohabitationem solvi potest vel ex mutuo conjugum consensu vel authoritate Ecclesiæ, dum adest justa separationis causa.

Matrimonium baptizatorū nullo modo dissolvi potest.

1133. Dices 1. Christus Matt. 19. v. 9. dicit, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur; ergo si fornicetur potest dimitti & alia duci. R. neg. conseq. quia ly *mœchatur* non debet referri conjunctim ad utramque propositionis partem, sed divisim hoc sensu; quicumque dimiserit uxorem suam, videlicet quoad thorum, nisi ob fornicationem, mœchatur. Et qui aliam duxerit quacumque ex causa, mœchatur; primo quidem casu mœchia aliena in quantum dat uxori occasionem mœchandi juxta illud Christi Matt. 22. *qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis*

Potestas dimittendi uxorem ob fornicationem importat tantū dimissionem quoad thorum.

causa, facit enim mœchari. Secundo autem casu mœchia propria, quia cum aliena conjungitur.

Idque colligitur ex aliis Christi verbis apud Marcum & Lucam.

1134. Quod vero verba illa isto sensu aut aliquo simili intelligenda sint, manifestum est ex S. Marco & Luca qui eandem Christi sententiam referunt generaliter absque ulla exceptione: nam Marcus cap. 10. his verbis eam refert: *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*. Et Lucas cap. 10. *omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit mœchatur*. Eadem verba intelligenda esse sine exceptione docet Augustinus lib. de adult. conjug. cap. 9. ubi graviter reprehendit eos, qui horum Evangelistarum verba non accipiunt universaliter: *qui*, inquit, *sumus nos, ut dicamus, est qui mœchatur uxore dimissa, aliam ducens: & est qui hoc faciens non mœchatur; cum Evangelium dicat omnem mœchari*.

Fornicatio uxoris est causa per se separationis quoad thorum.

1135. Dices 2. separatio quoad thorum fieri potest propter alias causas, quam ob fornicationem: ergo exceptio fornicationis apud Matt. non intelligitur de separatione quoad thorum, sed quoad vinculum. R. neg. conseq. Ideo enim adfertur hæc causa potiùs, quam alia: quia fornicatio uxoris est per se & directè sufficiens causa separationis quoad thorum & quidem absolutæ & perpetuæ, eo quod per se & directe repugnet legibus matrimonii. Aliæ autem causæ, ut gravia odia, mortis machinatio &c. tantum per accidens opponuntur societati conjugali, nec eam dividunt speciali titulo, sed communi cuivis societati.

Matrimonium ratum sed non consummatum solvitur per professionē Religiosam.

1136. Matrimonium fidelium ratum, at non consummatum dissolvitur per solemnem professionem in Religione approbata. Est de fide ex Trid sess. 24. can. 6. idem antea decretum fuerat ab Alex. 3. cap. *verum* & cap. *ex publico* de conversione conjugatorum. Item ab Innoc. 3. cap. *ex parte* ibidem. Dixi per solemnem professionem: quia multò probabilius est non dissolvi per vota simplicia Societatis; ut communiter docetur contra Pontium.

Habet autem Religiosa professio vim solvendi matrimonium ratum, non jure naturali; ut docent

Dur.

Dur. & Palud. nec jure divino, ut volunt Sotus Sanch. & Pontius, sed jure Ecclesiastico. Ita Less. Con. Vuig. Præp. & alii communius. Prob. quia si professio Religiosa matrimonium ratum solveret jure naturali aut divino; eo quod per illam suscipiatur status majoris perfectionis; idem præstarent vota simplicia Societatis Iesu, cum vere & propriè Religiosum constituant: & professionis solemnitas sit tantum juris Ecclesiastici, ut communiter docetur in tract. de jure & just.

Id oritur ex jure Ecclesiastico non naturali.

1137. Potest probabiliter summus Pontifex aliis etiam ex causis matrimonium ratum non consummatum dissolvere. Sequitur ex præcedenti conclusione: & confirmatur ex facto plurium Pontificum, qui hanc potestatem in se agnoverunt, eaq; usi sunt: nam Martinus 5. & Eugenius 4. matrimonium ratum non consummatum dissolverunt, ut refert qui eo tempore vivebat Antoninus. p. tit. cap. 21. §. 3. sub finem. Idem fecerunt Paulus 3. & Pius 4. teste Navarro in summa cap. 22. num. 21. & idem fecit Gregorius 13. teste Præp.

Potest Pontifex aliis etiam de causis tale matrimoniū solvere.

1138. Neque conclusioni obstat illud Christi, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Matt. 19. quia Pontifex id non facit ut homo, sed ut Christi Deique Vicarius; ut etiam accidit, dum votum relaxat. Vndè tali casu matrimonium non tam dissolvitur ab homine, quam à Deo per hominem.

Hanc potestatem habet tanquam Christi Vicarius.

Inferes ergo poterit etiam Pontifex dissolvere matrimonium consummatum. R. neg. illat. quia non apparet quod in hoc etiam casu hanc ei Christus potestatem dederit. Vnde & eam nunquam exercuit, licet occurrerint urgentissimæ occasiones. Hujus autem casus cum altero disparitatis variæ possunt rationes adferri, ut 1. quod matrimonium consummatum perfectius repræsentet conjunctionem Verbi cum natura humana aut Christi cum Ecclesia, quæ conjunctio indissolubilis est. 2. quia dissolutio matrimonii consummati redderet potestatem Pontificis odiosam. 3. quia ista dissolutio esset ordinariè uxori injuriosa.

1139. Divortium ex usu sic recepto est separa-

Licitum est divortium

ob conjugis adulterium. tio conjugum quoad thorum & habitationem manente vinculo conjugali.

Potest maritus ob uxoris adulterium facere cum ea divortium ut apertè colligitur ex Christi verbis Matt. cap. 5. v. 32. & cap. 19 v, 9. quia *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.* idem potest uxor facere propter adulterium mariti: licet enim Christus loco citato non agat de mariti adulterio sed uxoris; videtur tamen quoad hoc utriusque in hac causa paritas, cum non minus teneatur vir uxori fidem servare, quam uxor viro. Et ita statuitur cap. finali causa 32. quæst. 2.

Non tamen sufficit adulterii suspicio aut probabilitas: sed requiritur certitudo.

1140. Non sufficit tamen ad faciendum divortiũ suspicio aut etiam probabilitas adulterii, sed requiritur moralis aliqua certitudo; qua habita pars innocens non obligatur propterea ad separationem, sed ipsi liberum eit separare se, aut non separare. Quod si nolit se separare, pars nocens tenetur ad remanendum.

Maritus sciēter cognoscēs uxorem adulteram censetur ei adulterium condonare.

1141. Quamvis autem pars adulterii rea non habeat amplius jus compartem innocentem obligandi ad reddendum debitum, antequam ab ea obtinuerit culpæ suæ condonationem, non tenetur tamen abstinere à petendo debito, donec à conjuge innocente repellatur. Quod si conjux innocens bene sciens compartis adulterium, nihilominus petenti reddat debitum, aut ab ea illud exigat, censetur ei culpam condonasse, ac proinde renunciasse juri quod habebat ad faciendum cum ea divortium. Si autem vterque reus sit adulterii, neuter habet jus ad separationem, tunc enim injuria ab altero accepta compensatur per injuriam similem alteri illatam. Quod si uxor absque culpa sua per vim fuerit ab alio violata, non potest propterea maritus eam dimittere, quia tunc ipsa nullam ei injuriam intulit.

Divortium debet fieri legitima authoritate.

1142. Licet maritus habeat jus separandi se ab uxore propter uxoris adulterium; & contra uxor à viro propter simile viri crimen; non possunt tamen privata authoritate separare se quoad habitationem; sed ad hoc opus est authoritate judicis, nisi fortè adulterium sit notorium; ratio est quod ista separatio

ratio

ratio privata authoritate facta sœpe esset scandalosa,& temere facta sine sufficienti adulterii certitudine. Aliud est de separatione quoad thorum tantum: pars enim certa de adulterio compartis suæ potest id facere priuata authoritate. Ita quoad utrumque Doctores communiter.

1143. Conjux innocens, facto ob adulterium divortio, potest absque alterius conjugis rei consensu Religionem ingredi, & in ea profiteri. Si tamen ante professionem ipse etiam adulterium committat, tenetur redire ad compartem prioris adulterii ream si ipsa velit: quia tunc per similem injuriam ei allatam amisit jus divortii. At verò pars nocens diuortio etiam legitima authoritate facto non potest religionem ingredi, aut in ea validè profiteri invita parte innocente; cum innocens retineat semper jus condonandi parti nocenti, eamque revocandi.

Pars innocens potest Religionem ingredi.

1144. Non tantum ob adulterium, sed etiam alias ob causas, v.g. ob compartis sævitiam, furorem, lepram aut alium morbum contagiosum, apostasiam à fide, &c. licitum est diuortium. Non potest tamen id fieri privata authoritate, sed ad hoc opus est authoritate legitimi judicis. Vide cap. finale de *conuersione conjugatorum*. Et cap. de *illa* de divortijs. His tamen casibus cessante causa propter quam divortium factum est, qui divortium fecit tenetur redire ad compartem, si id exigat.

Non tantum ob adulterium sed etiã ob alias causas potest divortium fieri.

1145. Possunt etiam conjuges mutuo consensu secluso scandalo, aut alio incommodo, separare se non tantum quoad thorum, quod certum est; sed etiam quoad habitationem. Ad hoc tamen postremum opus est ordinarii consensu. Quod si tunc unus velit Religionem ingredi, & ante fuerit consummatum matrimonium, etiam alter debebit ingredi, cap. *de his* de conjugatorum conversione. Vbi excipitur nisi uxor sit ita senex, ut sine suspicione possit promissa castitate remanere in sæculo. Idem extendit Pontius ad virum senem, quem similiter vult posse remanere in sæculo ejus uxore vitam Religiosam profitente: sed hoc non est fundatum in jure.

Possunt etiã cõjuges mutuo consensu a se invicem.

1146. Petes an uxor debeat sequi virum, si hic velit

lit habitationem,& patriam mutare? R.affir. quia vir est caput familiæ,& fœminæ, quæ proinde etiam quoad hoc viro obedire debet, maxime si habeat aliquam justam causam id faciendi.

Vxor debet sequi maritum mutantem patriam

Excipiuntur varii casus.

Excipiuntur tamen casus sequentes 1. si vir velit uxorem ducere in regionem nimis longinquam, quo non possit pervenire absq; gravi periculo, & gravibus incommodis. 2 si in patriam hæreticam, in qua incurrat subversionis periculum. 3. si uxor meritò timeat ne peregrè à viro deseratur 4. si vir post matrimonium velit fieri vagus,& difficile sit ipsum sequi. Quod si ante matrimonium esset vagus, & uxor id sciverit, tenetur eum sequi, quia tunc consensit in istud incommodum. 5. denique si in contractu matrimonii vir promiserit non mutaturum se patriam: & nulla superveniat gravis necessitas id faciendi.

Tenetur conjux conjugi reddere debitum.

1147. Per se loquendo tenetur coniux conjugi debitum petenti reddere. Patet ex Apost. 1. ad Cor. 7. *uxori vir debitum reddat, similiter, & uxor viro.* Hæc obligatio est sub mortali, cum sit justitiæ,& in re gravi. Non raro tamen denegatio debiti excusatur a peccato gravi, vel etiam levi, ut si compars remisse illud petat, & excusationem admittat; aut si nimis sæpe, aut loco indebito, aut tempore importuno, excusant similiter à reddendo debito notabilis morbus periculum contagionis, &c.

Nulla est obligatio per se, loquendo petendi debitum.

1148 Nulla est obligatio per se loquendo petendi debitum conjugale; potest tamen esse per accidens: ut si sit periculum incontinentiæ: si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum: si prolis procreatio necessaria esset aut valde utilis Reipublicæ, &c.

Dubitans de valore matrimonij nō potest debitum petere, manente dubio.

1149. Qui moraliter certus est de nullitate matrimonii sui nec potest debitum petere, nec reddere. Conclusio certa est tum ex cap. *inquisitioni tuæ*, de sententia excommunicationis; Tum ratione, quæ clare dictat talem copulam esse fornicationem. Qui autem contraxit cum dubio de valore matrimonii, manente dubio non potest debitum petere; tenetur tamen reddere comparti quæ bona fide contraxit

cap.

cap. *Dominus* de secundis nuptiis. Quod si uterque cum tali dubio contraxerit, neuter potest petere, aut reddere: quia manente tali dubio exponerent se periculo peccandi.

1150. Qui post matrimonium bona fide contractum incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter inquirere; & durāte dubio non potest debitum petere; ne exponat se periculo fornicandi: tenetur tamen reddere, ob periculum faciendi contra jus alterius. Ita statuitur cap. cit. *inquisitioni tuæ*. Quod si adhibita sufficienti inquisitione adhuc maneat dubium ita ut dubitans nō habeat sufficientes rationes ad judicandum matrimonium esse probabiliter validum: idem dicendum est ac in præcedenti conclusione, nempè non posse debitum petere, teneri autem ad reddendum. Si autem habeat sufficientes rationes ad id judicandum, potest etiam debitum petere, quia possessio bona fide inita stat pro illo.

Et tenetur ad diligentem veritatis inquisitionem.

1151. Qui tempore matrimonij cognoscit consanguineam uxoris suæ in primo aut 2. gradu, non potest debitum petere ob novam affinitatem contractam. Potest tamen Episcopus cum tali dispensare, & ex privilegio varii Regulares. Dixi debitum petere, potest enim, & debet uxori petenti illud reddere, quia uxor habet jus illud petendi.

Qui cognovit consanguineā uxoris, non potest debitum petere debet tamen reddere.

Qui extra casum necessitatis prolem ex propria coniuge susceptam baptizat, aut in Baptismo vel Confirmatione tenet ut patrinus, juxta communem incurrit etiam obligationem non petendi debitum ob contractam spiritualem cognationem.

1152. Si quis ex conjugibus obstrictus sit voto castitatis, non potest debitum petere, antequam à voto suo liberetur, quia debet illud servare, quantum potest. Tenetur tamen reddere, quia alter conjugum per hoc non privatur jure suo? nisi voto obstrictus votum suum emiserit cum alterius consensu, & is jure suo ad petendum debitum renuntiaverit: quo casu neuter potest petere aut reddere.

Quid dicendum sit de conjuge obstricto voto castitatis.

1153. Qui contraxit matrimonium cum voto Religionis aut Ordinis sacri, graviter peccauit sic

con-

contrahendo, & matrimonium consummando. Sed post consumationem potest petere, & reddere debitum, quamdiu compars habet jus illud petendi.

Quid censendum sit de accessu ad grauidã.

1154. Illicitum est debitum conjugale aut petere, aut reddere in templo nisi conjuges maneant in eo inclusi ad longum tempus, & periculum sit incontinentię. Ita communiter DD.

1155. Illicitum etiam est accedere ad uxorem gravidam cum periculo abortus. Quod si absit istud periculum non videtur accessus ille illicitus, maximè si alioqui adsit periculum incontinentiæ. Ita etiam DD. communiter.

1156. Variatio situs, aut modi naturalis in actu conjugali non est mortalis, modo servetur vas debitum, nec sit periculum effundendi semen extra illud, aut impediendi generationem. Est tamen veniale sic debitum petere aut reddere absque justa causa. Ita quoad utrumque DD, communiter.

Veniale est actũ conjugalem exercere ob solã voluptatem.

1157. Peccatum veniale est actum coniugalem exercere solius voluptatis causa: ut patet ex damnatione hujus propositionis ab Innocentio XI. facta, *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, & defectu veniali*. Et merito hæc propositio damnata est, quia ratio dictat non esse agendum ob solam sensuum voluptatem.

§. VII.

De impedimentis matrimonii.

Quænã sint impedimenta solum impedientia matrimoniũ ut licitè fiat.

1158 INter impedimenta matrimonii, alia sunt impedientia tantum: alia dirimentia. Dicuntur impedientia tantum, quæ matrimonium reddunt solummodo illicitum. Dirimentia autem, quæ insuper reddunt invalidum.

1159. Impedientia tantum comprehenduntur hoc versu: *tempora, mandatum, votum, sponsalia, crimen*. Primum igitur impedimentum reddens matrimonium illicitum est tempus, quod dicitur clausum ab Adventu usque ad Epiphaniam inclusive: & a fe-

ria quarta cinerum usque ad Dominicam in albis inclusivè: quo tempore Tridentinum sess.24. cap. 10. prohibet nuptias solemnes, id est factas cum benedictione sacerdotali, solemni convivio, aliisque signis lætitiæ: non tamen contractum matrimonii, & ejus consummationem. Quamquam ex particulari consuetudine quarumdam Ecclesiarum id etiam non permittatur absque speciali causa & licentia ab Ordinario obtenta.

Explicantur ista impedimenta.

Secundum est mandatum seu prohibitio ab Episcopo vel Parocho facta, ne matrimonium ineatur, donec v. g. de objecti impedimenti veritate plenius inquiratur.

Tertium est votum simplex) castitatis in sæculo servandæ: aut votum ingrediendi Religionem, aut sacros ordines suscipiendi.

Quartum, sponsalia validè contracta cum altera, nisi prius legitimè dissolvantur.

Quænam sint impedimenta matrimonium dirimentia.

Quintum est crimen, quo nomine continentur multa delicta, ob quæ pœnitentiæ loco per antiquos canones decernitur abstinentia a conjugio: ut sunt raptus alienæ, occisio Sacerdotis, uxoricidium &c. quæ omitto, quia jam per non usum sunt abrogata.

Quindecim sunt impedimenta matrimonium dirimentia his versibus comprehensa. *Error, conditio, votum cognatio, crimen: cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas. Amens, affinis, sclandestinus, & impos. Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto. Hæc facienda vetant connubia: facta retractant.*

Error circa substantiam personæ irritat matrimonium.

1160. Error circa substantiam personæ non tantum jure positivo matrimonium dirimit sed etiam naturali: quia tunc deest consensus in substantiam contractus; nam persona cum qua contrahitur, est res circa quam contractus matrimonii versatur, si autem error sit tantum circa qualitatem personæ ut si falso credatur nobilis, dives, Virgo &c. non dirimit matrimonium, licet fortè error iste fuerit causa matrimonii: quia nihilominus non tollit consensum in personam cum qua contrahitur matrimonium.

Excipe 1. nisi qualitas redundet in substantiam perso-

personæ, ut si petieris primogenitam, & detur secundo genita. 2. nisi consensus sit conditionalis videlicet sub conditione talis qualitatis, & non aliter. Verum debet conditio exterius exprimi, ut consensus reputetur conditionatè consensisse, ut si sit dives, nobilis &c. cogeretur illam ducere & consensum absolutum dare.

Conditio servilis ignorata, dirimit matrimonium.

1161. Conditio servilis ignorata etiamsi ignorantia fuerit vincibilis: dirimit matrimonium, si pars altera sit libera, non quidem jure naturæ, quia est tantum error circa qualitatem personæ: sed Ecclesiastico, ex cap. finali *de conjugio servorum*: Quod si conditio servilis non sit ignorata, aut si pars altera non sit libera, sed etiam serua, valebit matrimonium.

Item votum castitatis in Religione approbata aut sacris ordinibus annexum.

1162. Votum solemne castitatis in Religione approbata, aut sacris ordinibus annexum invalidat matrimonium ex cap. 3. 6. & 7. *qui clerici*. Et Trid. sess. 24. can. 9. Eandem vim habet votum simplex castitatis quod in Societate Iesu absoluto tyrocinio emittitur ex Bulla Gregor. 13. quæ incipit *ascendente Domino*. Religiosus autem post votum castitatis, aut clericus post sacros Ordines tentans inire matrimonium excommunicatur ipso facto.

Explicatur impedimentum cognationis.

1163. Circa impedimentum cognationis, nota 1. triplicem esse cognationem & in ordine ad propositum videlicet naturalem, spiritualem & legalem. Naturalis est propinquitas sanguinis inter personas, vel ab eodem communi stipite descendentes, qualis est inter fratres cognatos &c. vel quarum vna descendit ab alia, qualis est inter patrem & filium; avum & nepotem &c.

Cognatio naturalis in linea recta jure naturali dirimit matrimonium in quolibet gradu.

Cognatio spiritualis est propinquitas orta ex Baptismo vel Confirmatione. Hæc autem cognatio post Trid. sess. 24. de reform. matrim cap. 2. sublatis quibusdam aliis, restricta est ad paternitatem & ad compaternitatem. Paternitas spiritualis intercedit inter Baptizatum vel confirmatum ex una parte: & baptizantem vel confirmantem, vel patrinos ex altera. Compaternitas, inter patrem vel matrem baptizati vel confirmati ex vna parte: & baptizantem vel confirmantem vel patrinos ex altera.

Cogna-

Cognatio legalis est propinquitas orta ex adoptione perfecta qua scilicet ex Principis aut Reipublicæ consensu aliquis adoptatur in filium, ita ut transeat in Patriam adoptantis potestatem.

1164. Cognatio naturalis seu consanguinitas in linea recta, hoc est inter eos quorum unus immediatè vel mediatè descendit ab altero, dirimit matrimonium jure naturali non tantum in primo gradu, ut inter patrem & filiam, aut matrem & filium, ut omnes concedunt: sed etiam probabiliter in quocumque ulteriori gradu est: quod actus conjugalis sit contra reverentiam, quam descendentes debent suis progenitoribus.

In linea autem collaterali jure Ecclesiastico dirimit usq; ad 4. gradum inclusivè.

In linea autem collaterali sive consanguinitas inter personas quæ ab eodem quidem communi stipite descendunt, sic tamen ut nulla descendat ab altera, dirimit matrimonium jure saltem Ecclesiastico usque ad quartum gradum inclusive: ex cap. *non debet* de consanguinitate. Et cap. *vir* ibid.

Quomodo enumerandi sint gradus in utraque linea.

1165. Ad numerandos autem gradus utriusque lineæ hæ sunt regulæ. In linea recta tot sunt gradus, quod numerantur personæ non numerata persona a qua initium ducitur. Hinc pater & filius contingunt se in primo gradu: avus & nepos in secundo & ita deinceps. In linea autem tranversa seu collaterali personæ æqualiter distantes a communi stipite seu principio tot gradibus ab invicem distant, quot recedunt a communi stipite. Hinc fratres aut sorores sunt in primo gradu. Et consobrini in secundo gradu & ita deinceps. Quod si inæqualis sit distantia, censentur in isto gradu a se inuicem distare, quo remotior recedit a communi stipite. Vndè si unus sit in quinto gradu, alter in quarto non erit opus dispensatione ad ineundum matrimonium quia consanguinitas in linea collaterali tantum dirimit matrimonium usque ad quartum gradum.

Iure etiam naturali irritum est matrimonium in primo gradu lineæ collateralis.

1166. Non tantum jure Ecclesiastico, sed etiam naturali irritum est matrimonium in primo gradu lineæ collateralis v.g. inter fratrem & sororem: ita communius DD contra Cajet. Pont. Hurt. ratio est quod carnalis conjunctio fratris cum sorore contineat

neat gravem indecentiam, ut patet ex communi ſenſu hominum, quibus ſemper exoſum fuit & prohibitum tale conjugium. Vnde etiam Pontifices nunquam diſpenſarunt in eo gradu.

Nec refert quod initio mundi fratres cum ſuis ſororibus, non ſolùm validè ſed etiam licitè matrimonium contraxerint: quia neceſſitas propagandi genus humanum id exigebat, reddebatque iſtud conjugium honeſtum, accedente præſertim divina diſpenſatione.

Quod autem attinet ad alios gradus ulteriores uſque ad 4. incluſivè, videtur certum quod ſolo jure Eccleſiaſtico dirimant matrimonium, cum Pontifices frequenter in ijs diſpenſent.

Quouſque cognatio ſpiritualis & legalis matrimonium dirimant.

1167. Cognatio ſpiritualis ſupra explicata num. 1152. matrimonium contrahendum invalidat jure Eccleſiaſtico inter perſonas ibid. enumeratas. Patet ex cap. *veniens* de cognatione ſpirituali. Et ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 2.

Cognatio legalis jure Cæſareo & Eccleſiaſtico matrimonium dirimit inter adoptantem & adoptatum, ac adoptati filios & nepotes. Item inter adoptatum, & proles naturales ac uxorem adoptantis. Ex cap. 1. cauſa 30. quæſt. 3. & cap. unico de cognatione legali. Sed hæc cognatio non eſt amplius in uſu.

Quid intelligendum ſit per impedimentum criminis.

1168. Duo ſunt crimina diſtincta a raptu matrimonium contrahendum dirimentia. Primum eſt homicidium quo ex duorum conſpiratione alterius conjux occiditur, ut poſtmodum inter ſe matrimonium contrahant. Cap. *laudabilem* de converſione infidelium. Vel quo poſt admiſſum adulterium vir aut fœmina etiam ſine prævia conſpiratione alterius conjugem interficit intentione contrahendi matrimonium cum parte ſuperſtite. Quod ſi alio fine, quam contrahendi inter ſe, mors illata ſit, non dirimetur matrimonium.

Alterum crimen eſt adulterium ſic commiſſum, ut adulteri vel quantum eſt de ſe matrimonium ineant viva cõparte: vel ſaltem fidem ſibi præſtent de matrimonio inter ſe mortua comparte ineundo. De-

bet

bet autem adulterium esse consummatum, & quidem scienter ut tale ab utroque commissum: & promissio debet esse facta tempore matrimonii sive ante sive post adulterium. Requiritur etiam ut sit vera promissio; non tamen ut sit mutua. Ita communiter DD.

1169 Disparitas cultus seu Religionis dirimit matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, idque probabilius jure tantum Ecclesiastico, & quidem non scripto, sed per antiquissimam & universalem consuetudinem introducto. Vnde potest Papa in eo dispensare: & reipsa Paulus 5. anno 1616. concessit ad decennium Episcopo Funainensi in Iaponia & Superioribus Societatis in Regno Chinensi facultatem dispensandi in hoc impedimento Fatendum tamen est talia matrimonia esse jure naturæ & divino illicita si adsit periculum subversionis. *Quandonam ex disparitate cultus matrimonium sit invalidum.*

1170 Matrimonium fidelis baptizati cum hæretico baptizato, aut etiam infideli pariter baptizato validum quidem est, cum nullo jure irritetur: illicitum tamen est tum jure naturæ si sit periculum subversionis, tum Ecclesiastico hujusmodi matrimonia prohibente: licitum tamen erit si adsit Pontificis dispensatio. *Quid dicendum de matrimonio Catholici cum hæretico & contra.*

Imo in iis locis, ut in variis Germaniæ urbibus, in quibus hæretici pacifice vivunt permixti Catholicis existimant Sanchez, Hurtado, & alii licitum esse tale matrimonium absque expressa Pontificis dispensatione: quia, inquiunt, censetur pro illis locis vel concessa dispensatio tacita: vel lex contrario usu abrogata. Excipe nisi obstet periculum subversionis, vel scandalum, quod inquiunt, Coninch. Tan. Laim. raro abest.

1171 Vis seu coactio impediens libertatem consensus matrimonium dirimit. Vide dicta de consensu per vim extorto. Similiter Ordo sacer irritat matrimonium ob solemne votum castitatis ei annexum. Vide dicta num. 1150. *De impedimento coactionis & ligaminis.*

1172 Ligamen seu vinculum prioris conjugii sive consummati, sive tantum rati adhuc perseverantis irritat novum matrimonium tum jure naturali, tum

Ecclesiastico, ut patet ex dictis de polygamia. Nec sufficit qualiscumque probabilis opinio de morte conjugis, ut pars superstes possit novas nuptias inire: sed requiritur moralis aliqua certitudo excludens rationabile dubium.

Quid sit impedimentum publicæ honestatis & quo usque matrimonium invalide.

1173 Impedimentum honestatis est quædam velut affinitas jure Can. introducta, oriturq; ex sponsalibus inter sponsum & consanguineos sponsæ, & contra. Item ex matrimonio rato non consummato inter maritum & consanguineos uxoris, & contra. Ortum ex sponsalibus tantum dirimit in primo gradu, juxta jus novum Trid. sess. 24. c. 3. cum antea dirimeret usque ad quartum gradum inclusive c. *juvenis* de sponsalibus. Et cap. unico in 6. eodem. Quod autem oritur ex matrimonio rato dirimit usque ad quartum gradum inclusive quia, Tridentinum circa hoc nihil immutavit. Quod si sponsalia mutuo consensu fuerint dissoluta, probabile est nullum oriri impedimentum dictæ honestatis ut censent Sa. Pont. Hurt. Præp. & alii contra Sanc. Laim. &c. Non videtur jam posse id sustineri ut probabile, ob contrariam responsionem factam 6. Iulii 1685. ab Eminent. PP. Conc. Trid. interpretibus. Quam Alexander VII. Confirmavit 10. ejusdem mensis: ut testatur Gobatius tract. 9. casu 14. Idem varii putant dicendum, quando sponsalia dissolvuntur ex eo quod unus ex sponsis justa de causa resilierit.

Amentia jure naturali dirimit matrimonium; Valet tamen contractum in lucidis intervallis.

1174 Amentia seu carentia usus rationis ex quocumque capite proveniens dirimit matrimonium jure naturali, cum tollat liberum consensum ad valorem matrimonii essentialiter requisitum. Si tamen amentia sit cum lucidis intervallis, validum est matrimonium in illis contractum.

Invalidum est matrimonium ante pubertatem.

1175 Ad hoc impedimentum reducitur defectus ætatis, ita ut invalidum sit matrimonium ante annos pubertatis hoc est respectu fæminæ ante annum 12. & respectu masculi ante annum 14. non quidem iure naturæ, quod solum requirit sufficientem usum rationis: sed iure Ecclesiastico & civili. Requiritur autem iuxta communem ut anni isti sint completi, cuius rei hæc ratio videtur esse, quod ordinarie ante
istam

istam ætatem non adsit sufficiens usus rationis ad contractum tanti momenti. Hanc tamen limitationem passim addunt DD. nisi in proximis pubertati annis malitia suppleat ætatem, hoc est nisi adsit sufficiens discretio & potentia ad copulam.

1176 Affinitas est propinquitas personarum orta ex copula carnali sive licita, sive illicita: quæ provenit ex licita sive coniugali dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, ut facit consanguinitas. Quæ autem provenit ex illicita jure novo Tridentini sess. 24. cap. 4. solum dirimit usque ad secundum inclusive. Debuit autem copula esse completa, ita ut vir seminaverit intra vas mulieris. Affinitas non parit affinitatem, hoc est affinitas quam contrahit vir cum consagnineis mulieris, & contra mulier cum consanguineis viri non extendit se ad eorum consanguineos, ita ut inter ipsos intercedat etiam affinitas: unde possunt duæ sorores matrimonium valide contrahere cum duobus fratribus. Et filia uxoris ex alio matrimonio cum filio mariti ex alio pariter conjugio &c. *Affinitas orta ex copula licita dirimit matrimonium usque ad 4. gradum & ex illicita usque ad 2.*

1177 Impotentia est incapacitas exercendi copulam cum veri seminis effusione intra vas mulieris. Alia est perpetua, quæ nulla arte tolli potest, ut carentia testiculorum in viro, nimia arctitudo in fœmina jam provecta &c. Alia temporalis, quæ successu temporis tollitur, ut impotentia seminandi in viro ob defectum sufficientis ætatis: nimia arctitudo feminæ ob similem defectum &c. Alia etiam est absoluta, alia respectiva. Absoluta est si sit respectu omnium, ut nimia feminæ arctitudo respectu cujuslibet viri. Respectiva est si tantum sit respectu quorumdam: ut si fæmina sit nimis arcta respectu quorumdam virorum & non respectu aliorum &c *Impotentia ad copulam alia est perpetua, alia temporalis, alia absoluta, alia respectiva.*

Si impotentia sit perpetua & conjugium antecedat, undecumque oriatur, matrimonium dirimit juræ naturæ, quia repugnat fini matrimonii. Secus si non antecedat sed superveniat matrimonio jam contracto, quia quod semel fuit validum non potest reddi invalidum, cum ex natura sua sit perpetuum. Si autem dubitetur an impotentia sit perpetua, an *Quandonam matrimonium irritet.*

temporalis, datur à jure triennium ad experientiam bona fide faciendam: quo elapso si adhuc duret, præsumitur perpetua, & matrimonium dirimit.

Invalidum est matrimonium inter raptorem, & raptam.

Si impotentia sit absoluta, ita ut sit respectu omnium; matrimonium dirimit respectu omnium. Si autem sit solum respectiva; tantum dirimit respectu eorum, respectu quorum est impotentia.

1178 Raptus seu violenta fœminæ renitentis abductio jure novo Trid. sess. 24. cap 6. dirimit matrimonium inter raptorem & raptam, etiam post raptum consentientem, quamdiu manet in potestate raptoris. Quod si à raptore separata & in loco tuto ac libero constituta consentiat, validum erit matrimonium. Raptor tamen & auxilium ei præbentes subjacent excommunicationi & aliis pœnis de quibus Trid. loco cit. tenetur præterea raptor, ut ibid. decernitur, raptam dotare, sive eam ducat in uxorem, sive non.

Adferuntur varii casus quibus controvertitur an interveniat raptus dirimens matrimonium.

1179 Petes an sit raptus matrimonium dirimens, 1. si puella volens, sed invitis parentibus adducatur. 2. si non vi, nec metu, sed dolo abducta sit 3. si rapietur non matrimonii causa, sed libidinis: & postea tamen matrimonium ineatur. 4 & mulier virum rapiat, non vir mulierem.

Ad 1. R. neg. quia cum raptus maxime respiciat puellam videtur requiri, ut ipsa sit invita. Ad 2. R. etiam neg. quia tunc non tam rapta est, quam seducta. Et ita quoad utrumque sentiunt. Hurt. Sanch. Less. Dian. & c. Ad 3 R. affir. quia non desinit esse verus raptus, eo quod non matrimonii, sed libidinis causa rapta sit; adeoque videtur etiam hic raptus Tridentini decreto comprehendi. Ad 4. R. neg. quia Tridentinum agit de raptore, non de raptrice, hicque casus est de rarò contingenti, quem proinde non videtur respicere Tridentini decretum. In his tamen omnibus standum erit legitimæ authoritatis judicio. Hoc certius, dicto decreto eum comprehendi, qui non per se, sed per alium Puellam rapit.

Non potest Papa dispensare in im-

1180 In impedimentis jure naturali matrimonium dirimentibus, qualia sunt error circa personam, ligamen prioris conjugii, amentia, impotentia ad copu-

copulam, consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ & in primo transversæ non potest Papa dispensare. Quia non apparet quod hæc potestas sit ipsi à Christo concessa: unde & nunquam ea usus est.

pedimentis jure naturæ matrimonium dirimentibus.

1181. In iis autem impedimentis quæ solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimunt; potest Papa dispensare tanquam caput Ecclesiæ: nullus tamen præter eum potest id ordinaria potestate facere, quia nullus inferior potest propria authoritate dispensare in lege Superioris. Quamvis autem dispensatio Papæ facta sine causa videatur valida, est tamen illicita ut communius sentiunt DD.

Nec refert quod aliquæ dispensationes in aliquo gradu consanguinitatis aut affinitatis dicantur concedi sine causa: per hoc enim tantum significatur non concedi ex causa speciali. Vnde cum tunc exigatur pecunia copiosior in opus pium; & hæc sit justa causa dispensandi, non possunt simpliciter dici concessæ absque causa.

Potest in aliis sed non licite sine causa.

1182. Hinc collige 1. dispensationem impetratam ex falsa causa subreptitiam, & nullam: quia non est præsumendum voluisse Pontificem absque vera & justa causa dispensare, cum id ipsi non liceat.

Collige 2. eum qui habet potestatem in dictis impedimentis dispensandi sibi à Papa delegatam, non solum illicite, sed etiam invalide dispensare, si id faciat absque causa, quia non potest prudenter præsumi quod Pontifex concesserit facultatem dispensandi iis circumstantiis, in quibus non potest id fieri sine peccato.

Dispensatio obtenta ex falsa causa nulla est.

1183. Inter legitimas dispensandi causas hæ passim ab authoribus numerantur; extinctio magnæ litis, pax consanguineorum, evitatio scandali, defectus dotis competentis ut fæmina juxta suam conditionem nubat extraneo, conservatio illustris familiæ in eodem semine, excellentia meritorum dispensationem petentis &c. Quod si nulla ex his aut similibus adsit causa, aut allata videatur insufficiens, hunc defectum supplere potest mulcta pecuniaria in opus pium aut bonum publicum quæ sit tanto gravior,

Quænam sint legitimæ ad dispensandum causæ.

quantò major est defectus alterius causæ sufficientis.

Quibus casibus possit Episcopus ex tacita Pontificis licentia in prædictis impedimentis dispensare.

1184. Ob gravem causam potest Episcopus ex tacita Pontificis licentia post contractum matrimonium dispensare in prædictis impedimentis, si adsint sequentes conditiones: 1. si impedimentum sit occultum, matrimonium autem publicum 2. si denunciationes aliæque solemnitates non fuerint culpabiliter neglectæ 3. si unius saltem conjugis bona fide matrimonium sit contractum 4. si conjuges præsumpti non possint separari nisi difficulter & cum scandalo 5. si ob eorum paupertatem & nimiam distantiam difficilis sit recursus ad Pontificem, aut Nuncium, aut alium habentem expressam facultatem dispensandi: aut dispensatio non possit differri absque notabili periculo incontinentiæ. Ita communius DD.

Episcopi dispensatio tantum valet pro foro conscientiæ.

Hæc autem Episcopi dispensatio tantum valet pro foro conscientiæ; unde si postea res deducatur ad forum contentiosum debebunt conjuges exterius saltem separari, donec in eodem foro dispensatio obtineatur.

Impedimentum verò non tantum censetur occultum, quando publice ignoratur, sed etiam quando notum est, sed palam creditur dispensatio legitime obtenta; quia tunc non est notum in ratione impedimenti, cum credatur per dispensationem sublatum.

An potestas dispensandi aliquando competat Episcopo ante initum matrimonium.

1185. Hanc potestatem Episcopi in impedimentis dispensandi extendunt graves authores etiam ad casum quo nec dum contractum sit matrimonium, si adsit urgens causa contrahendi, ut si in articulo mortis id necesse sit ad legitimandam prolem, ad consulendum honori illustris concubinæ, ad bonum publicum &c. Ita Sanch. lib. 2. disp. 40. n. 7. Bonac. quæst. 3. puncto 15 Barbosa de officio Episcopi p. 2. alleg 35. Hurt. disp. 26. n. 6. Dian p. 2. tract. 2. resol. 19. &c.

Qui habet duo impedimenta debet

1186. Qui habet duo impedimenta debet utrumque explicare petendo dispensationem, quamvis forent ejusdem rationis v. g. si quis carnaliter cognoverit

rit duas sorores, & velit tertiam ducere debet utrumque impedimentum exprimere ut valida sit dispensatio. Ita communiter DD. Sicut enim contracto uno non contrahitur alterum, ita sublato uno non ideò aufertur alterum. Imò juxta Sanchez debet utrumque exprimi in eadem petitione, quia quodlibet impedimentum fortius ligat ut junctum alteri, quam ut separatum.

utrumque exprimere petendo dispensationem.

1187. Si causa finalis ob quam datur dispensatio, sit falsa, nulla est dispensatio: secus, si tantum sit impulsiva. Ita communiter DD. Dicitur autem finalis quando talis est ut sine illa nullo modo, aut non nisi cum quibusdam conditionibus ac limitationibus dispensatio concederetur. Dicitur verò tantum impulsiva, quando solum facilitat dispensationem, sic ut sine illa adhuc integre obtineretur. Quod si dubium sit an causa quæ falso allata est, sit finalis, an impulsiva tantum, dubia quoque erit dispensatio; de qua mox dicemus.

Si causa dispensationis sit falsa nulla est dispensatio.

1188. Si in petitione dispensationis aliquid omittatur quod jus jubet exprimi, invalida est dispensatio. Vnde si inter consanguineos aut affines præcesserit copula carnalis, debet illa exprimi in petitione dispensationis pro impedimento consanguinitatis aut affinitatis, quia stylus curiæ tali casu exigit copulæ expressionem, ut communius sentiunt DD. Putant tamen Pont. Hurt. Præp. reticentiam copulæ, quando occulta est, dispensationem non invalidare.

Non potest omitti quod jure debet exprimi.

1189 Si causa, ob quam petitur dispensatio, non subsistat dum illa petitur: subsistat autem, dum conceditur, valida erit dispensatio: & contra invalida, si subsistat dum petitur, non subsistat autem, dum conceditur. Ita communiter DD. Ratio est quod dispensatio respiciat tempus quo datur, non quo petitur, ac proinde censenda sit nulla, si causa illam dandi, nulla sit eo tempore quo datur.

Satis est quod causa dispensationis subsistat dum datur dispensatio

1190 Si omnibus attentis dispensatio appareat dubia, ita ut non adsint sufficientes rationes ad formandum prudens judicium, quod sit valida, illicitus erit illius usus; quia utens illa temere exponeret se

Non licet uti dispensatione dubia.

periculo contrahendi matrimonium invalidum: Debent autem rationes pro validitate dispensationis tantò esse solidiores; quantò prædicto modo magis dubium est, an non adsit aliquod impedimentum, propter quod non possit matrimonium contrahi absque dispensatione.

Quomodo revalidandum sit matrimonium quod fuit nullum propter consanguinitatem.

1191 Si matrimonium fuerit nullum propter consanguinitatem, affinitatem, aut simile impedimentum inhabilitans personas ad contrahendum ante obtentam dispensationem, ad tale matrimonium revalidandum, necesse est ut primò obtineatur dispensatio, deinde, ut uterque conjugum præstet novum consensum, idque quamvis tantum unus ex illis sit conscius nullitatis matrimonii: quia utriusque consensus fuit ab initio illegitimus, cum ceciderit in materiam illegitimam. Ita communiter DD.

An nullitas matrimonii sit aperienda comparti illius ignara.

1192 Si nullum adsit periculum gravioris incommodi, multò tutius est ut pars conscia nullitatis, saltem in confuso defectum comparti aperiat, & eam inducat ad præstandum novum consensum: quia sine ista manifestatione periculum est ne pars impedimenti ignara, non tam ponat novum consensum quam priorem tantum confirmet: cum tamen prioris confirmatio, utpote invalidi, non sufficiat. Ita etiam communiter DD.

Quomodo renovari possit consensus sine revelatione impedimenti.

Si tamen per istam manifestationem timeatur periculum gravis incommodi, sufficiet si pars impedimenti conscia inducat compartem impedimenti ignoratam ad novum consensum absque ulla nullitatis matrimonii declaratione Id autem facile præstabit, dum videns compartem bene dispositam, si ei dicat, ego te ita amo ut si inter nos non esset matrimonium; te in conjugem iterum acciperem, & quantum in me est accipio: tu ne ex parte tua idem facis? quod si respondeat facio aut simili verbo novum consensum declaret, videtur id sufficere ad matrimonium revalidandum. Advertendum tamen est ne tantum dicat vellem & non volo, quia vellem non importat consensum de præsenti, qualis ad matrimonium requiritur. Idem dicendum de nullitate ma-

matrimonii ex alio impedimento requirente dispensationem.

1193 Si matrimonium fuerit nullum defectu interni consensus ex parte utriusque, debet uterque novum consensum elicere ut matrimonium fiat validum, debetque consensus ille exterius exprimi, quia debet utrique innotescere & ab utroque acceptari. Quod si fuerit nullum defectu consensus ex parte unius tantum, videtur sufficere, si ipse consensum ponat, quia ut supponitur alterius consensus remanet habitualiter. Non est autem necesse, ut hunc defectum comparti significet, sed satis est si consensum suum aliquo modo illi exprimat. Quid dicendum sit quando matrimonium fuit nullum ex defectu veri consensus.

1194 Si matrimonium fuerit invalidum, eo quod initum fuerit vivente adhuc priore conjuge, ut illo mortuo fiat validum, debet uterque conjux novum consensum præstare, etsi unus tantum sit conscius nullitatis matrimonii, puterque se verum matrimonium contraxisse, quia prior ejus consensus fuit irritus. Quod si defectus iste non possit ab altero declarari absque periculo gravis incommodi, satis erit si se gerat eo modo quo diximus num. 1189. Item quando fuit nullum ob priorem conjugem adhuc superstitem.

1195 Si nullitas matrimonii undecumque orta fuerit notoria, aut periculum sit ne innotescat, ut fiat validum non sufficit quod clandestine consensus renovetur, sed debet id fieri in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus etiamsi prior consensus, qui ob aliquod impedimentum dirimens fuit nullus, similiter in facie Ecclesiæ præstitus fuerit. Quia lex Trident. irritans matrimonia clandestina, tunc adhuc habet locum, cum prior Parochi & testium præsentia sit notorie nulla. Quando matrimonii nullitas est notoria debet consensus renovari in facie Ecclesiæ.

1196 Si autem occulta matrimonii nullitas, & prius in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus fuerit initum, sufficiet tunc ad illius revalidationem occulta consensus conjugum in illud renovatio modo supra explicato, ut communiter docent Theologi contra Pontium. Quia tunc cessat ratio ob quam Tridentinum requirit præsentiam Parochi & testium ut scilicet publice constet & probari possit matrimonii validitas & ita evitentur gravissima incommoda, Secus quando est occulta nec periculum est ut innotescat.

moda, quæ ex clandestinis matrimoniis oriebantur: is enim finis etiam habetur in casu nostro, quo matrimonium occulte nullum, initum fuit in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus, quia tunc in foro externo non potest probari ejus invaliditas.

Confir. ex praxi quotidiana Pœnitentiariæ Romanæ, quæ dispensando in occulto impedimento contractum matrimonium dirimente, nunquam requirit renovationem consensus in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus. Item ex declaratione congregationis Cardinalium Tridentini interpretum apud Petrum Ledesma. Et declaratione Pii V. apud Navarrum.

Idque conforme est praxi Romanæ Pœnitentiariæ.

Circa dicta adverte 1. partem nullitatis consciam nullo modo etiam ad vitandam mortem, posse reddere debitum ante revalidationem: quia hoc esset scienter fornicari. 2. quandoque non expedire ut confessarius moneat pœnitentem de nullitate matrimonii quam ipse pœnitens invincibiliter ignorat: quia non raro accidit, ut ex tali monitione meritò timeatur plus incommodi, quam speretur boni: lex autem nulla obligat ad actus probabilius inutiles & noxios. Si tamen Confessarius sit Parochus, & possit impedimentum probare in foro externo tenetur pœnitentem admonere, eumque, si non acquiescat, Superiori denunciare Pro quibus, & aliis huc pertinentibus, vide Sanchez, qui de Matrimonio fusissime, & omnium doctissimè scripsit.

F I N I S.

SYNOP-

SYNOPSIS SYNOPSEOS

SEU

INDEX COMPENDIO

Exhibens omnes assertiones, probationes, & objectionum solutiones, quæ fusius explicantur in hac quinta parte Synopsis cursus Theologici.

DE SACRAMENTIS

IN GENERE ET IN SPECIE

CAPUT PRIMUM.

Sacramenti in genere quidditas, effectus & causalitas.

§. I.

Sacramentis in genere quidditas, Pag. I.

SACRAMENTUM generatim sumptum definitur à S. Thoma part. 3. q. 60. a. 2 aliisque communiter, *signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines*, Id est signum rei sacræ formaliter homines sanctificantis. Itaque ly *sanctificans* in ista definitione non refertur ad Sacramentum, sed ad rem sacram formaliter sanctificantem, videlicet ad gratiam divinam cujus est signum. pag. 2. n. 2

Non est de ratione Sacramenti in genere quod sit signum practicum sanctitatis, quam significat. Ita Vasq. Merat. Hurt. &c. contra Suar. Bellar. Amic. &c. quia Sacramenta antiquæ legis non fuerunt causa gratiæ sanctificantis, sed tantum eam significabant principaliter per Christum dandum, ut asserit Florent. in decr. de Sacram. & tamen erant vera Sacramenta. pag. 2. n. 3

Si tamen prædicta definito Sacramenti in genere sic explicetur ut ly *sanctificans* referatur ad Sacramentum, intelligaturque de sanctitate aliqua latius sumpta sic ut comprehendat etiam legalem, tunc poterit admitti, quod ad rationem Sacramenti in genere requiratur ut sit signum practicum seu effectivum alicujus sanctitatis; & reipsa Sacramenta vetera causabant sanctitatem aliquam legalem. pag. 3. n. 4

Sacramentum dicitur univocè de novis & veteribus. Est S. Th. q. 60. a. 1. & colligitur ex Trid. sess. 7. can. 2 Sacramenta vetera simpliciter vocantur Sacramenta: idque facile intelligitur, si de ratione Sacramenti in genere non sit causare sanctitatem, sed illam tantum significare; quia tunc nihil obest quo minus in definitione Sacramenti intelligatur sanctitas propriè dicta. pag. 4. n. 5

Si autem de ratione illius sit causare sanctitatem, difficilius id intelligitur: quia tunc in definitione accipienda erit sanctitas prout abstrahit à perfecta & imperfecta; non apparet autem quomodo detur ratio

tio univoca sanctitati perfectæ collatæ per gratiam, & sanctitati imā perfectæ, seu legali. Quare tunc ratio generica Sacramenti potius dicenda est analoga, quam univoca novis & antiquis. pag.4.n.6

Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma. Difficultas tamen est ut ostendatur quidnam in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonii habeat se instar materiæ; cum videantur solis verbis perfici. Dici potest quod in Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis habeant se instar materiæ: in Matrimonio autem corpora contrahentium. pag.4 n.7

Aggregatum ex rebus & verbis habet se instar materiæ respectu significationis sacramentalis: sicut materia & forma substantialis v. g. ligni habet se instar materiæ respectu formæ artificialis sedis, statuæ &c. pag.6.n.8

Mutatio substantialis materiæ aut formæ invalidat Sacramentum. Censetur autem mutatio materiæ esse substantialis, quando tanta est ut juxta communem æstimationem censeatur moraliter diversa specie ab ea quam Christus requisivit. Censetur verò mutatio tantum accidentalis quando non adest talis diversitas. Porrò diversitas substantialis non tam attenditur secundum speciem Physicam quam moralem. pag.7.n.10

Mutatio formæ censentur substantialis quando mutatur verborum sensus; accidentalis quando idem remanet; ratio est quod verba in Sacramentis non operentur secundum sonum syllabarum; sed secundum sensum. pag.7.n.11

Peccat mortaliter qui mutat substantialiter materiam aut formam Sacramentorum, quia Sacramentum reddit irritum Si mutatio autem sit accidentalis, semper quidem est peccatum si fiat cum advertentia, non semper tamen mortale, sed quandoque veniale ob exiguitatem mutationis. pag.8 n.13

Ad Sacramenta non requiruntur nec sufficiunt verba concionalia; sed necessaria sunt consecratoria, Prima pars patet ex Baptismo parvulorum; quos constat licite & validè baptizari, quamvis non sint capaces intelligendi verbum concionale. Secunda prob ex Scriptura Matth. ult. *baptizantes eos in nomine Patris &c.* quibus verbis Ecclesia semper intellexit præscriptam esse à Christo formam Baptismi. pag.8.n.12

Quod ergo dicit Christus *euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Non ita accipiendum est quasi verbum concionale requiratur ad Baptismum essentialiter aut necessario; sed solum præcipit ut adulti mysteriorum fidei nostræ ignari de illis prius instruantur quam baptizentur. pag.9.n.13

Aug. tribuit vim emundandi verbo concionali dispositivè consecrario autem, seu ut vocat Evangelico, causativè, idque *quia creditur* id est quatenus continet Mysterium quod fide percipitur. Hinc facilis est illius loci explicatio, *unde ista tanta virtus aquæ, corpus tangat, & cor abluat nisi faciente verbo non quia dicitur sed quia creditur.* Id est per hoc emundat, quod contineat objectum credendum, nempè mysterium SS. Trinitatis. pag.10.n.14

§. II.

§. II.

Sacramenti novæ legis effectum & causalitas.

SAcramenta novæ legis causant gratiam verè & propriè, non tamen ut causæ principales, sed ut instrumentales. 1. pars est de fide. 1. ex Scripturis Baptismo aliisque Sacramentis tribuentibus vim sanctificandi. 2. ex Trid. sess. 7 can. 5. 6. 7. & 8. & Florent. ponente hanc differentiam inter Sacramenta vetera, & nova, quod illa non causarent gratiam: hæa verò & gratiam contineant & digne suscipientibus conferant. pag. 11. n. 15.

Rectè dicuntur causare gratiam ex opere operato; hoc est præcisè ratione ipsius operis exterius positi juxta Christi institutionem. Patet illud in Baptismo parvulorum in quo absque ulla dispositione ex parte suscipientis, & subinde etiam ex parte suscipientis, & ex parte Ministri, & offerentium confertur gratia, præcisè ratione operis positi ex Christi institutione. pag. 12 n. 16

Scripturæ & Patres tribuentes nostram sanctificationem soli Deo, debent intelligi de Deo ut causa principali: quod addimittimus. p. 13. n. 17

Nullum antiquæ legis Sacramentum, ne ipsa quidem Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato. Idque probatur ex Apostolo dicente *circumcisio nihil est &c.* ad Galatas 4. Sacramenta antiquæ legis vocat *infirma & egena elementa*. pag. 14 n. 19

Circumcisio remittebat originale, non ex opere operato: sed vi fidei in Christum venturum, cujus fidei Circumcisio erat publica quædam professio. Unde cum Patres comparant Baptismum Circumcisioni quoad remissionem originalis, intelligendi sunt de effectu qui est idem in utroque. Non autem de modo remittendi, qui diversus est. pag. 15. n. 20

Sacramenta causant gratiam non physicè, sed moraliter per hoc quod Deum objectivè moveant ad Physicam ejus productionem. 1. quia gratia postulat physicè produci a solo Deo, nec potest ab ulla Creatura physicè attingi, nisi per miraculum; cujus nulla hic est necessitas, cum PP. optimè explicentur de efficientia morali. 2. quia causalitas moralis est magis proportionata naturæ Sacramentorum, quæ sunt artefacta moralia. 3. quia certum est Sacramenta causare aliquos effectus tantum moraliter, ut gratias actuales, quæ pro exigentia occasionem intuitu Sacramentorum ante susceptorum conferuntur, & habitualem in casu reviviscentiæ. 4. denique quia causant instanti quo desinunt, adeoque tantum moraliter: cum ad causalitatem Physicam non magis sufficiat immediate ante extitisse, quam immediatè post futurum esse. pag. 16. & 17. n. 21

Neque dici potest Sacramenta causare gratiam physicè per indivisibile sui terminativum; tum quia probabilius est non dari indivisibilia in continuo, tum quia indivisibile terminativum Sacramenti, etiamsi daretur, non est Sacramentum; sicut indivisibile terminans motum, nō est motus: unde nō potest dici Sacramentū per illud causare. p 18. n. 22

Hinc

Hinc etiam refellas eos qui dicunt Sacramenta causare gratiam per ultimam partem sui completivam v. g. formæ aut applicationis materiæ operantem in virtute præcedentium: neque enim pars ultima Sacramenti est magis virtus activa illius aut partium præcedentium, quam indivisibile terminans; nisi forte in sensu morali quomodo ultima syllaba orationis in virtute præcedentium per suam significationem movet intellectum audientis ad formandum conceptum rei significatæ. pag 18.n.23

Scripturæ & Patrum locutiones indifferentes sunt ad causalitatem physicam & moralem; imò pleræque favent Morali, ut cùm dicunt Sacramenta esse *Vasa plena Christi sanguine*: cùm iis efficientiam tribuunt virtute Passionis Christi: quæ vera non sunt nisi in sensu morali. pag. 19.n.25

Quare cum PP. ita loquuntur, ut videantur Sacramentis denegare efficientiam gratiæ, intelligendi sunt de efficientia Physica; & maximè rigorosa. De morali verò, dum eam illis tribuunt; ut sic in eorum dictis vitetur contradictio. pag. 19.n.26.

PP. subindè comparant Sacramenta causis physicis non quoad modum influendi; sed quoad effectum, & quoad modum participandi virtutem ab alia causa ulteriore; sic tamen ut nolint esse omnimodam paritatem. pag. 20.n.27

Fatendum est quidem S. Tho. variis locis favere causalitati Physicæ: sed non pauca etiam habet contrarium suadentia: nam præterquam quod nullibi dicit Sacramenta esse causas Physicas gratiæ; oppositum hic innuat q. 62. a. 4. ad 5. ubi vim Sacramentorum comparat vi cuidam spirituali inexistenti vocibus sensibilibus; qua movent intellectum ad repræsentationem rei significatæ: quam vim constat solum esse moralem sitam in vocum significatione orta ex hominum institutione. p. 20.n.28

Cum Trid. dicit Christum influere virtutem in justificatos; sicut caput in membra, & vitis in palmites quorum influxum constat esse Physicum; sic intelligendum est, quod sicut influxus capitis & vitis necessarius est ad vitam membrorum & palmitum; ita necessarius sit influxus Christi capitis moralis; ad spiritualem vitam membrorum corporis sui mystici, quod est Ecclesia. Qui tamen Humanitatis Christi influxus; sicut in miracula solum fuit moralis; ita & in gratiam solum moralis est. pag. 21.n.29

Hæ formæ *ego te baptizo &c. absolvo &c.* æque de morali ac Physica causalitate verificantur. Ita sufficit causalitas moralis; ut Passio & Sanguis Christi dicantur nos emundare à peccato. pag. 22.n.30

Quamvis Sacramenta causent gratiam moraliter, non possunt dici habere rationem puri signi; aut conditionis sine qua non; sed sunt veræ causæ, quatenus habent vim movendi Deum tanquam actiones Christi pretium gratiæ moraliter continentes. pag. 22.n.31

Inde patet signa magica differre à Sacramentis in modo concurrendi ad proprios effectus: illa enim concurrunt ut meræ conditiones ex arbitrio dæmonis pacto requisitæ. Quod si forte concurrant etiam ut causæ morales, quatenus continent invocationem dæmonis, non habent eandem infallibilitatem quam Sacramenta, cum aliquando effectum non sortiantur vel Deo impediente; vel dæmone fidem fallente. pag. 22.n.31

Quam.

508

Quamvis autem per Sacramentum non tam moveat Deus, quam moveatur; non ideò desinunt esse illius instrumenta; quia instrumentum morale potest etiam esse illius, qui movetur, si (quod hic contingit) is qui movetur, illud instituerit ùt per illud moveatur; ut patet in pictore alterum hortante ut sibi pretium proponat, quo moveatur ad pingendum: eo enim casu pretium oblatum non est tantum instrumentum offerentis, pretium, sed etiam ipsius pictoris, qui per illud ad pinguendum movetur. pag.23.n.32

Quod si opponas Sacramenta non mediate inter Deum & effectum, & tamen instrumenta debere mediare inter causam principalem & effectum: facilè responderi potest, Sacramenta mediare inter Deum illa instituentem, & gratiam intuitu illorum producentem: potest enim influxus instrumenti moralis quatenus moventis causam principalem, esse prior influxu causæ principalis, quatenus attingentis effectum, modò causa principalis eo fine instituerit instrumentum, ut per illud moveatur. pag.23.n.32

Causant gratiam & characterem in instanti sui terminativo; quia in eo habent completam significationem, & sunt totaliter in facto esse, non antè. Hoc porrò instans ex communi Philosophorum doctrina de inceptione, & desitione entis successivi, dicitur extrinsecum sufficitque ad causalitatem moralem, quæ non requirit actualem existentiam causæ dum causat. pag.24.n.33

Ex eo quod Sacramentum non causet gratiam nisi quando totum est in facto esse, non sequitur formam illius in præsenti expressam non posse verificari; quia ad hoc sufficit moralis coexistentia causæ & effectus, sive quod producatur effectus immediate postquam forma prolata est. pag.24.n.34

Quod si suscipiens Sacramentum in illo instanti extrinseco, quo confertur gratia, moriatur, videtur non esse absurdum admittere Sacramentum illo casu carere effectu, cum desit conditio requisita ad operationem Sacramenti, nempè status viatoris pro illo instanti, quo debet operari; adde hunc casum esse moraliter impossibilem, aut pertinere ad divinam providentiam non permittere ut contingat. pag.25.n.35

Tantum duo Sacramenta videlicet Baptismus, & Pœnitentia primam gratiam suscipientibus per se Conferunt, ideòque dicuntur Sacramenta mortuorum; alia autem Sacramenta vivorum, quia supponunt statum gratiæ. pag.26.n.38

Hæc tamen Sacramenta quandoque per accidens producunt etiam primam gratiam, idque tribus præsertim casibus: 1. cum quis invincibiliter ignorans se esse in statu peccati, accedit bona fide ad illa Sacramenta 2. quando quis conscius peccati conatur elicere contritionem, & tantum habet attritionem, & deest Sacerdos cui confiteatur. 3. quando quis confessus cum sola attritione, non valide absolvitur, vel quia confessarius caret intentione absolvendi, vel quia caret jurisdictione &c. Non videtur enim Christus sic instituisse Sacramenta, ut voluerit eorum fructu eum carere, qui quantum in se est, ad ea se debitè disponit. pag.26.n.39

Sacramenta secundum majorem aut minorem dispositionem recipientis conferunt majorem aut minorem gratiam. Quia operantur per modum causæ necessariæ quæ plus aut minus operatur in subjecto prout magis

gis aut minus dispositum est. pag.27.n.40

Licet detur major gratia ob meliorem dispositionem; non ideò Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, quia illa dispositio non concurrit ad productionem gratiæ sacramentalis ut causa, sed ut conditio sine qua non. pag 27.n.41

Præter gratiam habitualem, dantur etiam suo tempore gratiæ actuales vi quorumlibet Sacramentorum prius susceptorum: quia cum singulorum Sacramentorum fines sint supernaturales, non possunt obtineri naturæ viribus, sed opus est auxiliis supernaturalibus. pag.28.n.43

Vi Sacramenti dantur uberiores gratiæ, quam alias fuissent datæ: non tamen semper efficaces. Jus ad illas amittitur amissa gratia sanctificantes: pag.29.n.45

§. III.

De secuudario effectu Sacramentorum qui est Character.

CHaracter sacramentalis non est aliqua relatio solius rationis, sed signum aliquod spirituale, impressum animæ, per quod homo deputatur ad cultum Dei, configuratur Christo, & ab aliis discernitur. pag.30.n.47

Tria Sacramenta characterem imprimunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo Habetur ex traditione, & colligitur ex Apostolo ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto.* pag.31.n.50

Subjectum immediatum characteris est anima. Prob.1. ex Flor. & Trid. asserentibus characterem esse signum aliquod *impressum animæ*. 2. quia character non est operativus, ergo non debet recipi in principio proximè operativo, videlicet in potentiis animæ, supposito quid realiter ab ea distinguantur. pag.32.n.52

Character est indelebilis, ideòque Sacramenta quæ illum imprimunt, sunt initerabilia: probabilius est etiam indelebilem esse respectu alterius vitæ, quia id conformius est Conciliis simpliciter asserentibus illum esse indelebilem: itaque remanet in Beatis ad ornamentum, in damnatis vero ad confusionē. *Sicut enim* inquit D.Th.p.3.q.63.a.5.ad 3. *militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his qui vixerunt ad gloriam, & in his qui sunt victi ad pœnam.* pag.33 n.55

§. IV.

De institutione & Ministro Sacramentorum.

SAcramenta omnia novæ legis immediate instituta sunt à Christo ut definit Trid. sess. 7. can. 1. *si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta: anathema sit.* pag.34.n.57

Extrema Unctio non fuit à Jacobo Apostolo instituta, sed tantum promulgata: aitque Tridentinum eam fuisse insinuatam Marci 6. cum de Apostolis dicitur *ungebant oleo multos agros*. pag.35.n.60

De lege Dei ordinaria soli homines possunt esse ministri Sacramentorum: solis enim hominibus dicitur *baptizantes eos &c. hoc facite &c.* Et sic de cæteris: requiritur insuper ut sint viatores, quia Christus instituens Sacramenta, & ministros designans, viatores alloquebatur. Potest tamen hæc potestas aliis quam hominibus viatoribus conferri ex speciali Dei commissione. pag.36.n.64

Est de fide non esse necessariam fidem Ministri ad valorem Sacramenti,

ti, ut constat ex traditione Ecclesiæ, & definitione Trid. & ratio est quia Sacramenta vim suam habent ex passione & meritis Christi: non autem ex fide aut merito Ministrorum, qui non suo, sed nomine Christi, ut Ministri principalis, Sacramenta ministrant. pag.37.n.68

Non requiritur etiam ad valorem Sacramenti sanctitas, aut probitas Ministri; quia virtus Sacramentorum non pendet à meritis Ministrorum, sed solius Christi. Et parum Christus consuluisset Ecclesiæ, si Sacramentorum valor penderet à probitate Ministri, quæ multis deest; & cum ignota sit, merito dubitaretur semper de valore Baptismi, absolutionis &c. pag.38.n.69

Actio Sacramentalis Ministri existentis in peccato licet sit peccaminosa, movet Deum ad conferendam gratiam, non ex opere operantis, sed ex opere operato, quia sic considerata est Christi ut Ministri principalis. pag.39.n.70

Qui in statu peccati mortalis Sacramentum conficit, tanquam Minister ad id consecratus, aut specialiter ab Ecclesia deputatus, per se loquendo, peccat mortaliter: Tum quia sancta sanctæ tractanda sunt: Tum quia Minister Sacramentorum gerit personam Christi ut Ministri principalis. ibid.n.71

Peccat etiam mortaliter qui distribuit corpus Christi in statu peccati mortalis, quia gravis est ejus irreverentia in Christum. An verò tot mortalia committat, quot Hostias distribuit? Dubium est; probabilius est unicum committere: quia morali consideratione est una totalis Eucharistiæ distributio. Qui tamen in tali statu confessiones excipit videtur toties peccare mortaliter, quoties absolvit, quia toties novum Sacramentum conficit. pag.41.n.73

Non requiritur status gratiæ ad Sacramentalia licitè conficienda; quia non est unde petatur tanta obligatio, cum non exerceantur nomine Christi ut Ministri principalis. Varii tamen excipiunt confectionem Chrismatis, & benedictionem olei infirmorum, quia sunt materia confirmationis & Extremæ Unctionis, & partialiter intuitu illius benedictionis confertur gratia. pag.41.n.75

Graves authores censent Diaconum, ac subdiaconum peccare mortaliter obeuntes in peccato propria sui ordinis ministeria Alii tamen communius id negant: quia in illis nulla intervenit confectio aut ministratio Sacramenti, excepta distributione Eucharistiæ respectu Diaconi. pag.42.n.76

Non licet petere Sacramentum à Ministro non tolerato, quia hoc esset illum inducere ad faciendum id quod sub gravi obligatione prohibetur facere. Excipiuntur Baptismus & Absolutio in articulo mortis, ob summam eorum necessitatem. pag.43.n.78

Licitum est petere Sacramentum à Ministro malo, si ex officio teneatur ad illud ministrandum; quia id petens jure suo utitur, & rem bonam petit, quam potest & debet alter bene facere. pag 43.n.79

Peccat mortaliter qui scienter Sacramentum ministrat indigno, quia minister Sacramentorum tenetur fideliter dispensare Sacramenta, quæ illius curæ commissa sunt: & ministrando indigno cooperaretur alterius peccato. Quod si tamen peccator sit occultus, nec possit repelli nisi cum infamia, talis non est repellendus, quia non licet infamare proximum, & alios scandalizare. pag.44.n.80

Supposito quod contrahentes matrimonium sint Ministri hujus Sacramenti, non peccant tamen mortaliter præcisè per hoc, quod illud ministrent indigno, quia illud tantum ministrant indirectè & velut per accidens, ratione contractus matrimonialis. pag.45.n.82

Ad valorem Sacramenti requiritur aliqua saltem intentio id faciendi, quod facit Ecclesia, aut instituit Christus 1. quia conficiens & ministrans Sacramentum agit ut Minister Christi: nullus autem agit ut Minister alterius, nisi saltem aliquo modo intendat facere quod alter voluit fieri nomine suo. 2. quia actiones sacramentales sunt morales: ad actionem autem moralem requiritur aliqua intentio. 3. quia verba formæ sunt signa practica quæ in hoc differentia à speculativis, quod hæc à quocumque & quomodocumque proferantur, semper idem significent; illa verò ad effectum requirant intentionem & potestatem in proferente. pag.45.n.84

Non sufficit intentio ponendi externam actionem sacramentalem, sed Minister debet aliquo modo intendere id, quod per eam intendit Ecclesia. Colligitur ex Flor. dicente quemlibet in casu necessitatis posse baptizare, modo servet formam Ecclesiæ, *& intendat facere quod facit Ecclesia*. pag.46.n.84

Augustinus contrarium insinuans, submittit judicium suum futuræ circa illud Ecclesiæ definitioni, dicens se lubenter auditurum & secuturum sententias Patrum aliquid circa hoc in aliquo concilio definientium. Quare cum jam id sit definitum censendus est Augustinus definitioni subscribere. pag.47.n.85

Baptismus ab Athanasio puero per jocum collatus, approbatus fuit ut validus, quia jocando intenderat facere quod facit Ecclesiæ. pag.48.n.87

Non defuit etiam in Baptismo Genesii aliqua intentio Ministri faciendi id quod facit Ecclesia, licet id fieret ad irrisionem Christianorum. pag.48.n.87

D. Tho. quædam habet quæ non parum favent contrariæ sententiæ; non minus tamen apertè in aliis locis stat pro nostra sententia. Ne igitur sibi ipsi sit contrarius, dicendum est S. Doctorem in locis nobis contrariis nihil aliud velle, quam non requiri expressam & explicitam intentionem faciendi Sacramentum, aut faciendi quod facit Ecclesia, sed sufficere implicitam & virtualem. pag 49.n.88

Necessitas intentionis in Ministro non impedit quominus moraliter certi simus de valore Sacramenti quia non est occasio suspicandi defuisse debitam intentionem, cum hæc possit facillimè haberi, nec ejus defectus possit prodesse Ministro. pag.49.n.89

Ista etiam intentionis necessitas non impedit quominus Sacramenta causent gratiam ex opere operato, quia illa intentio non requiritur ut est actio meritoria, sed quatenus ex institutione Christi necessaria est ad validam Sacramenti confectionem. pag.50.n.89

Sacramenta sunt signa gratiæ non speculativa, sed practica, quæ non operantur sine intentione ejus, qui illis utitur. Ita verba quibus initur contractus, habent significationem speculativam independenter ab intentione operantis; non tamen practicam seu effectivam ejus quod significant. pag.50.n.90

Sacramenta non sunt medicamenta physica, quæ operantur indepen-

den-

denter ab intentione Medici, sed moralia, quæ vim curandi habent ab extrinseco scilicet ab institutione Christi, qui intentionem requirit. pag. 50.n.90

Quod si opponas Ministrum esse tantum agens instrumentale, Christum vero principale, sufficire autem intentionem agentis principalis respondetur minorem esse tantum veram in instrumentis physicis, non moralibus, quales sunt Ministri, qui non possunt moraliter agere sine intentione. pag.50.n.91

Res & verba non sunt partes Sacramenti ut merè physicè posita, sed insuper requiritur ut moraliter ponantur cum debita intentione. pag.51.n.91

Hæreticus baptizans habet intentionem à nobis requisitam, dum vult facere quod Christus instituit. Et stant hæc duo in illo: nolle facere quod facit Ecclesia Romana & velle facere quod facit ve- Christi Ecclesia, quam putat verb. grat. esse Lutheranam. pag. 51.n.92

Intendens Sacramentum, non intendit intentionem suam distinctè, sed tantum confusè in quantum ipsa aliquo modo includitur in Sacramento, in quo nihil est absurdi. Sic cognitio qua cognosco cognitionem in genere habet se ipsam confusè pro objecto. pag.52.n.94

Ad confectionem Sacramenti non est necessaria actualis intentio, sed sufficit virtualis alioqui Sacramenta ob instabilitatem imaginationis, & frequentes animi evagationes, essent plerumque invalida: non est autem credibile Christum sic instituisse Sacramenta, maximè quæ ad salutem necessaria sunt, ut tam facile exponi possint periculo nullitatis defectu intentionis. pag 52 53.n.96.

Censetur autem esse intentio virtualis, quando vi prioris intentionis, certa actionum serie fit, quod erat intentum. pag.53.n.97

Neque inferas, Sacerdotem qui incideret in amentiam inter celebrandum, & vi prioris intentionis, & specierum excitatarum pergeret, & proferret verba consecrationis, verè consecraturum, quia scilicet in eo haberetur intentio virtualis, ut habetur in distracto: nam illa est disparitas, quod in amente intentio tantum perseveret virtualiter physicè: in distracto autem virtualiter moraliter. pag.53.n.98

Non sufficit ad conficiendum Sacramentum intentio interpretativa, quia hæc intentio non tam est intentio, quam præsumptio intentionis. Nec sufficit intentio indirecta, qua res in altero intenditur, ex quo prævidetur secutura: alioqui enim Sacerdos ebrius validè baptizaret, si prævidisset se in ebrietate baptizaturum. Neque sufficit intentio merè habitualis, id est intentio, quæ fuit & non est retractata, quia cum talis intentio nec in se, nec in sua virtute remaneat, non potest influere in confectionem Sacramenti. pag.54.n.99.

Intentio conditionata de futuro contingenti non est sufficiens, quia talis intentio, cum pro præsenti non sit efficax non potest influere in Sacramentum, Neque etiam potest influere impleta conditione, quia tunc non est amplius materia & forma Sacramenti. Si autem conditio sit de præsenti, sufficit: quia hoc ipso quod subsistit conditio, transit intentio in absolutam. pag.54.n.100

In adulto recipiente Sacramentum, requiritur ut non habeat saltem intentionem contrariam, quia pleraque Sacramenta inducunt aliquam

obligationem; ac præsertim Baptismus: non est autem æquum ut quis gravem obligationem suscipiat contra voluntatem suam. p.55.n.101

Non sufficit etiam negatio contrariæ valuntatis, sed requiritur positiva aliqua voluntas recipiendi Sacramentum. Id manifestè colligitur ex Conciliis Chartag. & Arauf. Et ratio est quia Sacramenta instituta sunt ad sanctificationem nostram, convenit autem ut nullus adultus sanctificetur nisi consentiat in suam sanctificationem. pag.55.56.n 103

Dum Flor. tria tantum requirit ad Sacramentum, videlicet materiam, formam, & intentionem Ministri, ea adfert quæ semper, & omni casu requiruntur ad valorem Sacramenti; qualis non est intentio recipientis; ut manifestum est in Baptismo parvulorum. pag. 56. 57. n. 105.

S. Thomas variis locis nobiscum sentit, ut p. 3. q. 68. a. 7. dicens si adulto deesset intentio suscipiendi Baptismum, esset rebaptizandus. Dum ergo in 4. dist. 6. q 5. a. 2 quæstiunc. 3. dicit sufficere ut adulti carentes usu rationis percipiant Sacramentum Baptismi *si eis non insit habitu contraria voluntas*, subintelligendum est, si prius habuerint voluntatem Baptismi dum ratione uterentur. pag.57.n.105

Praxis Ecclesiæ est, ut moribundis conferatur Extrema Unctio, quia merito in eis præsumitur implicita voluntas illam recipiendi. pag.57.n.106

Sicut peccatum originale contrahitur absque proprio consensu, ita absque proprio consensu remittitur per Baptismum in parvulis; non tamen in adultis: quia non est æquum ut sanctificentur, & obligationem Baptismo annexam subeant absque proprio consensu. pag.57.n.106

Licet qui Sacramentum suscipit, habeat se ut patiens & intentio requiratur ex parte agentis; tamen quia habet se ut patiens voluntarium, & liberum; etiam ex illius parte necessaria est intentio. pag.58.n.106

Ad Sacramentum validè recipiendum sufficit habitualis intentio, seu præterita non retractata. Ut patet ex Conciliis citatis num. 103. imò respectu Extremæ. Unctionis sufficit interpretativa, ut colligitur ex praxi Ecclesiæ, quæ pro conferendo hoc conferendo hoc Sacramento moribundis rationis usu privatis contenta est sola voluntate interpretativa in eo sita, quod cum quis fidelis fuerit, censeatur ita dispositus, ut vellet hoc Sacramentum suscipere, si posset mentem suam aperire. pag.58.n.107

Excipienda sunt ab hac conclusione Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii; cum enim actus pœnitentium, & contrahentium sint materia istorum Sacramentorum, non est satis quod præcesserit voluntas ea percipiendi, & non sit revocata, sed oportet ut pœnitentes actu doleant, & peccata confiteantur; & ut contrahentes suum consensum verbis aut aliis exterioribus signis exprimant. pag.58.n.108

CAPUT

CAPUT II.

Baptismus fluminis, eiusque Materia, Forma, Initerabilitas, Necessitas, Reviviscentia, & vis Baptismi sanguinis, & flaminis.

§. I.

Baptismi Materia Forma, Initerabilitas.

BAptismus sumptus physicè, est exterior corporis ablutio facta sub forma verborum præscripta. Sumptus metaphysicè, est Sacramentum spiritualis regenerationis. Magis completa erit ejus definitio, si utroque modo simul sumatur, dicaturque *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* pag. 59. n. 109

Credibilius est Baptismum tunc à Christo fuisse institutum, cum per discipulos suos baptizabat in Judæa, ut refertur Joan. 4. Nec refert quod non reperiatur forma baptismi tunc declarata quia fuit privatim Apostolis tradita. Potuit etiam Passio Christi ut à Christo acceptata, tribuisse baptismo vim sanctificandi antequam re ipsa pateretur: tunc tamen baptizati non statim penetrabant Cœlum; quia non decebat membra præire capiti. Vi tamen Baptismi prius suscepti, patuit Cœlum baptizatis statim post Christi Ascensionem. pag. 59 n. 111

Obligatio suscipiendi Baptismum tantum cœpit post Adventum Spiritus S. cum Apostoli cœperunt promulgare legem Evangelicam: ideo Judæus ante Christi passionem sufficienter instructus de doctrina ejus, obligabatur quidem ad credendum in Christum, & doctrinam ejus admittendam ut veram: non tamen ad deserendam legem Mosaicam, quia necdum erat à Christo abrogata, imò & ab eo observabatur. p. 60. n. 113

Christus inchoate, & velut in exemplari Baptismum instituit, quando baptizatus fuit à Joanne: complete autem cum discipulos misit ad baptizandum. Primam partem tradunt Patres apud Vasquez, & Suares. Secunda verò suadetur ex eo quod non appareat aliud tempus aptius institutioni Baptismi. pag. 61. n. 114

Christus non vicissim baptizavit Joannem, ut colligitur ex Matthæo, qui istius rei non meminit. Quod dicunt vero Patres Joannem à Christo baptizatum in spiritu, intelligi potest de interiori sanctificatione. pag. 62. n 115

Materia Baptismi remota est aqua naturalis, non vero quidquid balneo inservire potest, ut delirat Lutherus. Prob. ex Joan. 20. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto &c.* Dum Joannes Baptista Matt. 3. de Christo dicit *ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne.* Id intelligendum est non de igne vero, sed de metaphorico, seu de igne charitatis. p. 56. n. 116

Non est verisimile Stephanum & Siricium docuisse Baptismum valere in vino collatum, cum id nimis aperte Scripturæ repugnet. p. 62. n 116

Sufficit quælibet aqua rationem & nomen aquæ naturalis retinens, non alii liquores. Hinc valet pluvialis, fontana, marina, sive calida sive frigida: item aqua ex nive, glacie, grandine resoluta. p. 63. n. 117

Non valet Baptismus in panno maddido, aut luto collatus (quamvis valeat in aqua ex illis expressa) in vino limphato, in saliva, lacrymis, sudore, aliove simili humore: in cerevisia, in ptisana, in liquore ex viribus defluente, aut ex herbis floribusve expresso, neque in glacie, nive, nebula, pruina, & similibus nondum resolutis. Quia hæc omnia morali judicio non censentur aqua naturalis, & usualis; sive differant specie ab aqua elementali, sive non. ibid.

Quia dubium est an non sufficiat aqua ex sale resoluta; & juxta varios aqua etiam rosacea & similes liquores ex variis herbis subjecto igne educti aquæ per similes, ideo in casu extremæ necessitatis, licet et cum his liquoribus sub conditione baptizare. pag.63.n.117

Materia proxima Baptismi est ablutio, seu applicatio aquæ ad corpus baptizati. Hæc ablutio sumi debet tam prout est actio, quam significat forma Latinorum: quam prout est passio, quam directe significat forma Græcorum. pag.63 n.118

Non requiritur ablutio totius corporis, sed sufficit si caput abluatur ut patet ex hodierna praxi Ecclesiæ. In necessitate tamen poterit qualibet corporis pars ablui: non sufficit si soli capilli aspergantur, ita ut aqua non perveniat ad cutem. Contrarium tamen sentiunt Henriq. Vasq. Isamb. quidquid sit de sententiæ illius probabilitate, in praxi curandum est, ut aqua ad cutem usque perveniat. pag 64.n.119

Non debet necessario ablutio fieri per immersionem, sed sufficit si fiat per affusionem aquæ, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Neque necessaria est trina immersio, sed satis est unica, ut diserte asserit Gregorius in responsione sua ad Leandrum. pag.65.n.121.

Non est de necessitate Baptismi ut sequatur emersio. Hinc qui projiceret puerum in puteum animo ipsum baptizandi, & proferret formam, valide baptizaret; quia nihil deesset ad Baptismum. pag.65.n 123

Forma Baptismi continetur his verbis: *ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* Exprimenda est actio baptizantis per vocem aliquam significantem ablutionem; non tamen necessario requiritur ut exprimatur determinate per vocem *baptizo*, sed sufficit ad valorem quælibet vox illi æquivalens. pag.16 n.124

Exprimenda etiam est persona baptizans, non tamen necessario explicite per pronomen ego. Neque necessario directe, cum non ita exprimatur in hac forma Græcorum approbata. *Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c.* Ratio autem cur saltem exprimi debeat baptizans indirecte, illa est, quod forma Baptismi sit oratio practica, significans actum aliquem ut hic & nunc procedentem à proferente. pag 66.n.125

Non est tamen necesse ut verba formæ in actu signato exprimant actionem ut à Ministro procedentem; sed sufficit si fiat in actu exercito, ut videre est in prædicta Græcorum forma. pag.67.n.126

Non valet forma deprecative expressa, ita ut sensus sit deprecativus, quia sic actio non significatur ut egrediens à proferente practico modo. pag. 68.n.126

Exprimenda est persona baptizanda, & quidem signate; ut patet ex praxi & usu Ecclesiæ eam semper exprimentis: nec satis est dicere quod sufficienter exprimatur in actu exercito, per hoc quod tali personæ applicetur aqua, sicut in forma Græcorum sufficienter exprimi censetur persona baptizans per hoc quod abluat: quia praxis Ecclesiæ declarat

requiri

requiri signatam expressionem personæ baptizandæ; sufficere autem exercitam baptizantis. pag. 68. n. 127

Ad valorem Baptismi requiritur expressa invocatio SS. Trinitatis, nec valet collatus in nomine solius Christi: nam Matt. ultimo expresse dicitur *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus* S. Idque declarat praxis Ecclesiæ tres personas semper exprimentis. p. 68. 69. n. 128

Probabilius etiam est nunquam sic fuisse collatum: idque colligitur ex Canone 49. Apostolorum, ubi præcipitur invocatio SS. Trinitatis. pag. 70. n. 129

Dum in actis Apostolorum dicuntur aliqui baptizati in nomine Christi, ideò id dicitur, vel quia hoc nomen inserabatur etiam formæ Baptismi v. g. dicendo *& Filii Iesu Christi*. Vel in nomine Christi, idem est, ac in fide & autoritate Christi. pag. 71. n. 133

Exprimendæ sunt personæ consuetis nominibus aut prorsus synonimis. pag. 72. n. 134

Baptismus validè susceptus iterari non potest. Est de fide ex Apost. 1. ad Ephes. 4. *unus Dominus una Fides, unum Baptisma*. pag 72. n. 135

Potest tamen iterari sub conditione, in casu dubii rationabilis, sive juris sive facti. Ratio est quia summa necessitas Baptismi recipiendi, & incertitudo recepti, faciunt ut tali casu non solum absit irreverentia à receptione; sed etiam adsit obligatio repetendi: ne salus animæ periculo aliter inevitabili exponatur. pag. 73. n. 136

Per se loquendo repeti non debet collatus ab hæretico, cum de fide sit Baptismum ab hæretico collatum esse validum, si debita materia & forma usus fuerit: si tamen adsit dubium an debitam materiam, & formam adhibuerit: non tantum potest, sed etiam debet sub conditione iterari. pag. 73. n. 137

Baptismus collatus ab obstetrice in periculo mortis repeti non debet, nisi adsit ratio specialis dubitandi. Infantes expositi rebaptizandi sunt, nisi habeant schedulam Baptismi testem; & tunc etiam plures censent rebaptizandos sub conditione; eo quod illa schedula ab ignoto, & consequenter incertæ fidei authore apposita, non fit testimonium sufficiens ad habendam certitudinem moralem. pag. 74. n. 139

Quilibet ratione utens est sufficiens Baptismi Minister: solus tamen Sacerdos est Minister ordinarius: ut definit Flor. in decreto de Sacrament. §. de Bapt. non tamen cuilibet Sacerdoti competit jus proximum & expeditum baptizandi, sed tantum proprio, & alteri ex ejus commissione. Ratio est quod baptizare sit aliquis actus jurisdictionis: ac proindè extra necessitatem id competat soli proprio Sacerdoti. pag. 74. n. 141

Nomine proprii Sacerdotis intelligitur summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, Episcopus respectu suæ diœcesis, Parochus respectu suæ parochiæ. pag. 74. n. 141

Diaconus ex commissione potest solemniter baptizare, ut colligitur ex can. *Diaconus*. pag. 75. n. 142

Hic autem ordo inter sufficientes, Baptismi Ministros servandus est Sacerdos præferri debet Diacono, Diaconus subdiacono, subdiaconus inferioribus clericis, clericus non clerico, vir feminæ, baptizatus non baptizato, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato.

nicato. Ratio est quod ob reverentiam Sacramento debitam digniores per se loquendo indignioribus præferendi sint. pag.75.n.143

In Baptismo solemni sub gravi obligatione adhibendus est Patrinus, constat ex Ecclesiæ consuetudine & Apostolica traditione, Patrini autem officium est 1. præsentare baptizandum Parocho 2. respondere pro baptizando si is per se respondere non possit 3. tenere illum dum baptizatur 4. eum levare de fonte, maxime quando Baptismus fit per immersionem 5. eum suscipere de manu baptizantis 6. denique curam illius gerere, ut in rebus fidei ac in doctrina Christiana debite instruatur. pag.76 n.146

Ab officio Patrini excluduntur carentes usu rationis, non baptizati hæretici, publice excommunicati, criminibus in fames, & ignorantes rudimenta fidei; quia hi omnes non sunt apti ut curam gerant baptizati. Excluduntur etiam jure communi Monachi, sanctimoniales & generatim Regulares omnes, huic tamen juri variis in locis contraria consuetudine derogatum est. pag.77.n.147

Non possunt plures quam duo baptizatum suscipere, qui cognationem spiritualem contrahunt cum eo quem de fonte suscipiunt: item cum Patre & Matre illius: inter se verò nullam. pag.77.n.148

§. II.

Baptismus sanguinis seu Martyrium.

MArtyrium est testimonium fidei divinæ vel in se, vel in opere alicujus virtutis morte confirmatum. Requiruntur tormenta de se mortis illativa, & causa supernaturalis; & prout adultis proprium est, requiritur etiam acceptatio voluntaria, quæ est actus fortitudinis. pag.78.n.149

Infantes per solum Martyrium, sine Baptismo aquæ salvari possunt: ut patet perpetua traditione Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum infantes Christi causa ab Herode occisos semper coluit, ut Sanctos, & veros Martyres. pag.79.n.152

Non est credibile, quod vult Armacanus, infantes illos fuisse ante mortem justificatos per circumcisionem; cum haud dubiè multi Ethnici Judæis permixti fuerint, & multi ante octavum vitæ diem, quo fiebat circumcisio, interfecti fuerint. Neque hoc si verum esset, vim argumenti eliderет; cum non tantum colantur ut Sancti, sed etiam ut Martyres. pag.79.n.152

Sufficienter infantes Christum confitentur non loquendo, sed moriendo, ut canit Ecclesia & illis saltem convenit hæc altera Christi promissio *qui perdiderit animam propter me inveniet eam*. Hæc Christi verba: *nisi quis renatus fuerit &c.* intelligenda sunt cum exceptione Martyrii. pag.79.n.153

In adultis Martyrium habet vim remittendi omnem culpam & pœnam ex privilegio, & velut ex opere operato: constat ex communi fidelium sensu, & verbis Matth. *omnis qui confitebitur me*. Et ibid. *qui perdiderit animam suam &c.* habet autem hanc vim etiam secluso actu charitatis, ut patet in pueris qui sine ullo actu per Martyrium justificantur. Deindè alioqui malè distinguerent Theologi tria Baptismata, cum Baptismus sanguinis non distingueretur, à Baptismo flaminis à quo solo

habe-

haberet vim justificandi. pag.80.81.n.157

Dum Apostolus dicit nihil prodesse sine charitate, ly *sine* contrariè non privativè accipiendum est, ita ut sensus sit, nihil prodest, si habuero odia, dissensiones &c. pag.81 n.158

Ex hoc autem loco; *maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Non sequitur Martyrium semper includere actum maximæ dilectionis, sed tantum non posse dari majorem dilectionem ex objecto, seu nemiuem posse declarare suam erga alterum dilectionem majora indicio, quam moriendo pro eo. pag.81.n.158

Dum autem dicit Augustinus Martyrium sine charitate non esse verum Martyrium, nec prodesse posse; intelligendus est de charitate, non qua Deus diligitur super omnia, sed qua fidelis unitur cum vera Christi Ecclesia. pag.82.n.159

Neque inde sequitur quod Martyrium gratiam causet ex opere operato, sicut Sacramenta: quia hæc fiunt nomine Christi ut Ministri principalis, continentque ejus merita ad justificandum sufficientia: Martyrium autem nec fit nomine Christi, nec continet ejus merita, nec vim habet de se sufficientem ad justificandum, sed tantum id ei competit ex speciali privilegio: ac proinde non tam nobili modo ex opere operato justificat, quam Sacramenta. pag.83.n.161

Ad Martyrium requiritur in adulto ut mortem acceptet ex motivo aliquo supernaturali. Unde qui mortem ex Christi odio sibi illatam sustineret ex solo vanæ gloriæ motivo, non esset Martyr. pag.83.n.163

Voluntas acceptans mortem, non debet esse necessario actualis, sed sufficit habitualis, id est præterita non retractata; qui satis est quod mors fuerit volita. Debet excludere omnem voluntatem se defendendi, alioqui Martyr non satis conformaretur Christo, qui instar *agni coram tondente se obmutuit*; hinc milites qui ex vera intentione Religionem tuendi pugnantes occiduntur, non sunt vere Martyres. pag.83.n.64

Per se loquendo in justo sufficit status gratiæ cum acceptatione jam explicata. Dico *per se loquendo* quia instans Martyrium non liberat Martyrem ab obligationibus communibus, si illas possit implere, quales sunt suscipere Baptismum, confiteri peccata, quamvis per contritionem deleta, eliceret actum amoris Dei super omnia & contritionis, saltem si peccata præterita memoriæ occurrant. pag.84.n.165

In peccatore autem requiritur necessario aliqua pœnitentia, patet ex Trid. docente iis qui actualia commiserint, pœnitentiam quovis tempore fuisse necessariam ad justificationem etiam per Baptismum obtinendam. Videtur tamen sufficere pœnitentia virtualis inclusa in voluntate moriendi pro Christo, concepta ex motivo universali generaliter repugnante cuilibet peccato mortali. pag 85.n.167

Neque quia requiritur illa pœnitentia, dubia esse potest Martyrum salus, quia moraliter fieri non potest, ut tunc desit saltem virtualis pœnitentia. pag.86.n.168

Ad effectum Martyrii speculative loquendo non requiritur contritio in peccatore, sed sufficit attritio; quia hæc sufficit ad Baptismum, cui non cedit Martyrium quoad vim justificandi 2. quia Sacramenta vivorum licet ex Christi institutione gratiam prærequirant in suscipiente, possunt tamen peccatorem attritum justificare, si v. g. putet se esse contritum;

tritum; ergo à fortiori Martyrium, quod non ità præsupponit statum gratiæ &c. pag 86.n.169

Practicè tamen contritio est necessaria, quia quisque sub mortali obligatur in mortis articulo adhibere remedia salutis, quam potest securissima relictis incertis. pag.87.n.170

Gratia respondens Martyrio ex opere operato non confertur in instanti mortis extrinseco, quia tunc aliquis posset salvari, qui in vita nunquam habuisset gratiam habitualem: nec confertur in ultimo instanti reali; quia probabilius est non dari instantia realia. Confertur ergo paulò ante mortem, quando Martyr eo adductus est, ut absque miraculo non possit amplius uti ratione & sensibus, quia tunc Martyrium est moraliter consummatum. pag 87.n 171

§. III.

Baptismi necessitas & vis Baptismi flaminis.

PArvulis extra Martyrium, necessarius est Baptismus reipsa susceptus; ut constat ex generali Regula *nisi quis renatus fuerit &c* Et ex Ecclesiæ traditione. pag.88.n.172

Nec sufficit fides Parentum parvulis applicata, sicut sufficiebat in lege naturæ aut Mosaica, hoc enim habebat fides non per se, sed per accidens ratione privilegii sibi annexi ex institutione Dei: quod privilegium sublatum est per institutionem Baptismi, quo non obstante via salutis respectu parvulorum per se loquendo est facilior in lege Evangelica: quia Baptismus est medium universalissimum, facillimum, & efficacissimum. pag.88.n.173

Per accidens est, quod morientes in utero materno careant remedio ad salutem necessario; ac proinde cum eo stat, quod Christus ex generali & feria voluntate in efficaci salvandi omnes Baptismum instituerit. pag.89.n.174

Possunt adulti sine Baptismo aquæ per Baptismum flaminis justificari, ut constat ex Scriptura Prov. 8. ego diligentes me diligo Joan. 14. qui diligit me diligetur à Patre meo. Item ex PP. Ambr. August. Bern. pag.90.n.177

Illud *nisi qui renatus fuerit &c.* intelligendum est de Baptismo in re vel voto. Et cum Ananias dixit Paulo, baptizare & ablue peccata tua, non significavit Paulum non fuisse antea justificatum sub onere Baptismi postea suscipiendi: vel loquitur de totali ablutione etiam quoad reatum pœnæ. pag.90.n.179

Dum autem dicit Aug. *Catechumenum in bonis operibus defunctum vitam æternam habere non credimus excepto Martyrio.* Et alibi: *nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo aut morte in Christo.* Intelligendus est vel de Catechumeno qui nimium fidens suis bonis operibus neglexit susceptionem Baptismi, vel de Baptismo in re, quando recipi potest, vel in voto, quando recipi non potest: hoc vel illo modo respondendum ad alia Aug. loca. pag.91.n.181

Contritio justificat non baptizatum dependenter à voto Baptismi; nec propterea habet minorem vim quam habebat ante Baptismi institutionem; tum quia etiam tunc non justificabat prima vice, nisi depen-

dénter à voto ſuſcipiendi Sacramentum inſtitutum ad delendum Originale; tum quia ſemper ſe debuit extendere ad facienda omnia præcepta, & adhibenda omnia media ad ſalutem neceſſaria. Quod ergo uno tempore ad plura ſe extendat quam alio, non oritur ex mutatione contritionis; ſed quod uno tempore plura ſint præcepta, quam alio. pag.92.n.185

Neceſſitas Baptiſmi in re ſuſcipiendi reſpectu parvulorum non eſt præcepti, cujus ſunt incapaces, ſed medii. Reſpectu vero adultorum in re vel in voto, eſt medii, & præcepti tum naturalis, tum poſitivi. pag.93.n.187

Tenentur adulti ſufficienter inſtructi ad Baptiſmum recipiendum, ſicut obligantur credere myſteria fidei ſibi ſufficienter propoſita, & Religionem Chriſtianam amplecti. pag.93.n.188

§. IV.

De ſubiecto Baptiſmi.

Eſt de fide parvulos ante rationis uſum eſſe capaces Baptiſmi, ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 7. id definiente. Et ratio etiam id perſuadet; quia parvuli capaces ſunt Regni Cœlorum atqui extra caſum Martyrii non poſſunt illud obtinere niſi per Baptiſmum ergo &c. pag.93.n.189

Neque obſtat quod non ſint capaces inſtructionis, quia ly *docete* Matt. ult. tantum reſpicit adultos. pag.93.n.190

Tertullianus & Nazianz. dum putant convenientem eſſe dilationem Baptiſmi extra neceſſitatem ad triennium, decepti ſunt, quia ex praxi Eccleſiæ liquet expedire, ut cito baptizentur: idque definit Trid. ſeſſ. 7. can. 13. ratio eſt 1. quia ſic melius conſulitur eorum ſaluti 2. quia expedit eos citiſſimè Deo conſecrati 3. quia dilatio Baptiſmi eſſet adultis peccandi illecebra, ea ſpe quod per Baptiſmum liberarentur ab omni culpa & pœna. pag.94.n.191

Tenentur Parentes fideles filiis ſuis procurare Baptiſmum brevi poſt eorum nativitatem; peccantque mortaliter ſi diutius id differant. Ita DD. communiter. pag.95.n.194

Extra caſum mortis certò imminentis, non licet infantes infidelium Principibus infidelibus ſubjectorum baptizare: quia Baptiſmus ille vel deberet exponi periculo prophanationis: vel deberent infantes illi abſtrahi à parentibus: neutrum autem licitum eſt. pag.95.96.n.196

Chriſtus noluit Religionem ſuam vi propagari, ſed libero vel baptizandorum, vel parentum conſenſu. Ibid. n.197

Non poſſunt Parentes infideles ab Eccleſia privari poteſtate patria quam naturaliter habent in liberos ſuos; quia non ſubduntur Eccleſiæ juriſdictioni. Nec valet iſta illatio: poſſunt liberi abſtrahi à Parentibus, ſi velint illos corporaliter occidere: ergo etiam ſi ſpiritualiter. pag.96.97.n.199

Non ſatis eſt quod parentes infideles conſentiant in Baptiſmum infantium ſuorum, niſi etiam promittant Chriſtianam eorum educationem. pag.97.98.n.201

Non licet etiam infantes infidelium Principibus Chriſtianis civiliter tantum ſubditorum parentibus invitis baptizare. Quia poteſtas Principis

cipis

§. V.

§. V.

De effectu Baptismi & necessaria ad eum dispositione.

SEcluso obice remittit omnem culpam & pœnam. Est de fide ex Florentino in decreto de Sacram; Quod si prius per contritionem remissa sit omnis culpa, id per eam factum est ut continentem votum Baptismi.
pag.103.104.n.218. & seq.

In adulto habente actualia peccata prærequiritur dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali: qui tamen non debet esse necessario perfecta contritio: alioqui enim Baptismus semper præsupponeret effectum suum causarum per dispositionem, quam prærequireret, quod est absurdum.
pag.104 105.n.223. & seqq.

Qui proponit servare mandata, incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem; quia in eorum observatione consistit justitia.
pag.106.n.226

§. VI.

De Baptismi reviviscentiæ.

BAptismus ficte susceptus fictione opposita ejus effectui non valori, sublata fictione reviviscit Ita cum S. Th. DD. communiter ex Augustino, qui id tradit pluribus locis. Ut lib. 1. de Bap. contra Donat. cap. 12. Item lib. 3. cap 13. & lib. 6. cap. 5. quibus locis asserit Baptismum in schismate aut hæresi susceptum, tunc incipere ad salutem prodesse, cum reditur ad unitatem Ecclesiæ.
pag.106.n.227

Ratio id etiam evincit: quia regeneratio debet fieri per Baptismum, juxta illud, *nisi quis renatus fuerit &c.* Sed in casu conclusionis non potest fieri per novum Baptismum, cum prior fuerit validus: ergo debet fieri per novum Baptismum, cum prior fuerit validus: ergo debet fieri per prioris reviviscentiam.
pag.207.n.228

Donatistis quærentibus, an per Baptismum ab ipsis collatum conferretur gratia Spiritus S. & ex affirmatione inferentibus apud se esse veram Ecclesiam. Ex negatione autem quærentibus, cur non ergo rebaptizantur in Ecclesia Catholica: duobus modis respondit Aug. videlicet 1 dato quod in eorum Ecclesia per Baptismum deleantur peccata, non tamen eorum Ecclesiam esse veram; quia peccata dimissa statim redibunt ob schisma juxta parabolam servi nequam Matt. 18. 2. quæ est ejus sententia, non dimitti peccata per eorum Baptismum, nec tamen deserentes schisma esse rebaptizandos, quia tunc eorum Baptismus reviviscit, incipitque effectum suum operari, quem non poterat producere ob schisma.
pag.108.n.231

Baptismus reviviscens directe remittit mortalia Baptismum præcedentia: sequentia tantum indirecte, in quantum non potest remitti unum sine altero.
pag.109.n.233

In eo qui post Baptismum ficte susceptum admisit aliquod mortale ad Baptismi reviviscentiam requiritur absolutio sacramentalis, vel in ejus

defectu

defectu contritio: quia peccata post Baptismum admissa obnoxia sunt Sacramento Pœnitentiæ. pag. 110. n. 236

Peccatum fictionis seu indigna susceptio Baptismi debet etiam remitti per Sacramentum Pœnitentiæ: quia peccatum istud est natura posterius Baptismo, cum natura prius sit baptizari, quam indignè baptizari. Ibid. n. 237

Peccatum fictionis non opponitur dispositioni requisitæ ad validitatem: sed dispositioni requisitæ ad effectum Baptismi. pag. 111. n. 238

Voluntas indignè suscipiendi Baptismum, ut consummata per indignam susceptionem, est natura posterior Baptismo. Ibid. n. 239

Peccatum Baptismum concomitans hoc est admissum eo instanti quo Baptismus concomitans hoc est admissum eo instanti quo Baptismus confertur, ut v. g. volitio furandi elicita eo instanti, quo imprimitur character, obnoxium etiam est Sacramento Pœnitentiæ: quia eo instanti, quo quis insignitur charactere Baptismali, est vere Christianus, adeoque peccatum isto instanti commissum est peccatum hominis Christiani; ac proinde obnoxium Sacramento Pœnitentiæ. pag. ibid. n. 240

Dum S. Thomas dicit Baptismum remittere peccata præcedentia, & coexistentia, intelligendus est de coexistentibus actioni sacramentali necdum completæ. pag. 112. n. 241

Cum Trid. sess. 14. cap. 1. & 2. docet Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum ad remittenda mortalia post Baptismum commissa, *ly post* non excludit instans terminativum Baptismi, sed tantum præcedentia: alioqui enim nequidem remitteret peccatum fictionis. pag. 113

Quando Baptismus reviviscens & Sacramentum Pœnitentiæ concurrunt ad remissionem peccatorum, unum non operatur prius altero, sed simul id efficiunt, tanquam duæ causæ partiales à se invicem dependentes, cum nec Baptismus possit remittere peccatum fictionis natura Baptismo posterius, aut alia post ipsum commissa: nec Sacramentum Pœnitentiæ remittere Baptismum præcedentia. ibid.

Peccatum fictionis non habet rationem obicis sub ratione maculæ habitualis, sed sub ratione indispositionis ad effectum Baptismi non retractatæ: & sub hac ratione tollitur formaliter per actum pœnitentiæ. ibid.

Quod si obex iste tollatur per actum perfectæ contritionis habentis vim seipsa remittendi omnia peccata tam Baptismum præcedentia, quam sequentia: nihilominus Baptismus simul cum illa operatur remissionem præcedentium: cum enim Baptismus sit causa necessaria, necessario operatur effectum suum obice formaliter sublato per actum contritionis, nec in operatione sua dependet ab isto actu ut prius operante, sed tantum ut prius natura existente. pag. 114

Sacramentum Pœnitentiæ concurrens cum Baptismo reviviscente, tantum remittit directè peccata Baptismum consequentia. Baptismus verè tantum directè præcedentia. Contritio verò utraque directè, cum onere tamen subjiciendi clavibus consequentia. pag. 115

CA-

516

CAPUT III.

Confirmatio, eiusque materia, forma, effectus & Minister.

Confirmatio est verum Sacramentum, quo confertur gratia ad fidem fortiter profitendam. Idque evincitur ex Scriptura, traditione, Conciliis ac Patribus. pag.115.n.242

Dum Augustinus lib. 3. de Bap. cap. 16. dicit manuum impositionem posse iterari, non agit de impositione confirmativa; sed reconciliativa. pag.116.n.243

Hoc Sacramentum fuit à Chisto immediatè institutum, idque in ultima Cœna. Quod expresſè docet Fabianus Papa Epist. 2. cap. 1. his verbis *in illa die Dominus Iesus, postquam cœnavit cum discipulis suis & lavit eorum pedes, sicut à SS. Apostolis Prædecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt Chrisma conficere docuit*. pag.116. n.244

Manuum impositio facta à Christo parvulis ad se venientibus Matt. 19. non fuit confirmatio, cum necdum essent baptizati, sed simplex benedictio. pag.117

Materia remota hujus Sacramenti est chrisma factum ex oleo & balsamo. Utriusque mixtio est de ejus essentia ut colligitur ex Florentino simpliciter dicente *cuius materia est chrisma confectum ex oleo & balsamo*. Et ex perpetuo usu Ecclesiæ utrumque semper adhibentis pag 117.n.247

Innocentius 3. cap. *pastoralis* de Sacramentis non iterandis interrogatus an deberet iterari Sacramentum Confirmationis oleo simplici per errorem collatum: & respondens *in talibus non esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè erat prætermissum*. Ideò dicit nihil esse iterandum quod neque Sacramenti substantia sit iteranda; si ipsa fuerit posita omissis accidentalibus, eo quod Sacramentum hoc sit initerabile. Sed tu ne accidentalia cautè esse supplenda, si ex illorum omissione oriatur scandalum. Nec etiam maceremonias accidentales iterandas esse, si fuerint adhibitæ, omisso aliquo ad substantiam pertinente; sed tunc supplendam substantiam adhibendo legitimam materiam. pag.117.118.n.248

Etiam Apostoli in hujus Sacramenti collatione chrisma adhibuerunt. Nec obstat quod tantum dicantur manus imposuisse; quia impositio manuum comprehendit etiam chrismationem frontis, ita ut sit idem Sacramentum, quod olim dicebatur impositio manuum, nunc autem chrismatio & confirmatio, eodemque ritu substantiali & nunc conferatur, & olim fuerit collatum. pag.119.n.250. & seqq.

Ad valorem hujus Sacramenti requiritur ut chrisma benedicatur ab Episcopo; ita ut nequidem ex commissione summi Pontificis possit simplex Sacerdos validè chrisma conficere. pag.119.120.n.262.& seqq.

Neque contrarium benè infertur ex eo quod ex tali commissione possit simplex Sacerdos validè chrisma confidere. pag.119.120.n.252. & seqq.

Neque contrarium benè infertur ex eo quod ex tali commissione pos-

sit

ſit ſimplex Sacerdos hoc Sacramentum miniſtrare: quia hæc duo diverſa ſunt. pag. 120. Ibid. 254

Materia proxima hujus Sacramenti eſt, unctio chriſmatis in fronte facta per modum Crucis, & frons inungenda eſt immediatè ipſius Epiſcopi manu, quia hoc Sacramentum debet perfici per aliquam manus impoſitionem. pag. 120. 121. n. 250

Forma Latinorum hæc eſt: *conſigno te ſigno Crucis & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris &c.* Hæc autem apud Græcos: *ſignaculum donationis Spiritus* S. qua etiam eſſe validam certum eſt. Ibid. n. 256

Ex hac utriuſque formæ diverſitate collige Chriſtum non determinaſſe formam quoad verba: ſed id reliquiſſe Eccleſiæ determinationi. pag. 121. n. 257

Omnes baptizati capaces ſunt hujus Sacramenti; ita ut poſſit etiam infantibus validè conferri: & verò primis ſæculi ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur. pag. 122. n. 258

Convenienter tamen in Eccleſia Latina differtur uſque ad uſum rationis, ad majorem Sacramenti reverentiam. Ibid.

Effectus hujus Sacramenti eſt augmentum gratiæ, qua homo robaratur ad fidem fortiter profitendam, cum jure ad ſpecialia in eum finem auxilia. pag. 123. n. 261

Ad iſtum effectum ſufficit in juſto intentio recipiendi hoc Sacramentum: in peccatore autem inſuper requiritur vel contritio, vel ſaltem atritio cum Sacramento Pœnitentiæ. Ibid. n. 262

Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius hujus Sacramenti. Eſt de fide ex Florent. in decreto de Sacramentis. Et Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmat. Ibid. n. 26

Ananias Act. 4. impoſuit manus Paulo, non ut illum confirmaret, ſed ut ſanaret. pag. 124. n. 265

Hieronymus in dialogo contra Lucifer. non negat Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis Miniſtrum, ſed tantum inficiatur neceſſitatem hujus Sacramenti. Ibid. n. 266

Poteſt tamen ſimplex Sacerdos ex commiſſione ſummi Pontificis conferre hoc Sacramentum, ut communius docent Theologi cum S. Thoma; & reipſa varii Pontifices, ut Greg. 1. Alex. 6. Adr. 6. munus confirmandi commiſerunt Presbyteris. Fuitque hic uſus in Eccleſia Græca etiam ante ſchiſma ut Preſbyteri abſentibus Epiſcopis confirmarent, ut teſtatur Arcud. lib 2. de Sacram. cap. 10. pag. 124. 125. n. 268

Euſebius Papa relatus diſt. 5. de cauſa can. 4. Et Innocentius 4. in Epiſt. ad Epiſcopum Tuſcul. id negantes intelligendi ſunt de poteſtate ordinaria. pag. 125. n. 269

Poteſtas ordinaria confirmandi eſt quidem poteſtas ſolius Ordinis Epiſcopalis: extraordinaria tamen eſt etiam, Ordinis Sacerdotalis, non quidem completa & expedita, ſed complenda & expedienda per Pontificis delegationem. Ibid. n. 271

CAPUT IV.

Eucharistiæ Quidditas, Materia, & Forma.

§. I.

Eucharistiæ essentia & necessitas.

EUcharistia est Sacramentum Sanguinis & Corporis Christi sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animarum refectionem à Christo institutum. pag.126.n.273

Consistit in re permanenti, ita ut non tantum in ipso usu, seu in ipsa sumptione contineatur Corpus & Sanguis Christi, sed etiam extra usum in formulis consecratis, quæ in sacrario asservantur: ut contra hæreticos definit Trid. sess. 13. cap. 1. & 3. can. 4. & 7. Ibid n.274

Errat Calvinus docens hæc verba, *hoc est Corpus meum*, non fuisse à Christo prolata antequam Apostoli hoc Sacramentum actu susciperent: per illa enim verba conficiebatur cibus Eucharisticus: prius autem est cibum confici, quam sumi. Deindè Apostoli successivè ex eodem calice biberunt, & tamen Christus tantum semel protulit verba consecrationis. pag.127.n.275

Nec satisfacit Kemnitius dicens consistere in usu non accepto præcisè pro ipsa manducatione, sed etiam pro sumptione panis in manus benedictione, fractione &c. Quia non potest dici consistere in illis distributivè sumptis, alioqui enim essent plura Eucharistiæ-Sacramenta, ut manifestum est. Neque etiam collectivè: alias enim verba consecrationis fuissent falsa, dum actu pronunciarentur; quia tunc necdum erat manducatio. pag.127.128.n.276

Usus Ecclesiæ Eucharistiam servantis in sacrariò clarè etiam evertit istas hæreticorum responsiones. pag.128.n.277

Eucharistia non consistit in solis speciebus etiam ut connotantibus Corpus & Sanguinem Christi: neque in solo Corpore, & Sanguine, utrumque intrinsecè importat: quia utrisque simul sumptis tantum convenit esse signum sensibile sanctificans animam per modum cibi & potus spiritualis. pag.128.129.n.279

Species dicuntur Sacramentum tantum, quia significant, & non significantur. Gratia sanctificans, res tantum: quia significatur & non significat. Corpus autem & Sanguinis Christi res & Sacramentum: quia significant & significantur: significantur enim per species: & significant spiritualem refectionem animæ. pag.129.130 n.280

Eucharistia dicitur Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi intransitive: & dicitur Corpus, & Sanguis Christi contineri in hoc Sacramento, nempè tanquam pars in toto. Et contra Eucharistia dicitur Corpus & Sanguis Christi, sumendo partem pro toto. p.130.n.282

Corpus & Sanguis Christi non reficerent animam, si non essent sub speciebus panis & vini. pag.131.n.283

Corpus, & species non habent rationem materiæ aut formæ respectu

in vicem, sed utrumque simul habet rationem materiæ respectu significationis sacramentalis. Ibid. n. 284

Eucharistia dicit essentialem ordinem ad verba consecratoria ut sui causam, non ut sui partem. pag. 132 n. 287

Quando Florentinum assignat verba consecrationis pro forma hujus Sacramenti, non est intelligendum de forma intrinseca & permanente, sed extrinseca & transeunte, à qua species denominantur consecratæ. Ibid. n. 288

Sumptio Eucharistiæ non est de intrinseco ejus complemento, sed est tantum conditio requisita ad hoc ut Sacramentum operetur effectum suum. pag. 132. 133. n. 289

Eucharistia sua utraque specie est unicum specie Sacramentum: quia sub utraque specie ordinatur ad unum & eundem finem, videlicet ad spiritualem refectionem animæ. Sicut enim ex cibo & potu corporali exurgit unica refectio corporalis; ita ex cibo & potu spirituali unica refectio spiritualis. pag. 133. n. 290

Si tamen diversæ species consecratæ considerentur ut sumibiles diversis sumptionibus, sunt plura numero Sacramenta, & sic sumptæ causant diversas numero gratias, Si verò accipiantur ut sumibiles unica sumptione, sunt unicum Sacramentum, & causant unicam gratiam. Ibid. n. 292

Eucharistia non est necessaria necessitate medii nec re, nec in voto. Est de fide quoad parvulos ex Trid. sess. 21. can. 4. Id quoque certum est respectu adultorum; quia ad salutem obtinendam sufficit status gratiæ, ad quem non est necessaria sumptio Eucharistiæ, cum sit Sacramentum vivorum, adeoque supponat statum gratiæ. p. 134. n. 293. & 294

Illud Joann. 6 *nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.* non importat necessitatem medii, ut illud *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* sed tantum præcepti. Et disparitas est quod Baptismus institutus sit ad conferendam primam gratiam: non autem Eucharistia. Ibid n. 295

Sumptio Eucharistiæ non est etiam absolute necessaria ad perseverandum in gratia: alioqui enim non habenti inculpabiliter inter hæreticos aut barbaros copiam recipiendi Eucharistiam, salus esset impossibilis. Est tamen necessaria ad facilius & certius perseverandum; quia instituta est ad conservandam vitam animæ. pag. 135. n. 296. & 297

§.

§. II.

De Eucharistiæ materia & forma.

MAteria Eucharistiæ remota; & transiens sive materia ex qua fit Eucharistia; est panis triticeus. Est de fide ex Flor. in decreto de Sacram. & ex traditione ac perpetua praxi Ecclesiæ non alio pane utentis, quam triticeo. Quod si dubium sit an granum, ex quo panis confectus est, sit triticeum, qualiter dubitatur de siligine & spelta, illicita saltem erit ejus consecratio extra casum necessitatis. pag. 135. 136. n. 298. & seqq.

Si panis non sit confectus ex tritico puro, & mixtio alterius grani sit notabilis, ita ut dubium sit an adhuc possit dici triticeus, illicita etiam erit istius panis consecratio. Ibid. n. 302

Requiritur ad valorem Sacramenti ut panis sit confectus ex farina triticea aquæ naturali admixta & igne cocta. Quia Christus consecravit panem usualem: usualis autem dicto modo conficitur. pag. 137. n. 303

Tam panis azymus, quam fermentatus sufficit ad validam consecrationem. Est de fide ex Florent. in decr. de Sacram. dicente: *definimus in azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*. Colligitur ex diversa praxi utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, quarum prima semper azymum consecravit, altera semper fermentatum. pag. 137. n. 308

Tenentur Latini consecrare azymum; & Græci fermentatum: quia antiquissima utriusque Ecclesiæ consuetudo vim legis obtinet. Si tamen Latinus peregrinetur in Ecclesia Græca, & Græcus in Latina, possunt utroque modo consecrare. pag. 138. n. 309. 310

Verisimilius est Christum consecrasse panem azymum. Quia consecravit post esum Agni Paschalis, quo tempore non licebat uti fermentato. pag. 139. n. 311

Nec vim habet quod dicunt Græci Christum uno die prævenisse esum Agni Paschalis. 1. quia Joan. 3. dicitur Christus ante diem festum Paschæ lavisse pedes discipulorum suorum, lavit autem eos post esum Agni Paschalis 2. quia Joan 18. dicuntur Judæi *non introisse prætorium Pilati, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*: ergo necdum illud manducaverant, adeoque Christus illos prævenit uno die. 3. quia cap. 19. de ipso die, quo Christus passus est, dicitur, *erat autem parasceve Paschæ*, & die sequenti: *quod esset magnus dies ille Sabbati*; utique propter Pascha in illud incidens. Ibid. n. 312

Illud, inquam, vim non habet 1. quia dato quod Christus uno die prævenerit esum Agni Paschalis, utique observaverit ritum in ejus usum præscriptum, adeoque usus fuerit pane azymo 2. quia negari potest ista anticipatio, & loca ad id probandum adducta facile explicari possunt. Ad 1. enim dici potest *ly ante die festum Paschæ*. Idem esse ac vespera præcedente diem festum Paschæ; licet enim Judæi dies festos inchoarent ab ipsa vespera, communiter tamen diem festum tantum appellabant diem sequentem Ad 2. dic per ly *Pascha* non intelligi illic Agnum Paschalem, sed victimas perficias. Ad 3. parasceven Paschæ intelligi præparationem ad Sabbatum incidens intra octavam Pa-

schæ. Ad 4. illum Sabbati diem vocari magnum, quia incidebat in diem proximè sequentem festum Paschæ. pag.140.141.n.313. & seqq.

Ex eo autem quod Joseph sindonem mercatus sit. Nicodemus tulerit pondus centum librarum ex aloe & mirrha. Mulieres præparaverint aromata &c. quæ non licebat facere die festo; non sequitur Christum non esse passum die festo Paschæ, sed pridie: dici enim potest illos existimasse licita sibi fuisse isto etiam die prædicta misericordiæ opera, exemplo Tobiæ qui die festo cadaver Israelitæ jugulati sepelivit, ut refertur Tob. 2. pag.142.n.316.317

Neque ex eo quod Sacerdotes festo Paschæ essent occupatissimi; cum quo non videntur stare, quæ leguntur ab eis contra Christum gesta; sequitur quod ista pridiè facta sint. Dici enim potest vel eos ex odio in Christum neglexisse officium suum. Vel certè cum essent magno numero, partem unam procurasse Christi mortem: alteram autem vacasse officio Paschali. Ibid.

Materia consecranda debet moraliter esse præsens consecranti. Id enim exigit pronomen *hoc* vel *Hic* demonstrativum. Ad moralem autem præsentiam duo requiruntur, videlicet materiæ sensibilitas, & loci propinquitas, quæ tamen non potest præcisè determinari. p.143. n.318. & 319

Formulæ in prixide seu ciborio clauso contentæ validè consecrantur: quia ad præsentiam moralem sufficit, quod vas eas continens sit præsens. Ibid. n.321

Potest validè consecrari materia quantumlibet parva; debet tamen esse sensu perceptibilis: quia cum forma consecrationis sit demonstrativa, debet quoque esse demonstrabile, adeoque sensibile id quod consecratur. pag.144.244.n 328

Materia consecranda debet in particulari determinari per intentionem consecrantis: quia pronomen demonstrativum in forma contentum exigit determinationem rei demonstrandæ, cum res indeterminata demonstrari non possit. pag.145.n.324

Non sufficit determinatio facta per intentionem mere internam, sed requiritur exterior aliqua nota determinationis: quia ad demonstrationem non videtur sufficere determinatio mere interna. p ibid.n.325

Licet Sacerdos inter celebrandum non cogitet de formulis super corporale aut in ciborio positis, debent tamen censeri consecratæ, si prius intenderit illas consecrare: secus, si id non intenderit. p.145.146.n.327

Solum vinum de vite est materia Calicis: ut constat ex Florent. in decr. de Sacram, & perpetua praxi Ecclesiæ, & ex ipso Christi facto. Nec omphacium seu liquor ex uvis needum maturus expressus, nec acetum, quamvis ex vite proveniant, possunt validè consecrari: quia omphacium non est vinum: acetum autem desiit vinum esse. Quod si vinum notabiliter acescat, ita ut dubium sit an adhuc sit vinum, graviter peccabit, qui illud extra necessitatem consecrabit. pag. 146.147.n.147.329. & seqq.

Non potest validè consecrari vinum aromatibus ita conditum ut moraliter speciem vini amiserit, secus si alteratio sit exigua. Peccaret tamen Sacerdos illud consecrans: uti & consecrans mustum, seu vinum recentèr ex uvis expressum, ob ejus propter fæces impuritatem. p.147.n.332 Vi-

Vinum congelatum est materia dubia : quia sub tali statu non potest habere rationem potus. Undè peccaret graviter qui illud in tali statu consecraret Quare si hyeme vinum in Calice congeletur, prius per ignem resolvendum est, quam consecretur. ibid.n.333

Mixtio aquæ modicæ cum vino consecrando necessaria est necessitate præcepti, ex Florent. in decr. de Sacram. & Trid. sess. 22. cap. 7. cujus præcepti hanc rationem reddit Florent. *aqua ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia SS. PP. creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentum instituisse.* pag 147.n.334

Non est tamen ista mixtio necessaria necessitate Sacramenti; sed potest vinum validè consecrari absque ista mixtione : ut patet ex rubricis vetantibus aquæ mixtionem suppleri post consecrationem : quod tamen fieri deberet, & iterari consecratio, si ista mixtio esset necessaria necessitate Sacramenti. pag.148 149.n.334. & seqq.

Certum est aquam vino mixtam converti in Christi sanguinem, sive id fiat immediatè, sive tantum mediatè; sic ut aqua debeat prius converti in vinum, quam in sanguinem. Quia particula demonstrativa, quam continet forma calicis, demonstrat totum quod est in calice : ergo totum convertitur in Chr sti sanguinem. Hancque veritatem tradunt Patres mox citandi pro immediata conversione. pag.149 n.337

Probabilius videtur quod aqua vino mixta immediatè convertatur in sanguinem Christi Ita recentiores communius contra Thomistas. Prob. 1. ex Amb. lib. 4. de Sacram. cap 4. *ante verba Christi Calix est vino & aqua plenus: ubi verba Christi operata fuerint ibi sanguis efficitur.* Damasc lib. 4. de fide cap. 14. *nonne potest panem suum ipsius Corpus efficere, & vinum & aquam sanguinem?* 2 ex usu Ecclesiæ veteris quæ multum aquæ solita fuit admiscere, uti etiam fecit Christus more regionis calidæ: non est autem tunc verisimile aquam mutari in vinum 3. quia verius videtur nunquam aquam vino mixtam converti in vinum : experientia enim constat posse illam etiam post longum tempus à vino separari. pag.150.151. n 338. & seqq.

Innocentius 3. cap. *cum Martha §. quæsivisti etiam* approbans secundam sententiam asserentem quod aqua cum vino transsubstantiaretur in sanguinem, eo quod mixta vino transeat in vinum, tantum approbat transubstantiationem, aquæ in sanguinem non autem rationem allatam t censendus enim est ad id tantum respondisse, quod quære batur an scilicet aqua in sanguinem mutetur. pag 154.n.399

Lib. de mysteriis Missæ cap. 30. approbat quidem mediatam conversionem aquæ in sanguinem, supponens illam prius converti in vinum : non tamen positive reiicit immediatam. Imo eod. lib. cap. 11. favet immediatæ, dum asserit in hoc Sacramento haberi trinitatem specierum, videlicet panis, vini & aquæ quod post enum foret falsum, si aqua prius in vinum quam in sanguinem converteretur. pag. 154.n.345

Nec refert quod Florentinum præcipiat ut tantum modica aqua admisceatur non enim ideò id præcipit, eo quod prius debeat aqua converti in vinum, quam in sanguinem : unde nec istam rationem adfert, nec adferunt Canones idem præcipientes : sed ideò id jubet, ne aqua copiosa corrumpatur vinum plerumque satis debile. pag. 145.n.343

Dum Tridentinum sess. 13. can. 2. asserit in Sacramento Eucharistiæ remanere solas species panis & vini, nomine specierum vini comprehendit etiam species aquæ confusas cum speciebus vini; sic ut non possint ab illis distingui. pag. 146. n. 348

Plerique antiqui agnoscentes tantum mediatam conversionem aquæ in sanguinem, explicari possunt de prævio aquæ transitu in vinum, non physico, sed morali, eo quod aqua modicè mixta vino appareat vinum. pag. Ibid. n. 349

Forma, qua panis consecratur in corpus Christi, consistit essentialiter in his quatuor verbis, *hoc est Corpus meum*. Verba enim consecratoria operantur id quod significant: ista autem quatuor verba sufficienter significant conversionem panis in Corpus Christi. p. 157. n. 351

Sufficienter etiam determinantur ad significandum Corpus Christi, non autem Sacerdotis illa pronunciet ut gerens personam Christi. pag. 158. n. 352

De essentia formæ Calicis sunt tantum hæc verba, *hic est Calix Sanguinis mei*. Ita communius DD. contra Thomistas volentes sequentia etiam verba *novi & æterni testamenti &c.* esse de essentia formæ. Ratio est quod hæc verba *hic est Calix Sanguinis mei*; antecedenter ad consequentia *novi & æterni testamenti mysterium &c.* completè significent conversionem vini in Sanguinem Christi; ac proinde illam operentur ante ista verba *novi & æterni &c.* pag. 159 n. 355

Nec refert quod Florent. ista etiam verba cum aliis assignet pro forma Calicis: quia similiter verbis formæ Ordinis sacerdotalis, *accipe potestatem &c.* Addit hæc *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* cum tamen non sint de essentia istius formæ. Ibid. n. 356

Neque ex eo quod Lucas his verbis, *hic est Calix in Sanguine meo* interserat ista verba *novum testamentum* hoc modo *hic est Calix novum testamentum in sanguine meo*: sequitur quod sint de istius formæ essentia; quia similiter ly *enim* interseritur formæ, nec tamen est de illius essentia. Dato tamen quod essent de essentia istius formæ, non sequitur quod etiam sint de essentia alterius; disparitas enim est quod in illa habeant rationem prædicati; nec videantur sine illis satis constare formæ sensus: In altera autem exprimantur in obliquo & sine illis habeatur integer formæ sensus. pag. 160. n. 358

An autem Christus in consecratione Calicis pronunciaverit omnia verba, quæ sunt in forma nostra, incertum est. Et etiam hoc dato nihil potest indè contra nos deduci: quia certum est Christum in consecratione panis protulisse ista verba, *quod pro vobis tradetur*, & tamen non sunt de essentia. Ibid. n. 359

Neque ex eo quod confectio de Eucharistiæ habeat rationem Sacrificii, sequitur quod hæc verba *quod pro vobis effundetur*, sint de essentia: quia sufficienter habet rationem Sacrificii per hoc quod sanguis vi verborum ponatur separatim à corpore. Ibid. n. 360

Verba consecratoria non tantum à Sacerdote pronunciantur recitativè, tanquam à Christo olim prolata, sed etiam assertivè intendendo facere id quod significant. pag. 161. 162. n. 361. & seq.

Pronomen hoc non demonstrat panem, nec speciem panis alioqui enim falsa esset forma: falsum enim est quod panis aut species panis sit Corpus Christi. Sed demonstrat id quod continetur sub specie panis vide-

videlicet Corpus Christi; non quidem sub explicata ejus ratione alio qui enim esset proposito identica: sed sub confusa ratione contenti sub specie panis in fine verborum. Idem dic cum proportione de pronomine *hic* in forma Calicis. pag.162.n.365.& seqq.

Pronomina demonstrativa in propositionibus practicis, vi quarum fit id quod demonstratur, non demonstrant id quod est initio præsens, & in aliud transmutatur; sed id quod fit existitque in fine propositionis. Unde ly *Hoc* in forma consecrationis non demonstrat panem initio præsentem, qui desinit: sed Corpus Christi, quod fit in fine verborum. Ita si Christus convertisset aquam in vinum per hæc verba, *hoc est vinum*, per ly *hoc* non demonstrasset aquam initio existentem, sed vinum, in quod fuisset conversa. pag.163.n.368.& seqq.

Pronomen *hoc* in forma consecrationis sumitur substantivè non adiectivè. Ratio est, quod ponatur solitariè sine substantivo sibi adiuncto, habeatque rationem subiecti; quod non convenit adiectivis. pag.164.n.322

§. III.

De reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi.

De fide est Corpus & Sanguinem Christi realiter contineri in Eucharistiæ Sacramento 1. quia hæc Christi verba *hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*. Matt. 26. realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam; sumpta in sensu proprio, apertè significant. 2. quia ibid. post hæc verba *hic est Sanguis meus* additur, *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: ergo illic agitur de vero & reali Christi Sanguine, cum verus & realis fuerit effusus 3. quia Christus Joannis 6. manifestè agit de reali manducatione Corporis sui, & reali potatione Sanguinis, dum dicit: *caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus &c.* pag.165.n.373.

Hæc etiam veritas definita est à pluribus Conciliis, videlicet Lateran. sub Innocentio 3. Viennensi sub Clemente 5. Florent. sub Eugenio 4. & distinctissimè in Trid. sess. 13. cap. 4. & can. 1. p.166 167.n.374

Hanc quoque veritatem unanimi consensu tradunt PP. quos per singulas ætates digestos reperies apud Bellar. Clarissima sunt hæc verba Cyrilli Jerosol. catech. 4 *cum Christus ipse sic affirmet, & dicat hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare aquam aliquando in vinum mutavit sola voluntate; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutavit*. Amb. lib.4. de Sacram.c.4. *panis iste*, inquit, *panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio de pane fit caro Christi*. Quid clarius? Augustinus lib. 12. contra Faustum docet fideles in hoc Sacramento percipere Sanguinem, quo redempti sunt. Et cap. 20. nunc bibi, quod de latere Christi manavit. S. Leo serm. 6. de jejunio: *sic*, inquit, *sanctæ mensæ communicare debitis, ut nihil prorsus de veritate Corporis Christi, & Sanguinis ambigatis*. pag.167.168.n.375

Cum Scripturæ significant Christum non remansurum in Ecclesia; sed abiturum ad Patrem, debent intelligi de remansione sub

specie visibili. pag.168.n.377

Cum Christus dicitur vitis, Leo, Petra &c. id quidem intelligendum est in sensu metaphorico; quia istæ assertiones non possunt verificari nisi in isto sensu; cum prædicatum in sensu proprio acceptum repugnet subjecto. In hac autem propositione, *hoc est Corpus meum*, prædicatum in proprio sensu acceptum potest verè affirmari de subjecto. pag.169.n.378

Dum Christus Joan. 6. dicit *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam:* non vult ea, quæ dixerat de carnis suæ manducatione, intelligenda esse de sola spirituali manducatione per fidem: sed tantum carnem suam non habere à seipsa vim vivificandi, sed à spiritu seu divinitate sibi unita. Vel tantum vult manducationem illam non esse intelligendam de manducatione facta modo carnali per divisionem & masticationem carnis: sed modo aliquo spirituali per sumptionem specierum sub quibus invisibiliter & velut spiritualiter, licet realiter, Caro Christi continetur. pag.170.n.380

Dum Augustinus lib. 3. de doct. Christ. cap. 16. dicit carnem Christi manducari figuratè & spiritualiter, non excludit realem manducationem, sed tantum carnalem seu factam carnali modo. Dum autem in cap. 6. Joannis explicans hæc Christi verba *nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* dicit *quid paras dentes & ventrem? crede: & manducasti* tantum vult Christi carnem non esse manducandam carnaliter, sed spiritualiter per fidem, licet etiam realiter. p.171.n.381

Dum verò lib. contra Adimant. cap. 12. ait: *non dubitavit Dominus dicere, hoc est Corpus meum cum figuram daret Corporis sui.* Et in Psal. 3. *Christus adhibuit Iudam ad convivium, in quo Corporis sui figuram commendavit & tradidit &c.* sumit Eucharistiam pro speciebus visibilibus panis & vini, quæ sunt figura seu signum Corporis Christi non absentis, sed sub istis latentis. pag.173.384

Non remanet in hoc Sacramento substantia panis, & vini una cum Corpore & Sanguine Christi. Est de fide contra Luther. id enim definitum est in variis Conciliis Lateran. cap. *firmiter*. Constant. sess. 8. Trid. sess. 13 cap. 4. hancque veritatem unanimi consensu tradunt PP. tum Græci tum Latini apud Bellar. lib. 3. cap. 20. pag.173.n.385

Nec refert quod Eucharistia vocetur panis 1. ad Cor. 10. & alibi. Ita enim vocatur, vel quia fit ex pane, ut materia transeunte. Vel potius quia retinet speciem, proprietates & operationes panis. Vel certe quia panis est spiritualis reficiens animam. pag.174.n.386

Probabilius videtur in conversione panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem intervenire veram reproductionem Corporis & Sanguinis Christi 1. quia id est conformius Patribus asserentibus Corpus Christi fieri, creati &c. 2. quia conversio hæc dicitur transsubstantiatio, ad quam non sufficit translocatio, seu successio unius substantiæ in locum alterius. pag.175.176.n.388.& seqq.

Vi verborum solum Christi Corpus immediatè & directè ponitur sub specie panis: & solus Sanguis sub specie vini: quia id tantum requiritur ad illorum verificationem. Per concomitantiam autem ponitur etiam Sanguis sub specie panis, & Corpus sub specie vini: & sub utraque anima & divinitas Christi, propter naturalem connexionem quæ est inter Corpus, Sanguinem, & animam, & eorum unionem cum divi-

divinitate. pag 176.177.178. n.392

Christus existit sub specie panis & vini modo spirituali & indivisibili; ita ut totus existat sub tota specie, & totus sub qualibet ejus parte. Ex quo sequitur omnes Christi partes existere simul penetrativè, & in punctum redigi; & tamen diffundi per totam specierum quantitatem. pag.178.n.398

Ex eo quod spiritus non possit existere modo corporeo & divisibili, non sequitur corpus non posse existere modo spirituali, & indivisibili. Disparitas est quod Spiritus nihil habeat in quod se possit extra illud poni per modum partis. Corpus autem habeat entitatem quæ spoliari possit extensione locali per partium penetrationem. pag.179.n.ibid.

Ex modo isto existendi indivisibiliter non oritur partium confusio: quia partes retinent eandem unionem sui continuativam, quam habent naturaliter; ita ut caput continuetur immediatè cum collo, collum cum pectore &c. pag.179.n.400

Corpus Christi, prout existit in Eucharistia, non potest naturaliter pati ab agentibus extrinsecis: quia cum agentia illa sint corporea, non possunt habere alium influxum, quam quantitativum: non potest autem hic influxus recipi in subjecto indivisibili. pag.177.n.401

Neque Corpus Christi, prout illic existens, potest naturaliter agere in corpora circumstantia: quia non potest in illa agere nisi per influxum quantitativum, non potest autem talem influxum habere existens illic indivisibiliter. Neque potest exercere actus sensuum externorum aut internorum: quia isti actus sunt materiales requirentes subjectum existens modo materiali & quantitativo. pag.179.180. n.404. & seqq.

Qualitates omnes specierum recipiuntur in quantitate ut subjecto: alioqui enim 1. non posset explicari quomodo species possent alterari ab agente naturali. 2. quomodo essent impenetrabiles 3. quia multiplicarentur miracula sine necessitate, quia singulæ qualitates existerent modo substantiali extra subjectum. pag.181.n.406

§. IV.

§. IV.

De effectu Eucharistiæ & dispositione ad eam requisita.

PRoprius & principalis effectus Eucharistiæ, est spiritualis refectio & confortatio animæ; itaut id præstet animæ; quod cibus corpori ut asserit Florent. in decr. de Sacram. Hæc autem refectio & confortatio spiritualis consistit partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus; ac nominatim in quadam excitatione charitatis, cum actuali dulcedine & gaudio spirituali; ut docet S. Th. q. 79. a. 1. ad 1. Hæc tamen excitatio charitatis & spiritualis delectatio sæpe impeditur per negligentiam, & distractionem communicantis. pag.181.n.407

Alios etiam effectus recenset Trid. sess. 13. cap. 2. videlicet liberationem à venialibus & præservationem à mortalibus. Et primum quidem causat ex opere operato, modo non inveniat in recipiente actualem aut habitualem affectum ad venialia. Alterum autem mediantibus gratiis actualibus, quæ intuitu communionis prius factæ dantur ad vincendam tentationem. pag.181.182.n.408

Non plus confert gratiæ Eucharistia sumpta sub utraque specie quam sub unica: alioqui enim prohibitio sub utraque specie facta laicis non videretur satis justa. Et ratio est quod sub unica specie contineatur totus Christus. pag.ibid.n.411

Licet Christus sub specie panis sumatur per modum cibi: sub specie autem vini per modum potus: per unicam tamen speciem habetur integra spiritualis refectio animæ, quia sub unica id totum habetur, quod continetur sub duplici. pag.183 n.412

Sacerdos sumens sanguinem non accipit novam gratiam ex opere operato: gratia tamen quæ datur in sumptione Corporis, confertur etiam propter sumptionem Sanguinis mox futuram, quæ cum sumptione Corporis constituit unicum Sacramentum. pag.183.n.413

Dum Clemens 6. dans Regi Galliæ potestatem communicandi sub utraque specie, dicit se illi id concedere ad majus augmentum gratiæ; vel loquitur ut Doctor privatus sequendo opinionem nostræ oppositam, vel certe intelligendus est de augmento gratiæ ex opere operantis, ratione majoris devotionis. pag.184.185.n.414

Necessarius est status gratiæ ad sumptionem Eucharistiæ. Est de fide ex Apostolo 1. ad Cor. 11. *probet autem seipsum homo &c.* nec sufficit contritio in eo qui sibi conscius est peccati mortalis, sed requiritur confessio, ut docet Trident. sess. 13. can. 7. asserens Ecclesiasticam consuetudinem ita interpretari dictum Apostoli locum, *probet autem seipsum homo.* pag.185.n.415.& seqq.

Excipe nisi urgeat necessitas sacrificandi, & desit copia confessarii. Si quis tamen in tali necessitate celebraverit non confessus, tenetur postea, quam primum poterit, confiteri. Ita expressè Trident. loco jam citato. pag.ibid.n.416

Non est necessaria actualis devotio, ut communicans recipiat augmentum gratiæ habitualis, sed sufficit status gratiæ, ut docent communiter

muniter Theologi cum S. Th quæst. 74. a. 8. Ratio est quod Sacramenta causent gratiam ex opere operato. Id etiam aperte colligitur ex praxi Ecclesiæ olim Eucharistiam infantibus concedentis, utique cum fructu. pag.186.n.417

Ex parte Corporis requiritur duplex dispositio ad sumptionem Eucharistiæ: altera necessitatis, ut scilicet communicans sit jejunus. Altera decentiæ, ut non fuerit eo die pollutus. Prima pars constat tum ex Ecclesiastica consuetudine. Tum ex variis Conciliis in quibus id præcipitur. pag.Ibid.n.420.

Altera etiam patet ex eo quod pollutio adducat aliquam corporis fœditatem, quæ corporis Christi puritatem ac sanctitatem dedecet. Hæc tamen indecentia non obligat pollutum sub mortali ut abstineat à communione: imò nec sub veniali, si fuerit in voluntaria, adsitque justa causa communicandi, communiter DD. quorum etiam aliqui id extendunt ad voluntariam & culpabilem confessione expiatam: sed gravior tunc requiritur causa; quia major est indecentia.

Jejunium ad Eucharistiam requisitum debet esse naturale, hoc est tale, ut à media nocte seu hora ejus 12. nihil prorsus sumptum sit vel cibi vel potus. Quod tamen non est cum eo rigore intelligendum, quasi illud frangat guttula aquæ per modum salivæ simul cum saliva in stomachum trajecta; quia non habet rationem aut potus aut cibi, pag. 187. n. 242. & seqq.

Certis tamen casibus licitum est non jejuno Eucharistiam sumere, 1. in articulo mortis per modum viatici 2. si Eucharistia statim consumenda sit, ne prophanetur ab hæreticis, aut infidelibus, & nemo sit jejunus. 3. si Sacerdote deficiente urgeat necessitas perficiendi Missam, & non adsit Sacerdos jejunus &c. pag.188.n.424

§. V.

De Præcepto Communionis.

Jure divino tenentur fideles adulti aliquando communicare ut patet ex his Christi verbis *nisi manducaveritis &c.* Hoc præceptum obligat in articulo mortis, & aliquoties in vita. Quæ autem dilatio sufficiat ad mortale non est facile definire. Communius censent DD. non posse differri ad 3. aut quatuor annos absque hujus præcepti violatione, pag.189.n.427.& seqq.

Datur etiam præceptum Ecclesiasticum quo fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, obligantur ad communicandum semel in anno, idque in Paschates seu tempore Paschali hoc est à Dominica Palmarum ad Dominicam in albis inclusivè, Ita statuitur cap. *omnis utriusque sexus*. Et in Trid. sess. 13. can. 9. pag.ibid.n.429.& seqq.

Qui intra tempus Paschale non implevit præceptum Communionis annuæ, tenetur postea illud implere prima opportunitate, Si quis tamen ante illud tempus communicasset in sua Parochia, maneret liber: quia jam implevisset præceptum illud quoad substantiam, & quoad circumstantiam loci, Circumstantia autem temporis Paschalis non est amplius in

in ejus potestate. pag. 190. n. 433

Non satisfit præcepto communionis annuæ per communionem sacrilegam. 1. quia Ecclesia præcipiens communionem annuam, intendit spiritualem animæ refectionem ac vitam, huncque finem expressit Trid. 13. cap. 8. atqui finis proximus quem intendit legislator cadit in præceptum, præsertim si illum exprimat: ergo &c. 2. quia leges præcipientes aliquem actum, intelligendæ sunt de actu valido & sortiente effectum suum. 3. denique quia hæc propositio, *præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem* damnata est ab Innocentio XI. anno 1679. 2. Maii. pag. 193. 194. n. 444

Qui audit sacrum, qui jejunat ex prava aliqua intentione, satisfacit quidem præcepto Ecclesiæ, licet peccet sic Sacrum audiendo ac jejunando: quia per istam pravam intentionem non destruitur finis proximus ab Ecclesia intentus, videlicet in præcepto audiendi Missam, cultus divinus exurgens ex attenta & reverenti auditione Missæ. In præcepto autem jejunii, maceratio Corporis. Per communionem autem sacrilegam destruitur finis proximus ob quem Ecclesia communionem præcipit. pag. 194. 195. n. 446

Qui recipit Eucharistiam in statu peccati, recipit quidem Sacramentum Eucharistiæ, sed non eo modo, quem exigit Ecclesia ad finem intentum. Non potest autem satisfieri præcepto per actum eo modo positum, quo tollitur finis præcepti. pag. 195. n. 447

Non est jure divino laicis præcepta communio sub utraque specie. Est de fide: id enim definitum est in Concilio Constant. sess. 13. Basil. sess. 3. & Trid. sess. 21. cap. 1. Id etiam constat ex praxi & usu Ecclesiæ quæ primis sæculis sæpe Eucharistiam sub unica specie porrigebat: nam pro ægris sub sola specie panis asservabatur, ut testatur Euseb. lib. 6. Hist. & fervente persecutione Christiani post sacrificium Eucharistiam sub sola etiam specie panis domum deferebant, tempore opportuno sumendam, ut testantur Tertull. Cypr. Cl. Alex. & alii apud Bellar. pag. 195. 196. n. 448

Verba ista Christi Matt. 26. *bibite ex hoc omnes* diriguntur ad solos Apostolos, quos alloquebatur. Hæc autem Joan. 6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem &c.* non important sumptionem sub utraque specie, sed sumptionem Carnis & Sanguinis Christi: verè autem sub sola specie panis utrumque sumitur. His autem Apostol. verbis ad Cor. 11. *probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat & de Calice bibat*, non præcipitur sumptio Calicis sed declaratur dispositio ad id requisita. pag. 196. n. 449

Gelasius Papa reprehendit eos qui sumpto Corpore Christi abstinebant à Calice quia tunc in usu erat sumptio sub utraque specie. Postea tamen Ecclesia justas ob causas prohibuit laicis usum Calicis. 1. ob periculum effusionis: 2. ob periculum corruptionis, si vini species asservarentur pro communione laicorum: 3. quia variis in locis ægrè posset sufficiens ad id vinum haberi 4. ad abolendam hæresim asserentium sumptionem utriusque speciei esse juris divini &c. p. 196. 197 n. 450

Per hanc prohibitionem nullam Ecclesia fecit injuriam laicis, quia tantumdem sumunt sub unica, quantum sumerent sub utraque: cum sub unica contineatur totus Christus. Nec plus gratiæ acciperent per sumptionem utriusque speciei quam unius. pag. 198. n. 454

§. VI.

§. VI.

De Missa Sacrificio.

IN Missa offertur verum legis novæ sacrificium. Est de fide ex Trid. sess 22. can. 1. aliisque prioribus Conciliis Laod. Tolet. Later. Constant. &c. apud Bellar. nihilque obstat quominus Missa habeat rationem sacrificii. pag. 198. 199 n. 455. & seqq.

Non enim obstat 1. quod Eucharistia sit testamentum & Sacramentum 2. quod sit repræsentatio sacrificii Crucis 3. quod in sacrificio Hostia debeat occidi. Non primum: quia potest esse simul testamentum, Sacramentum & sacrificium diverso respectu. Non secundum: quia non repugnat ut unum sacrificium sit repræsentatio alterius sacrificii, ut patet in antiquis sacrificiis: quæ repræsentabant sacrificium. Crucis Non tertium; quia id non requiritur in sacrificio incruento. pag. 200. n. 46. & seq.

Sufficienter etiam intervenit Hostiæ immutatio requisita ad veram rationem sacrificii, per quam debet Hostia immolanda alimodo destrui in honorem Dei: in quantum Corpus Christi vi verborum ponitur sub specie panis modo quodam mortuo separatim à sanguine: & similitea sanguis vi verborum separatim à Corpore sub specie vini. Ibid. n. 463

Quod principaliter & per se in hoc sacrificio offertur est Corpus & Sanguis Christi: quia principaliter & per se id offertur, quod ponitur vi verborum: atqui vi verborum tantum ponitur Corpus & Sanguis Christi, ergo &c. Rectè, tamen & verè dicitur totus Christus offerri, quia revera totus continetur sub speciebus panis & vini. Istæ autem species non sunt proprie pars rei oblatæ in sacrificium; sed tantum id sub quo res oblata continetur & redditur sensibilis. pag. 201. n. 464. & seqq.

Sacrificium Missæ sumptum formaliter pro actione sacrificandi, consistit essentialiter adæquatè in consecratione, vi cujus ponitur, Corpus & Sanguis Christi sub speciebus & vini. Quia per consecrationem immolatur Hostia Deo, in quantum vi ejus ponitur sub specie panis Corpus Christi velut mortuum separatim à sanguine: & sub specie vini Sanguis velut effusus. Unde hæc Corporis & Sanguinis, quantum est ex vi verborum, separatio dicitur à Patribus mystica Christi quædam mactatio & immolatio. pag. 202. 203. n 464. & seqq.

Nec consecrationi obstat, quod sacrificium essentialiter involvat oblationem rei immolatæ, consecratio autem non videatur esse oblatio Christi: quamvis enim non sit oblatio expressa, & in actu signato; est tamen implicita & in actu exercito, quod sufficit. pag. 203. n. 471

Neque rationem sacrificii à consecratione removet, quod vi consecrationis ponatur potius Hostia, quam destruatur: quia ut paulò ante dictum est, ponitur modo quodam mortuo. pag. 204. n. 473

Ex

Ex eo quod Ecclesia curet ut nullo casu Sacerdos omittat Communionem, non sequitur quod sit de essentia sacrificii: id enim facit, quia est aliquod ejus extrinsecum complementum, & velut consummatio. pag. ibid. n. 474

Sacrificium Missæ simul est latreuticum, Eucharisticum propitiatorium & impretatorium. Est latreuticum, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi ejus in omnens dominii. Eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. Propitiatorium, in quantum offertur in remissionem peccatorum, & satisfactionem pœnæ eis debitæ. Impetratorium denique, in quantum tendit ad beneficium aliquod impetrandum. pag. 204. 205. n. 475

Ut est propitiatorium, habet vim remittendi peccata, & pœnas temporales peccatis debitas. Et has quidem pœnas saltem partialiter remittit immediatè ex opere operato; si nihil obstet ex parte subjecti: peccata autem mortalia tantum mediatè, mediantibus scilicet gratiis actualibus, quæ ejus intuitu conferuntur, quibus peccator, pro quo oblatum est, perducitur ad pœnitentiam. Quia vero istæ gratiæ non sunt semper efficaces, ideo non semper vi sacrificii remissionem mortalium consequitur. pag. 205. 206. n. 477

Quantum tamen attinet ad remissionem venialium, probabile est Missæ Sacrificium hunc effectum immediatè operari in eo pro quo oblatum est, si nullum affectum actualem aut habitualem erga ea retineat. Ibid. n. 478

Vis sacrificii ad impetrandum est infinita in actu 1. sive quoad sufficientiam, quandoquidem contineat Christi merita. Non est tamen infinita in actu 2. sive non movet in actu 2. Deum infinitè ad concedendum id quod petitur; alioqui enim postulatio esset semper efficax. pag. 206. 207. n. 479

Vis impetrandi in actu 2. eo minor est, quo plura sunt beneficia, quæ primario petuntur, & plures personæ quibus primario postulantur: alioqui enim Sacerdos stipendium accipiens non teneretur primario Missam Deo offerre ad illud obtinendum, quod intendit, qui stipendium dedit. Id autem non oritur ex defectu virtutis ad id sufficientis, sed ex libera Christi voluntate merita sua limitate in actu 2. applicantis. Idem dic de virtute hujus sacrificii ad satisfaciendum pro pœna temporali peccatis debita. pag. 207. 208. n. 408 & seqq.

Ut quis fructum sacrificii percipiat, requiritur ut Sacerdos intendat sacrificium pro eo offerre. Non est tamen necesse ut hanc intentionem habeat tempore Missæ, sed sufficit quod eam paulo ante habuerit, & non retractaverit. Quamvis autem curare debeat habere intentionem explicitam, videtur tamen sufficere implicita. pag. 209. n. 485

Ut is pro quo sacrificium offertur, gratias actuales, aliave beneficia accipiat, non requiritur ut sit in statu gratiæ; ut patet ex eo quod istæ gratiæ sæpe dentur ad recuperandum gratiæ statum. Secus, ut obtineat remissionem pœnæ temporalis, quia non est æquum, ut Deus aliquam pœnam remittat inimico suo. pag. 210. n. 487. & seq

Potest Sacerdos accipere pro sacrificio, stipendium lege aut consuetudine taxatum, non per modum pretii, quod esset simoniacum; sed per modum sustentationis, ut qui ministrat altari, de altari vivat juxta Apost. 1. ad Cor. 9. pag. 211. n. 49

Qui

Qui à pluribus diversa stipendia accipit, non satisfacit offerendo unicum pro omnibus sacrificium. Et contraria sententia meritò damnata est ab Alexandro 7. in decreto quod edidit anno 1665. ubi etiam damnat sententiam afferentem licitum esse pro eadem Missa duplicatum stipendium accipere applicando danti illud partem specialissimam fructus obvenientem ipsi celebranti. pagina. ibid. n.492

Non licet etiam plura stipendia justo minora pro pluribus sacrificii data, ad unum redigere, & unicum sacrificium offerre: id enim prohibitum est à S. Congr. Tridentini interp. Possunt tamen Episcopi reformare aliquas fundationes in quibus stipendium olim justum, successu temporis redditum est longe minus justo, quia nimis difficile esset pro hac re Romam recurrere. pag.212. n.493

Non est licitum partem stipendii sibi retinere, Missa per alterum celebrata: id enim etiam prohibitum est à S. Congr. Interpr. Trident. anno 1625. nec licet, accepto stipendio ad sacrificium pro aliquo offerendum, fructum principalem alteri applicare. pag. ibid.n.494.& seq.

Peccat pariter, qui sacrificium diu differt, ad quod ex justitia obligatur: multò quæ magis si illud omittat, teneturque hoc casu ad stipendii restitutionem. pag.ibid.n.496.

CAPUT V.

De Pœnitentia ut virtus est, eiusque Necessitate, Efficacia, & Obligatione.

§. I.

De virtute Pœnitentiæ, & eius necessitate.

Pœnitentia est vera virtus. Id enim apertè supponunt Scripturæ & PP. pœnitentiam suadentes: eique conveniunt hæ duæ virtutis definitiones à Phylosopho allatæ 2. Ethic. cap. 2. & 6. *virtus est habitus electivus secundum rectam rationem. Virtus est habitus, qui bonum facit habentem.* pag.213.n.497. & seqq.

Actus Pœnitentiæ essentialiter quidem supponit fuisse peccatum in suo subjecto: non tamen id supponit virtus pœnitentiæ; sed tantum peccatum esse possibile. Et quamvis id supponeret, non esset cur id repugnaret rationi virtutis. pag.214 n.499

Si virtus Pœnitentiæ sumatur præcisè pro habitu inclinante ad dolendum de peccatis abstrahendo à motivo, dici potest virtus generalis, hoc sensu, quod spectare possit ad quamlibet virtutem: quia dolor de peccatis concipi potest ex proprio motivo cujuslibet virtutis; & tunc ad eam virtutem spectat, ad quam pertinet motivum doloris. pag.215.n.502

Si virtus Pœnitentiæ accipiatur ut sufficiens ad peccatorum remissionem extra Sacramentum, non distinguitur ab habitu charitatis, quia contritio perfecta spectat ad charitatem. pag. ibid.n.502.

Si

Si autem sumatur pro habitu inclinante Ad Deum placandum eique satisfaciendum pro peccatis quatenus sunt ejus offensa, & quædam injuria ei allata, tunc Pœnitentia dici potest specialis virtus, quia nulla alia virtus influit in dolorem peccatorum sub tali motivo. pag.216.n.503

De lege Dei ordinaria non potest peccatum actuale remitti absque Pœnitentia Est de fide ex Scriptura, *si pœnitentiam non egeritis; omnes similiter peribitis*. pag.217.n.505

Non est tamen absolutè ad hunc effectum necessaria pœnitentia formalis, sed sufficit virtualis inclusa in actu charitatis 1. ex Scriptura hanc vim isti actui tribuenti. Proverb. 8. *ego diligentes me diligo* Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. 2. ex Bullis Pii 5. & Greg. 13. damnantibus hanc Baji propositionem: *charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro &c. potest esse sine peccatorum remissione* 3. ratione quia vis contritionis ad delenda peccata oritur ex actu charitatis, quem includit aut præsupponit. Dicitur autem actus charitatis pœnitentia virtualis, in quantum continet votum illius & de facto illam imperat, dum peccata memoriæ occurrunt. pag.217.218.n.507

Loca Scripturæ requirentia pœnitentiam formalem, intelligenda sunt de ejus nececessiteate in re vel voto, propter alia loca quibus vis justificandi tribuitur actui charitatis. pag.218.219.n.508

Necessaria quidem est Pœnitentia formalis ut per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata; quia sine illa non potest haberi hoc Sacramentum. Potest autem haberi actus charitatis. pag.219.n.509

Non potest hæreticus elicere actum veræ charitatis, nisi per eum virtualiter retractet suam hæresim, & ita sit dispositus, ut vi istius actus verè eam desereret, & de ea doleret, si sciret se esse in hæresi. Ibid.n.512

De potentia Dei absoluta potest remitti peccatum absque ulla pœnitentia seu formali, seu virtuali, per hoc solum quod Deus velit peccatori offensam remittere: quia in eo nulla apparet implicantia. pag.220.n.513

Dum S. Thomas dicit id esse impossibile, intelligi debet de lege ordinaria: uti & Tridentinum, dum sess. 6. caput 7. dicit *iustificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ*. pag.ibid.n.514

Peccatum per negationem retractationis perseverat quidem aliquo modo in ratione voluntarii præsumpti: non tamen necessariò in ratione maculæ habitualis: hæc enim perseverantia non habetur per negationem retractationis, sed condonationis. Ibid.n.516

Has duas morales perseverantias distingui patet in voto v. g. ingrediendæ Religionis, quod in ratione voluntarii rationabiliter præsumpti moraliter perseverat per negationem retractationis. At in ratione vinculi obligantis ad ingrediendam Religionem perseverat per negationem dispensationis. pag.221.n.517

Peccatum habituale non in eo consistit quod quis peccaverit, & peccatum suum non retractaverit; cum adhuc perseveret retractatum per solam attritionem: sed in eo quod fuerit admissum, & non fuerit condonatum. pag.Ibid.n.518

Ad

525

Ad istam quidem condonationem requiritur ut non sit amplius actualis inordinata conversio ad creaturam: quia actuale peccatum non potest condonari eo instanti, quo committitur: alioqui simul esset, & non esset. Sed non est necessaria positiva aversio; sed sufficit negativa, seu desitio conversionis. pag. 221. 222. Ibid. n 519. & seq.

§. II.

Pœnitentiæ Efficacia ad peccatorum remissionem.

POssunt quælibet mortalia remitti per pœnitentiam. Est de fide 1. ex Script. *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis &c. omnium iniquitatem eius non recordabor.* Ezech. 18. 2. ex Conc. Later. cap. firmiter 3. ex PP. apud Bellar. Et ratio etiam id evincit; quia contrarium derogat divinæ misericordiæ & virtuti passionis Christi. pag. 222. n. 521

Illud Christi Matt. 12. *spiritus autem blasphemiæ non remittetur*: & infra *qui dixerit verbum contra S.S. non remittetur ei neque in sæculo neque in futuro*, sic explicandum est ut ly *non remittetur* idem sit ac difficillimè remittetur. Eodem sensu explicandum est quod habetur ad Hæbr. 6. *impossibile est eos qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt rursum ad pœnitentiam renovari*. Vel certe si ly *impossibile* accipiatur stricte id intelligendum est de renovatione ad pœnitentiam per iterationem Baptismi. pag. 223. n. 522. & seq.

Ad Hæb. autem 10. dicit Judæis apostatis nullam superesse Hostiam ad Deum placandum: non Christum, quia illum deseruerunt non sacrificia legis Mosaicæ, quia jam abolita sunt minus difficultatis habet, quod dicit de Esau ad Hæb. 12 *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisivisset eam*: quia non agitur ibi de pœnitentia Esau, sed patris ejus Isaac, qui filii lacrymis adduci non potuit, ut facti pœnitens retractaret benedictionem datam Jacobo, pag. 223, 224. n. 524. & seqq.

Ad illud verò, quod lib. 2. Machab. cap. 2. de Antiocho scriptum est: *rogabat hic scelestus Dominum à quo non erat misericordiam consecuturus*, dicendum est illum non habuisse veram pœnitentiam, eo quod tantum veniam deprecaretur ex desiderio sanitatis recuperandæ. Ibid. n. 527

Non sufficit attritio, ut vi Pœnitentiæ remittantur peccata extra Sacramentum: quia Trident. sess. 14. cap. 4. vim justificandi extra Sacramentum tribuit soli perfectæ contritioni Et ratio id etiam suadet; quia, secluso sacramenti privilegio, videtur æquum, ut qui se avertit a Deo per amorem creaturæ, amicitiam ejus non recuperet, nisi ad eum se convertat per actum perfectæ charitatis. pag. 224, 225. n. 528. & seq.

Omnis perfecta contritio, seu dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum habet vim infallibilem justificandi etiam extra sacramentum, quamvis non sine voto Sacramenti. Conclusio videtur certa. Prob. 1. ex Script. *cum ingemueris tunc salvus eris* Isa. 3. juxta versionẽ septuaginta. *Impietas impii non nocebit ei in quacumq; die conversus*

fuerit ab iniquitate sua: atqui impius per omnem contritionem perfe-ctam vere convertitur ad Deum ergo &c. pag.225.225.n.531

Prob. 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4. asserente contritionem aliquando es-se charitate perfectam; & tunc justificate extra Sacramentum, non ta-men sine voto Sacramenti; Ibid.n.532

Prob. 3. ex Pio 5. & Greg. 13. damnantibus hanc Bai propositionem *charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bo-na &c. potest esse sine remissione peccatorum*. Item hanc *per contri-tionem etiam cum charitate perfecta & voto suscipiendi Sacramentum coniuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Mar-tyrij sine actuali susceptione Sacramenti*. Agi autem de charitate actua-li in prima propositione. Patet ex istis verbis: *quæ ex corde puro & conscientia bona*: charitas enim habitualis non est ex corde, sed in corde. pag.227.n.532

Prob. 4. ratione: quia omnis perfecta contritio est vera conversio ad Deum, omni autem veræ ad Deum conversioni promissa est à Deo peccatorum remissio. pag.227.228.n.532

Vis perfectæ contritionis ad remittenda peccata, stat cum potestate clavium ad ea remittenda: quia non remittuntur independenter à voto Sacramenti, in quo exercetur potestas clavium. Et propter hanc ra-tionem verificatur, quod dicit Augustinus Epist. 280. ministerium Sa-cerdotis esse ad salutem necessarium. pag.228.n.537

Illud Greg. aliorumque PP. *sententia Petri præcedit sententiam Cæli* verificatur de eo qui primum obtinet remissionem peccatorum per ab-solutionem Sacerdotis. Adde quod nemo antea veniam peccatorum consequatur per contritionem, nisi quatenus contritio continet votum absolutionis in Sacramento obtinendæ. pag.229 n.538

Magdalena prius fuerat per contritionem justificata, quam audivit à Christo remittuntur tibi peccata: nec propterea falsa fuerunt ista verba: quia quod paulò ante factum fuit, potuit exprimi in præsenti, utpote moraliter præsens. Eodem sensu explicandus est Augustinus, dum hom. 23. dicit eam accessisse immundam, ut rediret munda: vo-cat enim eam adhuc immundam, eo quod paulo ante esset adhuc talis & tunc adhuc haberetur palam ut talis. pag.229 n.540

Ideò Ananias Paulo jam contritio ait Act. 2 *baptizare & ablue pec-cata tua*. Et Aug. tract. 4. in Joan. asserit catechumenum quantum-cumque proficiat (ac proindè licet sit contritus) adhuc sarcinam ini-quitatis suæ portare. Quia nec Paulus vi contritionis suæ fuerat justi-ficatus, nec catechumenus justificatur nisi sub onere Baptismi. pag 230.n.542

Ut contritio sit perfecta & sufficiens ad peccatorum remissionem debet esse appretiativè summa id est talis ut contritus vi illius ita sit effectus, ut mallet quodvis aliud malum potius pati quam peccare: quia debet esse dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum: non potest autem esse talis, nisi sit appretiativè summa sensu jam explicato, ut consideranti patebit. pag.231.n.543

Si damnatio sumatur præcise pro supplicio æterno, minus est malum quam peccatum, ac proindè magis etiam peccatum detestandum est, quam damnatio sic sumpta. Abstinendum tamen est à comparatione peccati cum hujusmodi supplicio aliisque ingentibus malis, quia cum magis

magis feriant imaginationem, quam peccatum, periculum est ne præferantur peccato maximè ab iis rudes sunt & minus spirituales. pag. 232.n.545

Licet contritio non possit esse major appretiativè de uno mortali quam de altero, cum debeat esse de omnibus appretiativè summa: potest tamen esse, & decet ut sit intensivè major de graviori peccato, quam de minus gravi. pag 232.n.546.

Contritio non debet esse intensive summa, ut sufficiat ad remissionem mortalium extra Sacramentum. Vel enim deberet esse absolutè talis, quod repugnat Vel tantum respectivè, quanta scilicet haberi potest h c & nunc respectivè ad præsens Dei auxilium: quod etiam dici non potest: alioqui enim peccator cum auxilio ut duo eliciens contritionem intensam ut duo justificaretur: & eliciens intensam ut quatuor cum auxilio intenso ut quinque non justificaretur, quod est absurdum. pag.233.n.547

Neque requiritur ut sit intensive tanta, ut excedat intensionem omnis alterius doloris. Vel enim deberet esse talis respectivè ad præsentem intensionem aliorum dolorum, vel possibilem Non primum: quia alioqui accideret; ut contritio intensivè major non justificaret, & minor justificaret, quod est absurdum. Non etiam secundum; quia cum alii dolores possint in infinitum crescere, non potest dari contritio intensivè major illis omnibus possibilibus. Ibid.n.548

Neque etiam requiritur in contritione certus gradus intensionis, ad hoc ut justificet extra Sacramentum: ut volunt aliqui recentiores, Prob. 1. ex Scrituris veniam promittentibus omnibus verè pœnitentibus. Vera autem pœnitentia non requirit certum gradum intensionis, sed sufficit quod sit appretiativè summa. 2. ex Trid. 14. cap. 4 simpliciter tribuenti contritioni vim justificandi, dum charitate perfecta est, hoc est dum nititur motivo charitatis: nulla facta mentione intensionis istius actus. 3. ex damnatis Baii propositionibus relatis. pag. 203. nu. 533. manifestum enim est in istis propositionibus per charitatem perfectam non intelligi charitatem intensam, sed eam qua verè Deus diligitur super omnia. pag.233.234.n.550.& seqq.

Idem probatur ratione 1. quia charitas habitualis, licet remissa, non stat cum mortali: ergo nec actualis. 2. quia certis casibus datur præceptum de justificatione per contritionem procuranda: atqui non datur præceptum de re ignota, qualis est contritio cum tot aut tot gradibus. pag.235.n.554

Dolor remissus quoad intensionem, potest esse super omnia quoad appretiationem, adeoque sufficiens ad remissionem peccati. Appretiatio objecti & intensio actus ex diversis capitibus oriuntur; ideoque potest dari actus appretiativè magnus & intensivè parvus: ut patet in matre diligente parvulum amore intensive magno, non appretiativè: & contra filium grandiorem amore appretiativè magno, non intensivè. pag.235.236 n.555.& seq.

Qui dolet de peccatis super omnia alia mala, sive dolore appretiativè summo, verè dolet ex toto corde & omnis actus charitatis, quo Deus diligitur super omnia, est verus actus charitatis perfectæ quoad essentiam sufficientis ad justificationem. pag.236.237.n 557

Dum Augustinus lib. de nat. & grat. dicit. *charitas inchoata, in-*

choata iustitia est: charitas provecta, provecta iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est. Non vult peccatorem necdum justificari, cum incipit Deum diligere super omnia, tantum autem tunc cum jam pervenit ad intensam charitatem; sed solum vult crescente charitate, crescere vitæ justitiam seu sanctitatem. pag.237.n.558

Non sequitur: Magdalenæ remissa sunt peccata multa *quoniam dilexit multum* ut asserit Christus Luc. 7 ergo si minus intense dilexisset, non obtinuisset istam remissionem: quia ly *quoniam* non importat causam necessariam, sed simpliciter causam declarat. pag.238.n.560

Dum catechismus Romanus p. 2 cap. 5. n. 32 ait: *quis ignorat illam* (contritionem) *adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit*: vel loquitur exaggerative. Vel intelligendus est de remissione peccatorum non tantum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. ibid n.561

Contritio non distinguitur ab attritione per remissum & intensum; sed per respectum ad diversa motiva. Et ita illam distinguit Trid. sess. 14. cap 4. pag.239.n.562

Angelicus Doctor apertè tradit sententiam nostram in 4. dist. 17 q. 2. ad 5. quæstiunc. 5. his verbis: *dicendum, quod quantumcumque sit parvus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Neque id potest intelligi de parvitate doloris in sensu, quia dolor iste nihil facit ad rationem contritionis. pag.239.240. n.563. & seqq.

Patres exigentes dolorem tanto majorem, quanto graviora sunt peccata, intelligendi sunt de eo quod convenit fieri, non quod necesse est. pag 240.n.565

Contritio nullam temporis durationem exigit, ut justificet peccatorem: quia tota ejus vis in eo consistit, quod sit perfecta conversio ad Deum: eo igitur instanti quo habetur ista conversio, justificat peccatorem. Idque apertè tradunt Scripturæ & Patres. pag. ibid.n.566

Instantanea pœnitentia non est quidem proportionata ad plenè satisfaciendum Deo; est tamen proportionata ad recuperandam ejus gratiam; sicut enim gratia Dei amittitur per instantaneam aversionem à Deo; ita convenit ut recuperetur per instantaneam conversionem. pag.241.n.567

Si contritio pro motivo habeat, quod peccata displiceant eo, quod sint aliquod ejus malum &c. non includit formaliter actum charitatis, sed tantum præsuppositive, aut concomitanter, in quantum ab illo imperatur: quia motiva ista non sunt motiva prosecutionis & amoris, sed fugæ & aversionis Si autem pro motivo habeat infinitam Dei bonitatem, ita ut peccator doleat de peccatis suis, quia offendit Deum infinitè bonum, tunc includit formaliter actum charitatis, quia non potest aliter tendere in istam bonitatem, quam per amorem. pag.241. 242.n.568

Actus iste tantum habet tendentias oppositas diverso respectu, in quantum nempe tendit per modum fugæ & odii in peccata, & per modum prosecutionis & amoris in bonitatem divinam, quod non repugnat. pag. ibid.n.569

Actus ille, quatenus tendens in bonitatem divinam est aliquo modo

Prior

Prior seipso prout tendente in peccata, non secundum rem, sed tantum secundum rationem, in quantum scilicet, non tenderet in peccata per modum odii, nisi tenderet in bonitatem Dei per modum amoris: quod verum est. pag.243.n.570

Quando contritio definitur dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, ly propter potest sumi intransitive, sic ut Deus intelligitur summe dilectus per ipsum contritionis actum. pag.ibid.n.572

§. III.

De Remissionem peccatorum venialium.

NEque de lege Dei ordinaria remittuntur venialia sine pœnitentia, quia Scripturæ citatæ n. 505. generatim requirunt pœnitentiam ad remissionem peccatorum: & verò venia dignus non est, quem culpæ suæ, licet levis, non pœnitet. pag.244.n.573

Sufficit tamen virtualis pœnitentia inclusa in actu charitatis excludente effectum ad venialia Censetur autem hunc affectum excludere, quando quis vi illius ita affectus est, ut nollet venialiter peccare, & de veniali admisso doleret, si memoriæ occurreret. pag.ibid.n.573

Sufficit etiam pœnitentia virtualis contenta in pio motu ad Deum, si motus iste habeat repugnantiam cum venialibus, qui vero non omnis pius motus habet istam repugnantiam ideo non sufficit quilibet motus pius ad remissionem venialium. pag.245.n.574 & seqq.

Dantur quoque motiva attritionis sufficientia ad venialium remissionem extra Sacramentum, ut sunt quod sint contra obedientiam Deo debitam, etiam in minimis, quod retardent possessionem Dei; & similia motiva perfectioris attritionis: alioqui enim difficilior esset extra Sacramentum remissio venialiam per actum doloris, quam mortalium; quia ad id quoque requireretur perfecta contritio: difficilior autem est ista contritio, quam illa quæ excludit sola mortalia. pag.246 n.577

Non videtur tamen sufficere attritio concepta ex propria turpitudine cujusque venialis, aut solo metu pœnarum purgatorii: quia alioqui ne secundario quidem Sacramentum Pœnitentiæ institutum esset ad remissionem venialium; quia semper præsupponeret illa per attritionem remissa; quia omnis attritio ad istam remissionem sufficeret. pag.224 n.578

Nec dici potest quod requiratur certa intensio attritionis ad hoc ut attritio venialia extra Sacramentum remittat: alias enim similiter dici posse quod requiratur certa intensio contritionis ad remissionem mortalium extra Sacramentum. Quod supra rejectum est n. 550.

Sacramenta omnia habent vim remittendi venialia ex opere operato. Res clara est de Sacramentis Baptismi, Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis; quia ista Sacramenta instituta sunt ad remissionem peccatorum. De Eucharestia satis etiam constat ex Trid. sess 13. cap. 2. dicente hoc Sacramentum datum esse *tanquam antidotum quo liberamur à culpis quotidianis*. De aliis etiam suadetur; quia ista quoque Sacramenta instituta sunt ad sanctificationem animarum, quam imminuunt venialia. pag.248.n.582

Ut remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor formalis: ut autem id fiat per alia Sacramenta sufficit virtualis inclusus in actu aliquo excludente affectum ad venialia: ratio disparitatis est quod dolor formalis sit de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Ibid.n.281

Certum est varia sacramentalia ac præsertim aquam lustralem habere vim aliquam ad remittenda venialia: quia hic est communis fidelium sensus. Hunc tamen effectum non videntur habere immediatè ex opere operantis mediante scilicet pœnitentia vel formali, vel virtuali, ad quam auxilia aliqua infallibiliter à Deo impetrant. pag.249.250. n.584. & seqq.

Peccata venialia remittuntur formaliter per specialem productionem gratiæ dicentem intrinsecum ordinem ad Deum ut condonantem hæc aut illa venialia. Nec inde sequitur venialia prius natura remitti in peccatore quam mortalia: quia licet productio gratiæ sit aliquo modo natura prior ipsa gratia; non est tamen talis, ut est terminus divinæ voluntatis venialia condonantis. pag.250.251.n.588

§. IV.

De meritorum per pœnitentiam reviviscentia.

MErita bonorum operum per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam, ut colligitur ex Apost. ad Hæb. 6. *non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri*. Et ad Gal. 3. *tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*. Ratio est quod merita per peccatum non deleantur, sed tantum impediantur; ac proinde sublato impedimento reviviscant Cur autem potius peccata absolute deleantur per actum charitatis, potius quam merita per peccatum, id refundendum est in Dei bonitatem pronioris ad miserendum, quam ad puniendum pag.251.252.n.591. & seqq.

Non tantum merita reviviscunt ad præmium aliquod accidentale: neque solum ad partem aliquam essentialis præmii, sed ad totum essentiale, quod prius ipsis erat debitum. Non enim est ratio cur ad partem potius reviviscant, quam ad totum, ut patebit consideranti rationes supra allatas pro reviviscentia. pag.253.n.594

Præmium ad quod totum reviviscunt est adæquate distinctum à præmio quod debetur actui pœnitentiæ, per quem reviviscunt; quia meritis adæquatè distinctis debentur præmia adæquate distincta. pag.254.n.595.

Quod dictum est de reviviscentia meritorum ad totum præmium essentiale, videlicet ad gloriam cœlestem, intelligi etiam debet de eorundem reviviscentia ad totam gratiam priorem, cum pro ea etiam valeant rationes allatæ, & ejus ad gloriam in gratia fundetur. p.255.n.599.

Neque obstat quod gratia infundatur juxta mensuram præsentis dispositionis, quæ in peccatore resurgente raró adæquat totam priorem gratiam, quia id debet intelligi de gratia, quæ per se infunditur ratione præsentis dispositionis: non vero de gratia quæ tunc datur ratione meritorum præcedentium. pag.256. n.600.

Pec-

Peccata remissa non reviviscunt per sequentia sive quoad culpam, sive quoad pœnam, ut colligitur ex Scripturis asserentibus peccata per pœnitentiam absolutè condonari. Idque etiam diserte docet Gelasius Papa relatus de pœnitentia dist. 4. c. ultimo his verbis: *divina Clementia remissa peccata ad ultionem ulterius vivere non patitur*. pag.256.n 603

Quando Scriptura significat Deum recordari peccatorum, intelligenda est vel de pœna peccatorum necdum remissorum: vel pœna temporali remissorum, quorum videtur oblivisci, dum differt ea punire, recordari vero, dum ea punit mensura per sequentes lapsus impleta. pag.258.n.604

Ex parabola servi immisericordis non rectè infertur peccatorum reditus: & Augustinus aliique Patres id ex ea inferentes, intelligendi sunt de virtuali peccatorum reditu paulo post explicando. Ibid.n.605

Ex verbis autem Ezechielis cap. 18. ubi Deus dicit se non recordaturum omnium iniquitatum impii *si egerit pœnitentiam* sicut dicit se non recordaturum omnium justitiarum justi *si averterit se à justitia*: hoc solum colligi potest, quod sicut peccata non nocebunt impio in ordine ad pœnam æternam si egerit pœnitentiam: ita merita justi nihil profutura justo in ordine ad vitam æternam, si peccet, & in peccato moriatur. pag. Ibid.n.606

Peccata remissa semper quinem remanent in Dei abominatione secundum se, non tamen in ordine ad reddendum hominem Deo odibilem. pag 259.n 607

Variis tamen modis dici possunt peccata remissa virtualiter redire per subsequentia: 1. quia iterum peccator fit reus pœnæ æternæ: 2. quia sequentia ob præcedentia, ratione ingratitudinis, fiunt graviora: 3. ratione subtractionis efficacium auxiliorum ob priora peccata; unde fit ut peccator in nova labatur: 4. ratione pœnarum temporalium, quas Deus infligit mensura per subsequens peccatum impleta. pag.269,271.610.

§. V.

De Obligatione aliquando pœnitendi.

TEnetur peccator aliquando pœnitere, ut constat ex dictis de necessitate pœnitentiæ: non tamen statim à peccato, ut communiter censent DD. 1. quia non est sufficiens fundamentum tam gravis obligationis, ut patebit ex solutione objectionum: 2. quia præceptum pœnitendi est affirmativum: præcepta autem affirmativa non solent statim obligare 3. ex praxi timoratorum, qui non solent confiteri, quod non statim pœnitentiam egerint 4. quia Ecclesia tantum præcipit ut fideles semel in anno confiteantur: ergo signum est quod non sit obligatio statim pœnitendi. pag. 260. 261. n. 612. & seqq.

Scripturæ quæ videntur obligare peccatorem ad statim pœnitendum vel dicendæ sunt continere tantum consilium: vel intelligendæ sunt de actuali affectu ad peccatum, quem statim tenetur peccator deponere. pag. 261 262. n. 614

Tenetur quidem peccator statim se avertere à peccato suo aversione actuali negativa, id est desinere ad actuali affectu erga illud: non tamen actuali aversione positiva per actum contritionis. Ibid. n. 616

Sicut non tenetur æger continuo adhibere remedium, nisi ex dilatione immineat grave periculum: ita nec peccator. pag. 263. n. 617

Qui proximum offendit tenetur quidem statim deponere odium, non tamen statim redintegrare amicitiam. Idem dic de peccatore respectu Dei. Non tenetur etiam peccator statim satisfacere Deo pro injuria ipsi per peccatum illata; quia Deus ex ista satisfactionis dilatione nullum damnum patitur. Ita non tenetur homo homini satisfacere pro injuria illata, quando ex dilatione satisfactionis nullum incurrit damnum. ibid. n. 619. & seq.

Ex omissione pœnitentiæ ad aliquod tempus, non sequitur quod peccator contemnat Dei amicitiam, quia cum tali dilatione stare potest efficax propositum eam recuperandi opportuno tempore. pag. 264. n. 620

Ex dictis videtur sequi licere peccatori nolle pœnitere pro aliquo tempore; cum videatur ei licitum nolle facere, quod non tenetur facere: non tamen velle perseverare in statu peccati; quia hoc esset velle aliquid per se & intrinsecè malum. Ibid. n. 621

Qui vult hic & nunc non pœnitere, non propterea vult perseverantiam in Dei inimicitia; quia ista perseverantia non est per se connexa cum negatione pœnitentiæ, sed tantum per accidens, nempè ex suppositione peccati antea commissi, & decreti divini de peccato sine pœnitentia non remittendo. pag. 265. n. 622

Hæc solutio, licet sit communis, non caret difficultate, quia licet permanentia in Dei inimicitia sit tantum necessariò connexa cum negatione pœnitentiæ ex prædicta suppositione: utrumque tamen supponitur & scitur ab eo qui non vult pœnitere, adeoque non videtur posse hoc velle; nisi ex consequenti velit istam perseverantiam. pag. ibid. n. 623

Undè videtur potius dicendum non esse licitum positivè velle non pœnitere etiam pro aliquo tempore, sed tantum permissivè se habere

circa

circa omissionem pœnitentiæ, sicut circa permanentia in Dei inimicitia. pag.266.& eod.num.

Quod si instes & dicas mihi licet velle, quod licet esse. R. id esse tantum verum quando circa illud esse possum me habere positivè v.g. illud procurando, intendendo: non autem quando tantum possum me habere permissivè: ut patet in Deo qui potest peccata permittere, non velle. pag.266.n.624

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I.

Sacramenti Pœnitentiæ Institutio, Necessitas, & Essentia.

Fide certum est dari in Ecclesia Sacramentum Pœnitentię habens vim remittendi peccata. Hæc veritas definita est à variis Conciliis Later. Florent. & Trid. traditurque à Patribus apud Bellarm. constatque ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ. pag.266.267.n.625

Fuit autem hoc Sacramentum institutum à Christo post Resurrectionem, quando Joan. 20. insufflavit in discipulos, & dixit eis; *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* Ibid.n 626

Hæc verba Christi Mat. 18. *amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*; Intelligenda sunt non de potestate clavium ad remittenda peccata; necdum enim tunc Apostoli erant Sacerdotes: sed de potestate ferendi sententiam in foro externo per censuras Ecclesiasticas, ut explicat S. Th. scribens in eum locum. pag.238 n.627

Sacramentum Pœnitentiæ relapsis post Baptismum necessarium est necessitate medii, ut colligitur ex Christi verbis Joan. 20. quibus dat potestatem non tantum peccata remittendi, sed etiam retinendi: quod non stat sine necessitate hujus Sacramenti. pag.268.n.628

Sufficit in voto, quando reipsa non potest haberi: constat enim posse peccatorem justificari per contritionem perfectam, sic tamen ut justificatio juxta Trid. sess. 14. cap. 4. non sit adscribenda contritioni, nisi prout continet votum Sacramenti. pag.ibid.n.629

Sacramentum hoc intrinsecè constituitur ex contritione confessione, & satisfactione pœnitentis, tanquam materia: absolutione Sacerdoti, tanquam forma. Satisfactio tamen non habet se per modum partis essentialis, sed tantum integralis. Peccata verò sunt tantum materia circa quam actus pœnitentis, & absolutio Sacerdotis versantur. pag.269.270.n.630.& seq.

§. II.

§. II.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

NOn sufficit ad hoc Sacramentum dolor virtualis inclusus in actu charitatis, aut altero pio motu excludente effectum ad peccatum; sed requiritur dolor formalis; ut patet ex Flor. & Trid. pro parte hujus Sacram. assignantibus contritionem. Non sufficit etiam ut sit existimatus, sed debet esse verus: quia existimatio non potest supplere defectum partis essentialis. Debet quoque esse supernaturalis; quia quod naturale est, non potest ad salutem conducere. p. 270. 271. n. 634. & seq.

Necessarium etiam est ut sit efficax, saltem quoad effectum, quia debet excludere voluntatem peccandi. Non tamen debet esse necessario efficax quoad effectum, hoc sensu quod pœnitens vi illius nunquam amplius debeat peccatum, de quo doluit, iterare. pag. 272. n. 638

Requiritur quoque ad remissionem mortalium ut sit universalis, hoc saltem sensu, quod debeat se extendere ad omnia mortalia admissa, quia non potest unum mortale remitti sine altero. Secus est de venialibus, ob contrariam rationem. pag. Ibid. n. 639

Non videtur tamen necessarium ut sit hoc sensu universalis, quasi necessario niti debeat motivo extendente se ad omnia mortalia tam commissa, quam non commissa 1. quia Trid. sess. 14. cap. 4. dicit contritionem esse *dolorem ac detestationem de peccato admisso* 2. quia ibid. pro motivo attritionis sufficiens adfert turpitudinem ipsius peccati, quod videtur intelligendum, aut saltem posse intelligi de speciali turpitudine peccati admissi 3. quia contritio sub ratione doloris non potest se extendere ad peccata non commissa: ergo nec debet se ad ea extendere sub ratione detestationis: quia satis est quod detestatio in ea feratur, ad quæ dolor se extendit. pag. 273. n. 640

Idem dic de proposito non peccandi, ac de dolore, videlicet sufficere propositum vitandi peccata admissa, & in confessione declarata: absitque omnis affectus erga alia. In praxi tamen curandum est ut dolor & propositum concipiantur ex motivo universali. pag. 273. 274. n. 641. & seq.

Dolor ad hoc Sacramentum requisitus debet præcedere aut saltem concomitari absolutionem; quia indignus est venia, qui de peccatis non doluit. Non videtur tamen absolutè necessarium, ut præcedat confessionem; quia confessio morali consideratione sufficienter informatur à dolore paulo post subsequente. pag. 274. 275 n. 643

Absolutè loquendo sufficit propositum virtuale inclusum in efficaci peccatorum dolore. Moraliter tamen loquendo necessarium est formale propositum: quia si dolor sit efficax necessario pœnitentem de vita emendanda cogitantem determinat ad tale propositum. Et in praxi à pœnitentibus saltem rudioribus exigendum est. pag. 275. 276. n. 646

§. III.

De sufficientia attritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ.

NOn est necesse ut dolor ad hoc Sacramentum requisitus sit perfecta contritio, sive ut nitatur motivo charitatis; sed sufficit saltem attritio concepta ex motivis quibusdam perfectioribus, quam sit metus gehennæ; aut turpitudo peccati ut v. g. quod peccata sint aliquis contemptus divinæ Majestatis: quod sint contra obedientiam Deo debitam: quod sint Deo injuriosa &c. nec puto adversarios id negaturos: atqui dolor conceptus ex istis motivis non est contritio perfecta, cum non sit dolor propter Deum super omnia dilectum ergo &c. p 280.n.655

Sufficit etiam attritio concepta ex metu gehennæ, sumendo gehennam prout etiam comprehendit privationem possessionis Dei: quia dolor iste includit, aut saltem præsupponit amorem concupiscentiæ erga Deum; ac proindè peccator vi illius verè convertitur ad Deum; Ibid. n.656

Sufficit quoque attritio concepta ex solo metu gehennæ sumendo gehennam pro sola perenni pœna sensus à Deo infligenda ob peccatum. Ita longe communius DD. post Trid. ly tamen *solo* non debet sumi exclusivè per positivam rejectionem aliorum motivorum; quia illud esset inordinatum: sed præcisive quia scilicet vel alia motiva non se offerunt, vel ad illa non attenditur. pag.281.n.657

Prob. conclusio 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4 ubi dum contra Lutherum definivit attritionem ex metu gehennæ conceptam esse donum Dei, & impulsum Spiritus S. subjungit *& quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponit.* Id autem intelligendum esse de dispositione proxima, non remota, ut volunt adversarii patet ex eo quod simpliciter dicat *disponit* nulla facta mentione ulterioris dispositionis. pag.281, & seq.n.658

Prob. 3. quia si requireretur contritio seu dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum, Sacramentum Pœnitentiæ semper præsupponeret effectum suum videlicet remissionem peccatorum, quia semper essent remissa vi præcedentis contritionis. Neque dici potest quodvis remittendi peccata non competat omni contritioni, sed tantum intensæ, quia id supra n. 550. & seqq. sufficienter refutatum est. pag. 283. 284 n.662. & seqq.

Prob. 4. ex Pontificibus diserte asserentibus salutem morientium ita quandoque pendere à Sacerdotis absolutione, ut propter ejus defectum damnentur. Illud enim esset falsum si contritio necessaria esset ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut consideranti patebit. pag.Ibid.n 665

Prob. denique 5. quia alioqui vita salutis esset difficilior in lege gratiæ, quam in Mosaica, aut naturæ: quia tunc sufficiebat contritio absque confessione: nunc autem utrumque requireretur. p.285.n.666

§. IV.

§. IV.

Solvuntur obiectiones petitæ ex Scriptura & Patribus ac Trid.

Dices 1. Deut. 4. & Joel. 2. & alibi ad veram Pœnitentiam requiritur conversio ex toto corde: nemo autem dicitur facere ex corde, quod facit ex metu R. esse æquivocationem in ly *ex corde*: si enim conversio ex corde eadem sit ac conversio ex amore, eo quod cor sit sedes amoris, verùm est quod assumitur. Falsum autem, si conversio ex corde eadem sit ac vera & sincera conversio: vere enim ac sincere potest peccator converti ex metu gehennæ. pag 285.n.667

Dices 2. Joan. 3. dicitur, *qui non diligit manet in morte*. Et Apostolus. 1. ad Cor. 13. asserit nihil prodesse absque charitate. R. ly *non diligit* apud Joan. & ly *non habeam charitatem* apud Apost. sumenda esse contrariè pro actu odii. pag.285.286.n 668

Dices 3 Augustinus aliique PP. variis locis ad veram pœnitentiam requirunt amorem Dei, excluduntque timorem pœnarum R. vel illos esse intelligendos non de eo, quod absolutè necessarium est; sed de eo quod melius & certius est. Vel agere de pœnitentia etiam extra Sacramentum sufficienti. Vel timorem pœnarum accipere pro timore servili. pag.286.287.288.n.670 & seqq.

Dices 4. Trid. sess. 6. cap. 6. inter actus ad Baptismum disponentes enumerat amorem *quo*, inquit, *Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiant*. Ergo id etiam prærequiritur ad Sacramentum pœnitentiæ; quia ut minimum tam perfecta dispositio ad illud requiritur, quam ad Baptismum R. 1. non omnes actus illic enumeratos esse necessarios; alioqui enim etiam necessarius esset timor divinæ justitiæ, cum hic actus etiam recenseatur R. 2. istum inchoatum Dei amorem dici posse includi in proposito servandi omnia Dei præcepta, in quantum in illis consistit vera justitia, & inter illa continetur præceptum diligendi Deum. pag.288 n.673

Hæc verba, *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem &c.* quæ Trid. subjungit prædictis verbis, *quo Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiant*: possunt indifferenter referri ad omnia motiva, quæ illic proponuntur ante ly *propterea*. pag.289 n.674

Dices 5. idem Trid. sess. 14. cap 3. inter partes Sacramenti Pœnitentiæ simpliciter assignat contritionem: & cap 4. dicit contritionem fuisse quovis tempore necessariam ad justificationem: atqui contritio simpliciter posita supponit pro perfecta: ergo &c. R. Trid. utroque loco sumere contritione generatim prout abstrahit à perfecta & imperfecta, ut patet ex eo quod postea illam dividat in perfectam, & imperfectam. pag.290 291.n.676.& seqq.

Dices 6. Pp. Tridentini, ut refert. Paluvic. lib. 12. cap. 10. jusserunt ex decreto hæc verba expungi, *verum etiam sufficere ad Sacramenti huius constitutionem* R. 1. hæc etiam verba *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat* fuisse etiam expuncta: quorum verborum

borum expunctio magis nocet adversariis, quam aliorum nobis. Inde enim manifestum est ex mente Patrum attritionem absque aliquo dilectionis motu ad Dei gratiam, ut jam habet Trid. in Sacramento impetrandam disponere. pag.291.292.n.679 & seqq.

R. 2. directè, prædicta verba fuisse sublata; vel quia locutio erat impropria: non enim rectè dicitur quod pars sufficiat ad constitutionem totius. Vel ne istis verbis damnaretur sententia Scoti totam hujus Sacramenti essentiam constituentis in Sacerdotis absolutione. ib.n 681

Ad id autem, quod dicit Palavissinus, prædictam mutationem factam fuisse ad instantiam Episcopi Tudetani Patres admonentis variare authores circa sufficientiam attritionis R. verisimiliter præfatas, rationes nostras fuisse etiam ab aliis allatas: sed hoc quoque dato, nihil aliud indè sequitur etiam quam quod sententia de sufficientia attritionis non sit à Trid. definita, cum quo manet quod Concilium ea dixerit, ex quibus valide probabiliter id infertur. pag.293.n.682

Dices 7. attritio concepta ex metu gehennæ non excludit affectum ad peccatum: ergo non est sufficiens. Consequentia clara est. Prob. ant. 1. quia potest quis velle vitare gehennam & velle tantum postea adhibere media necessaria ad illam vitandam, adeòque velle adhuc hic & nunc permanere in peccato: 2. quia quod fit ex metu est involuntarium secundum quid, ut docet Philosophus: sed ideò est tale, quia remanet affectus ad contrarium ejus quod fit ex metu ergo &c. pag.293.294. n. 683

R. neg. ant. alioqui enim vellet talis Efficaciter vitare gehennam ut supponitur. Et non vellet; quia adhuc retineret id quod est inductivum gehennæ, videlicet affectum ad peccatum. Ibid.& eod. num.

Ad 1. rationem in contrarium R. id quidem verum esse, sed etiam esse verum, quod is qui ex metu gehennæ, vult hic & nunc se in eo statu ponere, in quo vitaret gehennam, si ipsi jam esset moriendum; quod inquam talis debeat hic & nunc deserere peccatum, & omnem erga illud affectum exuere. Jam autem qui dolet de peccatis ex metu gehennæ vult se ut suppono, in dicto statu constituere. pag.294.n.684.

Ad 2. R. id esse verum, quando ad vitandum malum, quod timetur, non est necessaria depositio affectus ad contrarium ejus quod fit ex metu. Secus, quando id etiam necessarium est, ut accidit in nostro casu. Ita si ad vitandum naufragium non satis esset merces projicere in mare, sed etiam deponendus esset erga illas affectus, non esset tunc ista mercium projectio involuntaria secundum quid, quia non remaneret tunc affectum erga illas. pag.295.n,685

Dices 8. timor gehennæ non causat displicentiam peccati secundum se: ergo relinquit affectum ad peccatum secundum se R. timorem gehennæ istam quidem displicentiam non causare directè immediatè: id tamen facere indirectè mediatè, in quantum excludit id omne quod est inductivum gehennæ, adeòque & affectum ad peccatum secundum se, cum talis affectus sit inductivus gehennæ. pag.296.n.687

Dices 9. qui abstinet à peccato ex solo metu gehennæ, habet virtualiter hunc actum, peccarem si non timerem gehennã. R. falsum esse assumptũ; quia posset adhuc abstinere à peccato propter alia motiva, quæ possent se offerre. Et dato quod revera peccaret, si abesset metus gehennæ, nõ haberet tamen propterea virtualiter prædictum actum. Sicut ex eo quod

aliquis

aliquis peccaret, si esset in tali occasione, non ideò tamen potest dici habere virtualiter hunc actum: velle peccare, si abesset talis occasio. pag.296.n.688

Dices 10. qui odit peccatum propter gehennam, non odit peccatum plusquam omne aliud malum; quia non odit illud plusquam gehennam: sed contra magis odit gehennam quam peccatum, juxta illud; *propter quod unumquodque est tale, & illud magis.* p.292.n.689.&seq.

R. in isto actu nullam fieri comparationem; ac proindè non posse aliquam per istum actum dici formaliter & explicitè plus aut minus odisse peccatum quam gehennam, sed tantum à metu gehennæ moveri ad vitandum peccatum. Quia verò actus ille quo quis mallet peccare quam pati gehennam redderet eum dignum gehenna: non potest quis ex metu gehennæ detestari id omne quod est inductivum gehennæ, nisi etiam virtualiter & implicitè istum actum detestetur. Ibid.n.690

Nemo quidem potest istum actum, quo maluisset peccare, quam pati gehennam, retractare formaliter, immediatè ex metu gehennæ, eligendo pati gehennam potius quam peccare: id tamen potest mediatè & virtualiter, in quantum ex metu gehennæ potest velle vitare omne peccatum. pag.297.298.& eod. num.

Dices 11. dolor de peccatis ex metu gehennæ fundatur in amore proprio. R. dari amorem proprium ordinatum, & talem esse amorem illum quo quis vult vitare gehennam. pag.298.n.692

Loca illa, in quibus Augustinus aliique Patres asserunt per timorem gehennæ non expelli affectum ad peccatum, intelligenda sunt de timore strictè servili positivè excludente amorem justitiæ, sive ut loquitur S. Th. 2.2.q.19.a.4. ad 1. *de timore servili in quantum servilis est*: non autem de timore latè servili, sive de servili tantum materialiter, quo præcisè timetur pœna, & propter pœnam abstinetur à peccato; non excludendo alia motiva, sed tantum ab illis abstrahendo. pag. 209.300.301.n 693. &seq.

§. V.

Refutatur Carolus ad Assumptione.

Ex his collige omninò à veritate alienum esse quod post Jansenium docuit P. Carolus ab assump. in opusc. suo de contrit. cap. 1. §.4. videlicet eum peccare qui ex solo timore pœnæ operatur: id enim repugnat Scripturæ non raro ex sola pœnarum communicatione homines excitantis ad vitanda peccata. Et Patribus id facientibus: & ipsi etiam rationi demonstranti non posse eum peccare, qui bonum operatur ex bono motivo quale motivum est timor gehennæ. p.301.302.& seq.

In hac tamen aut simili propositione *non peccata qui ex solo timore gehennæ dolet de peccatis servat mandata &c.* ly *solo* non debet sumi exclusive per positivam rejectionem aliorum motivorum, quod esset inordinatum: sed tantum præcisivè per abstractionem ab aliis motivis, eo quod tunc v. g. non occurrant animo; ac proinde verè solus timor tunc moveat. pag.303.n.770

Non minus exotica & falsa est doctrina ejusdem P. Caroli ab Assump. ponentis in Pentalogo suo diaphorico internam peccatorum contritionem,

nem,

nem, seu ut loquitur, contritionem ut est in corde non esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantum dispositionem ad ejus effectum. Ex quo infert confessum peccata sua sine interno dolore & sic absolutum, non debere postea confessionem suam iterare, sed sufficere si peccatum istud indebitæ dispositionis confiteatur, tuncque eum si adsit debitus dolor, recepturum effectum prioris absolutionis. p. Ibid. n. 701

Huic doctrinæ in terminis contradicit Florent. in decr. de Sacram. his verbis: *quartum Sacramentum est Pœnitentia cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quare prima est contritio cordis*. Contradicit etiam Trid. sess. 14. cap. 3. pro parte hujus Sacramenti simpliciter assignans contritionem, quo nomine non potest intelligi externa sine interna, quia sine interna non est veri nominis contritio. Contradicit etiam ratio: quis enim credat Christum pro parte hujus Sacramenti assumpsisse dolorem fictum & mendacem, qualis est externus sine interno. pag. 304. n. 702. & seqq.

Tuetur se authoritate S. Thomæ & in eum finem adfert ex eo quinque loca, sed quatuor primis nihil aliud vult S. Doctor, quam quod externi actus pœnitentis habeant rationem materiæ in Sacramento Pœnitentiæ, simul scilicet cum internis, quorum sunt signum: quod etiam nos asserimus. pag 305. 307. n. 705

Difficile quidem est quod habet postremo loco in quo asserit confessionem factam absque dolore interno non esse iterandam, sed sufficere si fictionem istam seu defectum quis confiteatur, ut prior absolutio reviviscat & effectum suum producat Verum cum pluribus locis allatis n. 706 requirat etiam internum dolorem; ne sibi contradicat; dicendum id, quod illic habet, restringendum esse ad casum quo pœnitens fictionem suam eidem Sacerdoti confitetur adhuc memori peccatorum prioris confessionis. pag. 306. 307. n. 707

Videtur S. Thomas stetisse pro sufficientia attritionis in Sacramento; cum variis locis allatis n. 708. expresse dicat attritionem sufficere. Dum autem locis objectis ad pœnitentiam requirit actum charitatis, agit de pœnitentia ut virtus est, & sufficit ad remittenda peccata extra Sacramentum. pag. 307 308. 309. n. 708 & seqq.

Sententia ne sufficientia attritionis est multo probabilior opposita, ideoque aliquo modo moraliter certa: quia tamen non est absolutè certa; in praxi procuranda est contritio, ut certius consulatur validitati absolutionis, præsertim cum id facilè fieri possit. Quando tamen pœnitentes rudes sunt; aut inveterati peccatores expedit illis etiam proponere motivum gehennæ; quia tales solent efficacius per hoc motivum induci ad dolorem & detestationem peccatorum, quam per motivum charitatis, quod sæpe non satis penetrant. pag. 309. 310 311. 312. n. 713. & seqq.

Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum & informe ex parte absolutionis, ut satis constat. Neque ex parte confessionis; quia vel est formaliter integra, vel non. Si primum sufficit ad valorem, & effectum Sacramenti. Si secundum ad neutrum sufficit. Neque etiam ex parte doloris, quod magis controversum est; quia non potest dolor sufficere ad essentiam hujus Sacramenti, nisi pariter sufficiat ad ejus effectum: cum enim hoc Sacramentum sit essentialiter reconciliativum, exigit dolorem qui sit sufficiens dispositio ad reconciliationem p. 313. 314. n. 720. & seqq.

Dolor non extendens se ad peccata oblita nunquam retractata non tantum est insufficiens ad effectum hujus Sacramenti sed etiam ad valorem. Quod si extendat se ad peccata oblita non tantum sub ista ratione est dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam est pars illius: redditurque in eum finem, sufficienter sensibilis per istam confessionem, quatenus confessio est signum quod pœnitens velit reconciliari Deo, adeoque quod in eum finem doleat de omnibus peccatis. pag. 314. 315. n. 723. & seq.

Quod si dolor præsens non extendat se ad peccata oblita, fuerint tamen illa prius retractata sive formaliter, sive tantum virtualiter; sufficiet iste dolor & ad valorem & ad effectum Sacramenti, quia tunc nihil obest quominus sufficiat. pag. 316. 317. n. 727

Potest Baptismus esse validus & informis, potius quam hoc Sacramentum; quia pro dispositione ad effectum suum non includit aliquid requisitum ad suam essentiam; sicut includit hoc Sacramentum, vide, licet dolorem de peccatis. pag. 317. n. 729

§. VI.

De Confessione sacramentali.

Confessio sacramentalis est legitima accusatio pœnitentis de peccatis propriis facta Sacerdoti, ut ab iis absolvatur. Est jure divino præcepta: ut constat 1. ex his Christi verbis *quorum remiseritis peccata remittuntur eis: quorum retinueritis retenta sunt.* Hæc enim potestas retinendi peccata non posset ad usum redigi, si non esset necessaria confessio 2. ex pluribus Conciliis, iisque antiquissimis, in quibus hæc veritas definita est: 3. ex unanimi PP. consensu apud Bellar. 4. denique ex perpetuò usu Ecclesiæ non solum Latinæ, sed etiam Græcæ: qui usus nunquam fuisset inductus, nisi confessio fuisset jure divino præcepta. pag. 318. 319. n. 730. & seq.

Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus non sustulit confessionem sacramentalem secretam; sed tantum publicam: idque occasione scandali indè orti ex declaratione complicis. De eadem intelligendus est Chrysostomus cum videtur improbare confessionem homini facta. Vel agit de quotidiana coram solo Deo per examen conscientiæ. pag. 320. 321. n. 733. & seq.

Hoc divino confessionis faciendæ præcepto obligantur omnes, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt. Quandonam autem præcisè urgeat extra mortis articulum, aut grave ejus periculum, difficile est determinare. Undè merito Ecclesia præcepto suo determinavit, ut non differatur ultra annum. pag. 321. 322. n. 736

Præceptum hoc Ecclesiasticum per se loquendo non respicit usum determinatum anni tempus sed impleri potest quolibet anni tempore. Qui tamen habet mortalia tempore Paschali obligatur ad tunc confitendum ratione communionis tunc faciendæ. pag. 322. 323. n. 737

Satisfit huic præcepto per confessionem factam Regularibus privilegiatis ut patet 1. ex Bulla Leon. 10. quæ incipit *Dum intra mentis arcanum*

tantum: 2. ex Bulla Pauli 5. quæ incipit. *Licet debitum*: 3. ex Bulla Clementis 8. cujus initium est *Significatum fuit nobis*. pag. 323. n. 738

Proprius Sacerdos non tantum est Parochus sed etiam Episcopus, & summus Pontifex: unde Regulares privilegiati audentes confessiones de licentia summi Pontificis non excluduntur per cap. *omnis utriusque sexus*: ubi præcipitur ut quilibet fidelis saltem semel in anno *confiteatur proprio Sacerdoti aut alteri de eius licentia*. Extravagantes autem Martini 5. & Sixti 4. abrogatæ sunt per sequentes pontifices. pag. ibid. n. 739. & seqq.

Non satisfit huic præcepto per confessionem invalidam: quia finis hujus præcepti est reconciliatio peccatoris cum Deo; quæ non potest haberi per talem confessionem. pag. 324 n 741

Dices cap. *omnis utriusque sexus* tantum præcipitur confessio peccatorum, nulla facta mentione internæ contritionis; quia scilicet Ecclesia non potest præcipere actus internos: ergo si confessio sit tantum invalida defectu istius internæ contritionis, per illam satisfiet præcepto. R. præcipi illic confessionem in ordine ad reconciliationem peccatoris cum Deo, adeoque, saltem implicite, confessionem cum interna contritione. Actus autem interni possunt, saltem indirecte ab Ecclesia præcipi. pag. 324. 325. n. 742. & seq.

Secreta peccatorum confessio fuit in usu ab ipso Ecclesiæ exordio: & quamvis primis sæculis in usu etiam fuerit publica, sola tamen secreta fuit præcepta. Et verò onus publicè confitendi peccata occulta fuisset intolerabile. pag. 325. 326 n. 746

Regulariter loquendo facienda est confessio oris locutione. Non est tamen de essentia illius, ut ita fiat; sed potest etiam validè fieri vel gestu, vel nutu, vel scripto, si desit facultas loquendi. pag. 326. n. 748

Illicitum est confiteri absenti per litteras aut internuncium, & sic confessum absolvere. Item absentem absolvere post confessionem in præsentia factam: & etiam secluso casu extremæ necessitatis, præsentem absolvere post confessionem in absentia facta. Hæc enim propositio: *licet per litteras aut internuncium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; damnata est à Clemente 8. non tantum complexim, sic ut utrumque & confessio & absolutio inter absentes peragatur: sed etiam divisim, ut ipsemet declaravit. Et meritò; quia absolutio his tribus casibus data exponeretur periculo nullitatis, quia non satis esset nota dispositio pœnitentis, dum absolveretur, ut consideranti patebit. p. 326. 327 n. 750. & seqq.

Potest nihilominus, imo & debet moribundus sensibus destitutus à Sacerdote præsente absolvi, si per testes constet eum ante Sacerdotis adventum dedisse signa Pœnitentiæ, ut communiter sentiunt DD. contra Thomistas contrarium sentientes, tum quia putant ad valorem Sacramenti non sufficere signa generalia Pœnitentiæ; tum etiam quia censent id esse contra prædictum Clementis decretum. pag. 331. n. 761

Prob. 1. conclusio ex Conc. Arausi. 1. can. 12. Carth. 4. c. 67. & S. Leone Ep. 91. c. 5. expressis terminis asserentibus hujusmodi moribundis beneficium pœnitentiæ & reconciliationis, ut loquuntur, esse impertiendum. Idque intelligendum de reconciliatione sacramentali, non autem de aliqua ceremoniali, ut volunt adversarii; colligitur 1. ex eo quod S.

Ut remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor formalis: ut autem id fiat per alia Sacramenta sufficit virtualis inclusus in actu aliquo excludente affectum ad venialia: ratio disparitatis est quod dolor formalis sit de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Ibid. n. 281

Certum est varia sacramentalia ac præsertim aquam lustralem habere vim aliquam ad remittenda venialia: quia hoc est communis fidelium sensus. Hunc tamen effectum non videntur habere immediatè ex opere operantis mediante scilicet pœnitentia vel formali, vel virtuali, ad quam auxilia aliqua infallibiliter à Deo impetrant. pag. 249. 250. n. 584. & seqq.

Peccata venialia remittuntur formaliter per specialem productionem gratiæ dicentem intrinsecum ordinem ad Deum ut condonantem hæc aut illa venialia. Nec inde sequitur venialia prius natura remitti in peccatore quam mortalia: quia licet productio gratiæ sit aliquo modo natura prior ipsa gratia; non est tamen talis, ut est terminus divinæ voluntatis venialia condonantis. pag. 250. 251. n. 588

§. IV.

De meritorum per pœnitentiam reviviscentia.

Merita bonorum operum per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam, ut colligitur ex Apost. ad Hæb. 6. *non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri*. Et ad Gal. 3. *tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*. Ratio est quod merita per peccatum non deleantur, sed tantum impediantur; ac proinde sublato impedimento reviviscant. Cur autem potius peccata absolute deleantur per actum charitatis, potius quam merita per peccatum, id refundendum est in Dei bonitatem pronioris ad miserendum, quam ad puniendum. pag. 251. 252. n. 591. & seqq.

Non tantum merita reviviscunt ad præmium aliquod accidentale: neque solum ad partem aliquam essentialis præmii, sed ad totum essentiale, quod prius ipsis erat debitum. Non enim est ratio cur ad partem potius reviviscant, quam ad totum, ut patebit consideranti rationes supra allatas pro reviviscentia. pag. 253. n. 594

Præmium ad quod totum reviviscunt est adæquate distinctum à præmio quod debetur actui pœnitentiæ, per quem reviviscunt; quia meritis adæquatè distinctis debentur præmia adæquate distincta. pag. 254. n. 595.

Quod dictum est de reviviscentia meritorum ad totum præmium essentiale, videlicet ad gloriam cœlestem, intelligi etiam debet de eorundem reviviscentia ad totam gratiam priorem, cum pro ea etiam valeant rationes allatæ, & ejus ad gloriam in gratia fundetur. p. 255. n. 599.

Neque obstat quod gratia infundatur juxta mensuram præsentis dispositionis, quæ in peccatore resurgente raró adæquat totam priorem gratiam, quia id debet intelligi de gratia, quæ per se infunditur ratione præsentis dispositionis: non vero de gratia quæ tunc datur ratione meritorum præcedentium. pag. 256. n. 600

Pec-

Peccata remissa non revivifcunt per fequentia five quoad culpam, five quoad pœnam, ut colligitur ex Scripturis afferentibus peccata per pœnitentiam abfolutè condonari. Idque etiam diferte docet Gelafius Papa relatus de pœnitentia dift. 4. c. ultimo his verbis: *divina Clementia remiffa peccata ad ultionem ulterius vivere non patitur.* pag.256.n 603

Quando Scriptura fignificat Deum recordari peccatorum, intelligenda eft vel de pœna peccatorum necdum remifforum: vel pœna temporali remifforum, quorum videtur oblivifci, dum differt ea punire, recordari vero, dum ea punit menfura per fequentes lapfus impleta. pag.258.n.604

Ex parabola fervi immifericordis non recte infertur peccatorum reditus: & Auguftinus aliique Patres id ex ea inferentes, intelligendi funt de virtuali peccatorum reditu paulo poft explicando. Ibid.n.605

Ex verbis autem Ezechielis cap. 18. ubi Deus dicit fe non recordaturum omnium iniquitatum impii *fi egerit pœnitentiam* ficut dicit fe non recordaturum omnium juftitiarum jufti *fi averterit fe à iuftitia*: hoc folum colligi poteft, quod ficut peccata non nocebunt impio in ordine ad pœnam æternam fi egerit pœnitentiam: ita merita jufti nihil profutura jufto in ordine ad vitam æternam, fi peccet, & in peccato moriatur. pag. Ibid.n.606

Peccata remiffa femper quinem remanent in Dei abominatione fecundum fe, non tamen in ordine ad reddendum hominem Deo odibilem. pag 259.n 607

Variis tamen modis dici poffunt peccata remiffa virtualiter redire per fubfequentia: 1. quia iterum peccator fit reus pœnæ æternæ: 2. quia fequentia ob præcedentia, ratione ingratitudinis, fiunt graviora: 3. ratione fubtractionis efficacium auxiliorum ob priora peccata; unde fit ut peccator in nova labatur: 4. ratione pœnarum temporalium, quas Deus infligit menfura per fubfequens peccatum impleta. pag.269,271.610.

§. V.

De Obligatione aliquando pœnitendi.

TEnetur peccator aliquando pœnitere, ut constat ex dictis de necessitate pœnitentiæ: non tamen statim à peccato, ut communiter censent DD. 1. quia non est sufficiens fundamentum tam gravis obligationis, ut patebit ex solutione objectionum: 2. quia præceptum pœnitendi est affirmativum: præcepta autem affirmativa non solent statim obligare 3. ex praxi timoratorum, qui non solent confiteri, quod non statim pœnitentiam egerint 4. quia Ecclesia tantum præcipit ut fideles semel in anno confiteantur: ergo signum est quod non sit obligatio statim pœnitendi. pag. 260. 261. n. 612. & seqq.

Scripturæ quæ videntur obligare peccatorem ad statim pœnitendum vel dicendæ sunt continere tantum consilium: vel intelligendæ sunt de actuali affectu ad peccatum, quem statim tenetur peccator deponere. pag. 261 262. n. 614

Tenetur quidem peccator statim se avertere à peccato suo aversione actuali negativa, id est desinere ad actuali affectu erga illud: non tamen actuali aversione positiva per actum contritionis. Ibid. n. 616

Sicut non tenetur æger continuo adhibere remedium, nisi ex dilatione immineat grave periculum: ita nec peccator. pag. 263. n. 617

Qui proximum offendit tenetur quidem statim deponere odium, non tamen statim redintegrare amicitiam. Idem dic de peccatore respectu Dei. Non tenetur etiam peccator statim satisfacere Deo pro injuria ipsi per peccatum illata; quia Deus ex ista satisfactionis dilatione nullum damnum patitur. Ita non tenetur homo homini satisfacere pro injuria illata, quando ex dilatione satisfactionis nullum incurrit damnum. ibid. n. 619. & seq.

Ex omissione pœnitentiæ ad aliquod tempus non sequitur quod peccator contemnat Dei amicitiam, quia cum tali dilatione stare potest efficax propositum eam recuperandi opportuno tempore. pag. 264. n. 620

Ex dictis videtur sequi licere peccatori nolle pœnitere pro aliquo tempore; cum videatur ei licitum nolle facere, quod non tenetur facere: non tamen velle perseverare in statu peccati; quia hoc esset velle aliquid per se & intrinsecè malum. Ibid. n. 621

Qui vult hic & nunc non pœnitere, non propterea vult perseverantiam in Dei inimicitia; quia ista perseverantia non est per se connexa cum negatione pœnitentiæ, sed tantum per accidens, nempè ex suppositione peccati antea commissi, & decreti divini de peccato sine pœnitentia non remittendo. pag. 265. n. 622

Hæc solutio, licet sit communis, non caret difficultate, quia licet permanentia in Dei inimicitia sit tantum necessariò connexa cum negatione pœnitentiæ ex prædicta suppositione: utrumque tamen supponitur & scitur ab eo qui non vult pœnitere, adeoque non videtur posse hoc velle; nisi ex consequenti velit istam perseverantiam. pag. ibid. n. 623

Undè videtur potius dicendum non esse licitum positivè velle non pœnitere etiam pro aliquo tempore, sed tantum permissivè se habere circa

circa omissionem pœnitentiæ, sicut circa permanentia in Dei inimicitia. pag.266.& eod.num.

Quod si instes & dicas mihi licet velle, quod licet esse. R. id esse tantum verum quando circa illud esse possum me habere positivè v. g. illud procurando, intendendo: non autem quando tantum possum me habere permissivè: ut patet in Deo qui potest peccata permittere, non velle. pag.266.n.624

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I.

Sacramenti Pœnitentiæ Institutio, Necessitas, & Essentia.

Fide certum est dari in Ecclesia Sacramentum Pœnitentię habens vim remittendi peccata. Hæc veritas definita est à variis Conciliis Later. Florent. & Trid. traditurque à Patribus apud Bellarm. constatque ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ. pag.266.267.n.625

Fuit autem hoc Sacramentum institutum à Christo post Resurrectionem, quando Joan. 20. insufflavit in discipulos, & dixit eis; *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* Ibid.n 626

Hæc verba Christi Mat. 18. *amen dico vobis; quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*; Intelligenda sunt non de potestate clavium ad remittenda peccata; necdum enim tunc Apostoli erant Sacerdotes: sed de potestate ferendi sententiam in foro externo per censuras Ecclesiasticas, ut explicat S. Th. scribens in eum locum. pag.238 n.627

Sacramentum Pœnitentiæ relapsis post Baptismum necessarium est necessitate medii, ut colligitur ex Christi verbis Joan. 20. quibus dat potestatem non tantum peccata remittendi, sed etiam retinendi: quod non stat sine necessitate hujus Sacramenti. pag.268.n.628

Sufficit in voto, quando reipsa non potest haberi: constat enim posse peccatorem justificari per contritionem perfectam, sic tamen ut justificatio juxta Trid. sess. 14. cap. 4. non sit adscribenda contritioni, nisi prout continet votum Sacramenti. pag.ibid.n.629

Sacramentum hoc intrinsecè constituitur ex contritione confessione, & satisfactione pœnitentis, tanquam materia: absolutione Sacerdoti, tanquam forma. Satisfactio tamen non habet se per modum partis essentialis, sed tantum integralis. Peccata verò sunt tantum materia circa quam actus pœnitentis, & absolutio Sacerdotis versantur. pag.269.270.n.630.& seq.

§. II.

§. II.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

NOn sufficit ad hoc Sacramentum dolor virtualis inclusus in actu charitatis, aut altero pio motu excludente effectum ad peccatum; sed requiritur dolor formalis; ut patet ex Flor. & Trid. pro parte hujus Sacram. assignantibus contritionem. Non sufficit etiam ut sit existimatus, sed debet esse verus: quia existimatio non potest supplere defectum partis essentialis. Debet quoque esse supernaturalis; quia quod naturale est, non potest ad salutem conducere. p 270.271.n.634.& seq.

Necessarium etiam est ut sit efficax, saltem quoad effectum, quia debet excludere voluntatem peccandi. Non tamen debet esse necessario efficax quoad effectum, hoc sensu quod pœnitens vi illius nunquam amplius debeat peccatum, de quo doluit, iterare. pag.272.n.638

Requiritur quoque ad remissionem mortalium ut sit universalis, hoc saltem sensu, quod debeat se extendere ad omnia mortalia admissa, quia non potest unum mortale remitti sine altero. Secus est de venialibus, ob contrariam rationem. pag.Ibid.n.639

Non videtur tamen necessarium ut sit hoc sensu universalis, quasi necessario niti debeat motivo extendente se ad omnia mortalia tam commissa, quam non commissa 1. quia Trid. sess. 14. cap. 4. dicit contritionem esse *dolorem ac detestationem de peccato admisso* 2. quia ibid. pro motivo attritionis sufficiens adfert turpitudinem ipsius peccati, quod videtur intelligendum, aut saltem posse intelligi de speciali turpitudine peccati admissi 3. quia contritio sub ratione doloris non potest se extendere ad peccata non commissa: ergo nec debet se ad ea extendere sub ratione detestationis: quia satis est quod detestatio in ea feratur, ad quæ dolor se extendit. pag 273.n.640

Idem dic de proposito non peccandi, ac de dolore, videlicet sufficere propositum vitandi peccata admissa, & in confessione declarata: absitque omnis affectus erga alia. In praxi tamen curandum est ut dolor & propositum concipiantur ex motivo universali. pag.273.274. n.641. & seq.

Dolor ad hoc Sacramentum requisitus debet præcedere aut saltem concomitari absolutionem; quia indignus est venia, qui de peccatis non doluit. Non videtur tamen absolutè necessarium, ut præcedat confessionem; quia confessio morali consideratione sufficienter informatur à dolore paulo post subsequente. pag.274 275 n.643

Absolutè loquendo sufficit propositum virtuale inclusum in efficaci peccatorum dolore. Moraliter tamen loquendo necessarium est formale propositum: quia si dolor sit efficax necessario pœnitentem de vita emendanda cogitantem determinat ad tale propositum. Et in praxi à pœnitentibus saltem rudioribus exigendum est. pag.275.276.n.646

§. III.

§. III.

De sufficientia attritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ.

NOn est necesse ut dolor ad hoc Sacramentum requisitus sit perfecta contritio, sive ut nitatur motivo charitatis; sed sufficit saltem attritio concepta ex motivis quibusdam perfectioribus, quam sit metus gehennæ; aut turpitudo peccati ut v. g. quod peccata sint aliquis contemptus divinæ Majestatis: quod sint contra obedientiam Deo debitam: quod sint Deo injuriosa &c. nec puto adversarios id negaturos: atqui dolor conceptus ex istis motivis non est contritio perfecta, cum non sit dolor propter Deum super omnia dilectum ergo &c. p 280.n.655

Sufficit etiam attritio concepta ex metu gehennæ, sumendo gehennam prout etiam comprehendit privationem possessionis Dei: quia dolor iste includit, aut saltem præsupponit amorem concupiscentiæ erga Deum; ac proindè peccator vi illius verè convertitur ad Deum; Ibid. n.656

Sufficit quoque attritio concepta ex solo metu gehennæ sumendo gehennam pro sola perenni pœna sensus à Deo infligenda ob peccatum. Ita longe communius DD. post Trid. ly tamen *solo* non debet sumi exclusivè per positivam rejectionem aliorum motivorum; quia illud esset inordinatum: sed præcisive quia scilicet vel alia motiva non se offerunt, vel ad illa non attenditur. pag.281.n.657

Prob. conclusio 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4 ubi dum contra Lutherum definivit attritionem ex metu gehennæ conceptam esse donum Dei, & impulsum Spiritus S. subjungit *& quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponit*. Id autem intelligendum esse de dispositione proxima, non remota, ut volunt adversarii patet ex eo quod simpliciter dicat *disponit* nulla facta mentione ulterioris dispositionis. pag.281.& seq.n.658

Prob. 3. quia si requireretur contritio seu dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum, Sacramentum Pœnitentiæ semper præsupponeret effectum suum videlicet remissionem peccatorum, quia semper essent remissa vi præcedentis contritionis. Neque dici potest quodvis remittendi peccata non competat omni contritioni, sed tantum intensæ, quia id supra n. 550. & seqq. sufficienter refutatum est. pag. 283. 284 n.662.& seqq.

Prob.4. ex Pontificibus diserte asserentibus salutem morientium ita quandoque pendere à Sacerdotis absolutione, ut propter ejus defectum damnentur. Illud enim esset falsum si contritio necessaria esset ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut consideranti patebit. pag.Ibid.n 665

Prob. denique 5. quia alioqui vita salutis esset difficilior in lege gratiæ, quam in Mosaica, aut naturæ: quia tunc sufficiebat contritio absque confessione: nunc autem utrumque requireretur. p.285.n.666

§. IV.

§. IV.

Solvuntur obiectiones petitæ ex Scriptura & Patribus ac Trid.

DIces 1. Deut. 4. & Joel. 2. & alibi ad veram Pœnitentiam requiritur conversio ex toto corde: nemo autem dicitur facere ex corde, quod facit ex metu R. esse æquivocationem in ly ex *corde*: si enim conversio ex corde eadem sit ac conversio ex amore, eo quod cor sit sedes amoris, verum est quod assumitur. Falsum autem, si conversio ex corde eadem sit ac vera & sincera conversio: vere enim ac sincere potest peccator converti ex metu gehennæ. pag 285. n. 667

Dices 2. Joan. 3. dicitur, *qui non diligit manet in morte*. Et Apostolus. 1. ad Cor. 13. afferit nihil prodesse absque charitate. R. ly *non diligit* apud Joan. & ly *non habeam charitatem* apud Apost. sumenda esse contrariè pro actu odii. pag. 285. 286. n 658

Dices 3 Augustinus aliique PP. variis locis ad veram pœnitentiam requirunt amorem Dei, excluduntque timorem pœnarum R. vel illos esse intelligendos non de eo, quod absolutè necessarium est; sed de eo quod melius & certius est. Vel agere de pœnitentia etiam extra Sacramentum sufficienti. Vel timorem pœnarum accipere pro timore servili. pag. 286. 287. 288. n. 670. & seqq.

Dices 4. Trid. sess. 6. cap. 6. inter actus ad Baptismum disponentes enumerat amorem *quo*, inquit, *Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiant*. Ergo id etiam prærequiritur ad Sacramentum pœnitentiæ; quia ut minimum tam perfecta dispositio ad illud requiritur, quam ad Baptismum R. 1. non omnes actus illic enumeratos esse necessarios; alioqui enim etiam necessarius esset timor divinæ justitiæ, cum hic actus etiam recenseatur R. 2. istum inchoatum Dei amorem dici posse includi in proposito servandi omnia Dei præcepta, in quantum in illis consistit vera justitia, & inter illa continetur præceptum diligendi Deum. pag. 288 n. 673

Hæc verba, *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem &c.* quæ Trid. subjungit prædictis verbis, *quo Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiant*: possunt indifferenter referri ad omnia motiva, quæ illic proponuntur ante ly *propterea*. pag. 289 n. 674

Dices 5. idem Trid. sess. 14. cap 3. inter partes Sacramenti Pœnitentiæ simpliciter assignat contritionem: & cap 4. dicit contritionem fuisse quovis tempore necessariam ad justificationem: atqui contritio simpliciter posita supponit pro perfecta: ergo &c. R. Trid. utroque loco sumere contritione generatim prout abstrahit à perfecta & imperfecta, ut patet ex eo quod postea illam dividat in perfectam, & imperfectam. pag. 290 291. n. 676. & seqq.

Dices 6. Pp. Tridentini, ut refert. Paluvic. lib. 12. cap. 10. jusserunt ex decreto hæc verba expungi, *verum etiam sufficere ad Sacramenti huius constitutionem* R. 1. hæc etiam verba *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat* fuisse etiam expuncta: quorum verborum

borum expunctio magis nocet adversariis, quam aliorum nobis. Inde enim manifestum est ex mente Patrum attritionem absque aliquo dilectionis motu ad Dei gratiam, ut jam habet Trid. in Sacramento impetrandam disponere. pag.291.292.n.679.& seqq.

R.2. directè, prædicta verba fuisse sublata; vel quia locutio erat impropria: non enim rectè dicitur quod pars sufficiat ad constitutionem totius. Vel ne istis verbis damnaretur sententia Scoti totam hujus Sacramenti essentiam constituentis in Sacerdotis absolutione. ib.n.681

Ad id autem, quod dicit Palavissinus, prædictam mutationem factam fuisse ad instantiam Episcopi Tudetani Patres admonentis variare authores circa sufficientiam attritionis R. verisimiliter præfatas rationes nostras fuisse etiam ab aliis allatas: sed hoc quoque dato, nihil aliud indè sequitur etiam quam quod sententia de sufficientia attritionis non sit à Trid. definita, cum quo manet quod Concilium ea dixerit, ex quibus valde probabiliter id infertur. pag.293.n.682

Dices 7. attritio concepta ex metu gehennæ non excludit affectum ad peccatum: ergo non est sufficiens. Consequentia clara est. Prob. ant. 1. quia potest quis velle vitare gehennam & velle tantum postea adhibere media necessaria ad illam vitandam, adeòque velle adhuc hic & nunc permanere in peccato: 2. quia quod fit ex metu est involuntarium secundum quid, ut docet Philosophus: sed ideò est tale, quia remanet affectus ad contrarium ejus quod fit ex metu ergo &c. pag.293.294. n.683

R. neg. ant. alioqui enim vellet talis Efficaciter vitare gehennam ut supponitur. Et non vellet; quia adhuc retineret id quod est inductivum gehennæ, videlicet affectum ad peccatum. Ibid.& eod.num.

Ad 1. rationem in contrarium R. id quidem verum esse, sed etiam esse verum, quod is qui ex metu gehennæ, vult hic & nunc se in eo statu ponere, in quo vitaret gehennam, si ipsi jam esset moriendum; quod inquam talis debeat hic & nunc deserere peccatum, & omnem erga illud affectum exuere. Jam autem qui dolet de peccatis ex motu gehennæ vult se ut suppono, in dicto statu constituere. pag.294.n.684.

Ad 2. R. id esse verum, quando ad vitandum malum, quod timetur, non est necessaria depositio affectus ad contrarium ejus quod fit ex metu. Secus, quando id etiam necessarium est, ut accidit in nostro casu. Ita si ad vitandum naufragium non satis esset merces projicere in mare, sed etiam deponendus esset erga illas affectus, non esset tunc ista mercium projectio involuntaria secundum quid, quia non remaneret tunc affectum erga illas. pag.295.n.685

Dices 8. timor gehennæ non causat displicentiam peccati secundum se: ergo relinquit affectum ad peccatum secundum se R. timorem gehennæ istam quidem displicentiam non causare directè immediatè: id tamen facere indirectè mediatè, in quantum excludit id omne quod est inductivum gehennæ, adeòque & affectum ad peccatum secundum se, cum talis affectus sit inductivus gehennæ. pag.296.n.687

Dices 9. qui abstinet à peccato ex solo metu gehennæ, habet virtualiter hunc actum, peccarem si non timerem gehennã. R. falsum esse assumptũ; quia posset adhuc abstinere à peccato propter alia motiva, quæ possent se offerre. Et dato quod revera peccaret, si abesset metus gehennæ, nõ haberet tamen propterea virtualiter prædictum actum. Sicut ex eo quod aliquis

aliquis peccaret, si esset in tali occasione, non ideò tamen potest dici habere virtualiter hunc actum: velle peccare, si abesset talis occasio. pag. 296. n. 688

Dices 10. qui odit peccatum propter gehennam, non odit peccatum plusquam omne aliud malum; quia non odit illud plusquam gehennam: sed contra magis odit gehennam quam peccatum, juxta illud; *propter quod unumquodque est tale, & illud magis.* p. 292. n. 689. & seq.

R. in isto actu nullam fieri comparationem; ac proindè non posse aliquam per istum actum dici formaliter & explicitè plus aut minus odisse peccatum quam gehennam, sed tantum à metu gehennæ moveri ad vitandum peccatum. Quia verò actus ille quo quis mallet peccare quam pati gehennam redderet eum dignum gehenna: non potest quis ex metu gehennæ detestari id omne quod est inductivum gehennæ, nisi etiam virtualiter & implicitè istum actum detestetur. Ibid. n. 690

Nemo quidem potest istum actum, quo maluisset peccare, quam pati gehennam, retractare formaliter, immediatè ex metu gehennæ, eligendo pati gehennam potius quam peccare: id tamen potest mediatè & virtualiter, in quantum ex metu gehennæ potest velle vitare omne peccatum. pag. 297. 298. & eod. num.

Dices 11. dolor de peccatis ex metu gehennæ fundatur in amore proprio. R. dari amorem proprium ordinatum, & talem esse amorem illum quo quis vult vitare gehennam. pag. 298. n. 692

Loca illa, in quibus Augustinus aliique Patres asserunt per timorem gehennæ non expelli affectum ad peccatum, intelligenda sunt de timore strictè servili positivè excludente amorem justitiæ, sive ut loquitur S. Th. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 1. *de timore servili in quantum servilis est:* non autem de timore latè servili, sive de servili tantum materialiter, quo præcisè timetur pœna, & propter pœnam abstinetur à peccato; non excludendo alia motiva, sed tantum ab illis abstrahendo. pag. 299. 300. 301. n. 693. & seq.

§. V.

Refutatur Carolus ad Assumptione.

EX his collige omninò à veritate alienum esse quod post Jansenium docuit P. Carolus ab assump. in opusc. suo de contrit. cap. 1. §. 4. videlicet eum peccare qui ex solo timore pœnæ operatur: id enim repugnat Scripturæ non raro ex sola pœnarum communicatione homines excitantis ad vitanda peccata. Et Patribus id facientibus: & ipsi etiam rationi demonstranti non posse eum peccare, qui bonum operatur ex bono motivo quale motivum est timor gehennæ. p. 301. 302. & seq.

In hac tamen aut simili propositione *non peccat qui ex solo timore gehennæ dolet de peccatis servat mandata &c.* ly *solo* non debet sumi exclusive per positivam rejectionem aliorum motivorum, quod esset inordinatum: sed tantum præcisivè per abstractionem ab aliis motivis, eo quod tunc v. g. non occurrant animo; ac proinde verè solus timor tunc moveat. pag. 303. n. 770

Non minus exotica & falsa est doctrina ejusdem P. Caroli ab Assump. ponentis in Pentalogo suo diaphorico internam peccatorum contritionem,

fiem, seuut loquitur, contritionem ut est in corde non esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantum dispositionem ad ejus effectum. Ex quo infert confessum peccata sua sine interno dolore & sic absolutum, non debere postea confessionem suam iterare, sed sufficere si peccatum istud indebitæ dispositionis confiteatur, tuncque eum si adsit debitus dolor, recepturum effectum prioris absolutionis. p. Ibid. n. 701

Huic doctrinæ in terminis contradicit Florent. in decr. de Sacram. his verbis: *quartum Sacramentum est Pœnitentia cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quare prima est contritio cordis*. Contradicit etiam Trid. sess. 14. cap. 3. pro parte hujus Sacramenti simpliciter assignans contritionem, quo nomine non potest intelligi externa sine interna, quia sine interna non est veri nominis contritio. Contradicit etiam ratio: quis enim credat Christum pro parte hujus Sacramenti assumpsisse dolorem fictum & mendacem, qualis est externus sine interno. pag. 304. n. 702. & seqq.

Tuetur se authoritate S. Thomæ & in eum finem adfert ex eo quinque loca, sed quatuor primis nihil aliud vult S. Doctor, quam quod externi actus pœnitentis habeant rationem materiæ in Sacramento Pœnitentiæ, simul scilicet cum internis, quorum sunt signum: quod etiam nos asserimus. pag 305. 307. n. 705

Difficile quidem est quod habet postremo loco in quo asserit confessionem factam absque dolore interno non esse iterandam, sed sufficere si fictionem istam seu defectum quis confiteatur, ut prior absolutio reviviscat & effectum suum producat Verum cum pluribus locis allatis n. 706 requirat etiam internum dolorem; ne sibi contradicat; dicendum id, quod illic habet, restringendum esse ad casum quo pœnitens fictionem suam eidem Sacerdoti confitetur adhue memori peccatorum prioris confessionis. pag. 306, 307. n. 707

Videtur S. Thomas stetisse pro sufficientia attritionis in Sacramento; cum variis locis allatis n. 708. expresse dicat attritionem sufficere. Dum autem locis objectis ad pœnitentiam requirit actum charitatis, agit de pœnitentia ut virtus est, & sufficit ad remittenda peccata extra Sacramentum. pag. 307 308. 309. n. 708 & seqq.

Sententia ne sufficientia attritionis est multo probabilior opposita, ideoque aliquo modo moraliter certa: quia tamen non est absolutè certa; in praxi procuranda est contritio, ut certius consulatur validitati absolutionis, præsertim cum id facilè fieri possit. Quando tamen pœnitentes rudes sunt; aut inveterati peccatores expedit illis etiam proponere motivum gehennæ; quia tales solent efficacius per hoc motivum induci ad dolorem & detestationem peccatorum, quam per motivum charitatis, quod sæpe non satis penetrant. pag. 309. 310 311. 312. n. 713. & seqq.

Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum & informe ex parte absolutionis, ut satis constat. Neque ex parte confessionis; quia vel est formaliter integra, vel non. Si primum sufficit ad valorem, & effectum Sacramenti. Si secundum ad neutrum sufficit. Neque etiam ex parte doloris, quod magis controversum est; quia non potest dolor sufficere ad essentiam hujus Sacramenti, nisi pariter sufficiat ad ejus effectum: cum enim hoc Sacramentum sit essentialiter reconciliativum, exigit dolorem qui sit sufficiens dispositio ad reconciliationem p 313. 314. n. 720. & seqq.

Dolor

Dolor non extendens se ad peccata oblita nunquam retractata non tantum est insufficiens ad effectum hujus Sacramenti sed etiam ad valorem. Quod si extendat se ad peccata oblita non tantum sub ista ratione est dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam est pars illius: redditurque in eum finem, sufficienter sensibilis per istam confessionem, quatenus confessio est signum quod pœnitens velit reconciliari Deo, adeoque quod in eum finem doleat de omnibus peccatis. pag. 314. 315.n.723.& seq.

Quod si dolor præsens non extendat se ad peccata oblita, fuerint tamen illa prius retractata sive formaliter, sive tantum virtualiter; sufficiet iste dolor & ad valorem & ad effectum Sacramenti, quia tunc nihil obest quominus sufficiat. pag.316.317.n.727

Potest Baptismus esse validus & informis, potius quam hoc Sacramentum; quia pro dispositione ad effectum suum non includit aliquid requisitum ad suam essentiam; sicut includit hoc Sacramentum, videlicet dolorem de peccatis. pag.317.n.729

§. VI.

De Confessione sacramentali.

Confessio sacramentalis est legitima accusatio pœnitentis de peccatis propriis facta Sacerdoti, ut ab iis absolvatur. Est jure divino præcepta: ut constat 1. ex his Christi verbis *quorum remiseritis peccata remittuntur eis: quorum retinueritis retenta sunt*. Hæc enim potestas retinendi peccata non posset ad usum redigi, si non esset necessaria confessio 2. ex pluribus Conciliis, iisque antiquissimis, in quibus hæc veritas definita est: 3. ex unanimi PP. consensu apud Bellar. 4. denique ex perpetuò usu Ecclesiæ non solum Latinæ, sed etiam Græcæ: qui usus nunquam fuisset inductus, nisi confessio fuisset jure divino præcepta. pag.318.319.n.730.& seq.

Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus non sustulit confessionem sacramentalem secretam; sed tantum publicam: idque occasione scandali indè orti ex declaratione complicis. De eadem intelligendus est Chrysostomus cum videtur improbare confessionem homini facta. Vel agit de quotidiana coram solo Deo per examen conscientiæ. pag.320. 321.n.733.&seq.

Hoc divino confessionis faciendæ præcepto obligantur omnes, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt. Quandonam autem præcisè urgeat extra mortis articulum, aut grave ejus periculum, difficile est determinare. Undè merito Ecclesia præcepto suo determinavit, ut non differatur ultra annum. pag.321.322.n.736

Præceptum hoc Ecclesiasticum per se loquendo non respicit usum determinatum anni tempus sed impleti potest quolibet anni tempore. Qui tamen habet mortalia tempore Paschali obligatur ad tunc confitendum ratione communionis tunc faciendæ. pag.322.323.n.737

Satisfit huic præcepto per confessionem factam Regularibus privilegiatis ut patet 1. ex Bulla Leon. 10. quæ incipit *Dum intra mentis ar-*

canum

tantum: 2. ex Bulla Pauli 5. quæ incipit. *Licet debitum*: 3. ex Bulla Clementis 8. cujus initium est *Significatum fuit nobis*. pag. 323. n. 738

Proprius Sacerdos non tantum est Parochus sed etiam Episcopus, & summus Pontifex; unde Regulares privilegiati audientes confessiones de licentia summi Pontificis non excluduntur per cap. *omnis utriusque sexus*: ubi præcipitur ut quilibet fidelis saltem semel in anno *confiteatur proprio Sacerdoti aut alteri de eius licentia*. Extravagantes autem Martini 5. & Sixti 4. abrogatæ sunt per sequentes pontifices. pag. ibid. n. 739. & seqq.

Non satisfit huic præcepto per confessionem invalidam: quia finis hujus præcepti est reconciliatio peccatoris cum Deo; quæ non potest haberi per talem confessionem. pag. 324 n 741

Dices cap. *omnis utriusque sexus* tantum præcipitur confessio peccatorum, nulla facta mentione internæ contritionis; quia scilicet Ecclesia non potest præcipere actus internos: ergo si confessio sit tantum invalida defectu istius internæ contritionis; per illam satisfiet præcepto. R. præcipi illic confessionem in ordine ad reconciliationem peccatoris cum Deo, adeoque, saltem implicite, confessionem cum interna contritione. Actus autem interni possunt, saltem indirecte ab Ecclesia præcipi. pag. 324. 325. n 742. & seq.

Secreta peccatorum confessio fuit in usu ab ipso Ecclesiæ exordio: & quamvis primis sæculis in usu etiam fuerit publica, sola tamen secreta fuit præcepta. Et verò onus publicè confitendi peccata occulta fuisset intolerabile. pag. 325. 326 n. 746

Regulariter loquendo facienda est confessio oris locutione. Non est tamen de essentia illius, ut ita fiat; sed potest etiam validè fieri vel gestu, vel nutu, vel scripto, si desit facultas loquendi. pag. 326. n. 748

Illicitum est confiteri absenti per litteras aut inter nuncium, & sic confessum absolvere. Item absentem absolvere post confessionem in præsentia factam: & etiam secluso casu extremæ necessitatis, præsentem absolvere post confessionem in absentia facta. Hæc enim propositio: *licet per litteras aut internuncium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; damnata est a Clemente 8. non tantum complexim, sic ut utrumque & confessio & absolutio inter absentes peragatur: sed etiam divisim, ut ipsemet declaravit. Et meritò; quia absolutio his tribus casibus data exponeretur periculo nullitatis, quia non satis esset nota dispositio pœnitentis, dum absolveretur, ut consideranti patebit. p. 326. 327 n. 750. & seqq.

Potest nihilominus, imo & debet moribundus sensibus destitutus à Sacerdote præsente absolvi, si per testes constet eum ante Sacerdotis adventum dedisse signa Pœnitentiæ, ut communiter sentiunt DD. contra Thomistas contrarium sentientes, tum quia putant ad valorem Sacramenti non sufficere signa generalia Pœnitentiæ; tum etiam quia censent id esse contra prædictum Clementis decretum. pag. 331. n. 761

Prob. 1. conclusio ex Conc. Arauf. 1. can. 11. Carth. 4. c. 67. & S. Leone Ep. 91. c. 5. expressis terminis asserentibus hujusmodi moribundis beneficium pœnitentiæ & reconciliationis, ut loquuntur, esse impertiendum. Idque intelligendum de reconciliatione sacramentali, non autem de aliqua ceremoniali, ut volunt adversariis; colligitur 1. ex eo quod S.

Leo ibi agat de Sacramento Pœnitentiæ; 2. quia Concilia citata & S. Leo pœnitentiam, de qua loquuntur, æquiparant Baptismo quoad efficaciam & necessitatem: quod non convenit reconciliationi ceremoniali. pag. 332. 333. n. 762.

Prob. 2. ex Rituali Romano edito authoritate Pauli 5. ubi paragrapho penultimo de Sacramento Pœnitentiæ, non tantum permittitur, sed etiam præcipitur ut Parochi in casu conclusionis moribundum absolvant. pag. 333. 334. n. 764

Quamvis autem tali casu non fiat ab infirmo confessio perfecta de peccatis in particulari, fit tamen aliqua imperfecta de peccatis in confuso sufficiens in tali casu. Tridentinum vero requirens sess. 14. cap. 5. distinctam peccatorum confessionem secundum speciem & numerum, intelligendum est de eo quod requiritur extra casum necessitatis. p. 334. n. 766. & seqq.

Per hujusmodi confusam peccatorum confessionem non tantum ut opponunt adversarii, scit confessarius istum hominem esse peccatorem, sed reipsa peccasse, cumque absolutionem petere. pag. 335. eod n.

Decreto Clementis 8. vetantis confessionem fieri Sacerdoti absenti non comprehenditur casus moribundi, ut satis declaravit Paulus 5. in suo rituali supra cit. & ipsemet Clemens 8. idque se ex ejus ore audivisse testantur Bellar. & Armacanus. pag. 335. 336. n. 769

Quamvis in praxi ad majorem securitatem curandum sit ut in præsentia moribundi detur testimonium aliquod de ejus pœnitentia: absolutè tamen loquendo non est id necessarium, sed sufficit etiam in absentia datum a viro fide digno. pag. 336. n. 771

Non tamen licitum est, etiam sub conditione, dare absolutionem moribundo, qui nulla dedit pœnitentiæ signa. Ita communiter DD. quia tunc nulla habetur confessio sacramentalis, nequidem implicita & confusa, cum tamen confessio aliqua requiratur ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 337. n. 772

Nec refert quod vita Christiane acta sufficiat ad dandam moribundo Extremam Unctionem. Disparitas enim est quod possit haberi tota essentia Sacramenti Extremæ Unctionis absque eo quod moribundus det externum aliquod pœnitentiæ signum non autem haberi possit Sacramentum Pœnitentiæ. pag. 338

Cum Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 26. dicit baptizandum catechumenum jam moribundum, & voce destitutum, licet semper in adulterio vixerit, addens idem esse dicendum de reconciliatione peccatoris: non excludit externa aliqua signa pœnitentiæ, sed tantum verba, quibus eam testetur. Vel certè non agit de reconciliatione sacramentali. pag 338. 339. & seq.

Nec ista absolutio redditur licita per hoc quod detur tantum sub conditione quia non licet etiam sic absolutionem dare absque ullo probabili judicio, quod valitura sit. Quod si quis oppositam sententiam judicaret probabilem, non tantum posset; sed etiam deberet talem absolvere. Ibid.

Tenetur pœnitens, per se loquendo, confiteri omnia mortalia quoad speciem & numerum. Est de fide ex Florent. in decr. de Sacram & Trid, sess. 14. can. 7. & patet ex natura hujus Sacramenti, quod institutum est per modum judicii, in quo ad ferendam justam sententiam requi-

requiritur cognitio totius causæ. pag.341.n.772

Licet externus actus nullam novam malitiam superaddat interno, nihilominus exprimendus est, quia facit moraliter unum cum illo. Aperiendus est etiam effectus malus, qui ex aliquo externo actu malo secutus est. Item numerus personarum, respectu quarum malitia actus est virtualiter multiplex. Ac numerus actuum malæ voluntatis habitualiter perseverantis. pag.342.343.n 774 & seq.

Declarandus etiam est complex criminis, quando ignotus est confessario: imo & quando notus est, si non possit haberi alius cui sit ignotus, & ista declaratio sit necessaria ad manifestandam speciem peccati: 1. quia id exigit confessionis integritas 2. quia id debet fieri in foro externo: ergo multo magis in interno: cum in eo multò sit minor infamia complicis 3. quia alioqui ipse quoque pœnitens posset excusari ab integritate confessionis propter infamiam propriam, quando esset confessarius notus, nec posset haberi alius. pag.344.345.n.772.& seq.

Nec refert quod non possit hæc declaratio fieri absque infamatione proximi: quia hic ad est justa causa id faciendi, ut scilicet consulatur valori Sacramenti, & saluti pœnitentis. pag.345.n 781

Exigit etiam confessionis integritas, ut declarentur circumstantiæ malitiam peccati notabiliter aggravantes, licet speciem non mutent: 1. quia juxta Trid. sess. 14. cap. 5. ea requiritur confessio, ex qua possit confessarius rectè judicare de criminum gravitate, & pœnas eorum gravitati proportionatas imponere: quod non poterit fieri, nisi prædictæ circumstantiæ declarentur 2. quia istæ circumstantiæ sufficiunt ut peccatum reservetur; ergo sunt necessaria confessionis materia: alias enim non posset peccatum propter illas reservari. 3. denique quia ex opposita sententia varia absurda sequuntur. pag.346.347.n 783

Ideò Tridentinum loco cit. assignans materiam necessariam confessionis, non meminit istarum circumstantiarum: quia noluit definire id quod erat inter DD. Catholicos controversum. Eas tamen esse declarandas colligitur ex iis quæ habet, ut jam ostendimus. p.348.n.783

Lex confessionis non est odiosa; quia licet sit difficilis: fructus tamen magnitudo difficultatem abundè compensat. Unde non est restringenda tanquam odiosa. Ibid.n.787

Difficilius est cognoscere quandonam circumstantiæ mutent speciem peccati, quam quandonam illud aggravent intra eandem speciem & tamen sunt confitendæ. pag.349.n.788

Circumstantia intensionis actus non est declaranda, nisi quando intensio fuit multò major, quam soleat esse; idque sufficienter innotescit vel ex effectu, vel ex modo quo effectus positus est. p.ibid.n.790

Qui dubitat an peccaverit, aut peccatum suum fuerit confessus tenetur ad confessionem 1. quia omittens illud confiteri exponeret se periculo non faciendi confessionem integram 2. quia tenetur ad illius contritionem, ut fatentur adversarii: ergo etiam ad confessionem; quia contritio includit votum confessionis. p.350.351.352.n.792.& seq.

§. VII.

De absolutione sacramentali.

Essentia formæ absolutionis consistit in his duobus verbis *absolvo te:* peccaret tamen, qui omitteret ly *à peccatis*: quia non est certum illa non esse etiam de essentia formæ. pag. 352. 353. n. 798

Forma absolutionis non potest esse deprecatoria; quia pronunciatur per modum judicii, quod non est deprecatorium. pag. 354. n. 802. & seqq.

Per absolutionem sacramentalem verè remittuntur peccata quoad culpam. Est communis & certa contra varios antiquos docentes per eam tantum declarari remissa. Prob. 1. quia hæc Christi verba, *quorum remiseritis peccata &c.* in proprio sensu accepta important remissionem peccatorum quoad culpam: 2. quia id etiam importat forma absolutionis, *absolvo te &c.* 3. quia Trid. sess. 14. can. 9. dicit anathema ei *qui dixerit absolutionem sacramentalem esse nudum ministerium pronunciandi & declarandi peccata esse remissa.* 4. denique quia hæc Baji propositio *pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo*, damnata est à duobus Pontificibus Pio 5. & Greg. 13. pag. 355. n. 804

Illud Marci 2. v. 7. quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? intelligendum est de principali ad id potestate, non instrumentali. pag. ibid. n. 805

Quod Lazarus prius fuerit à Christo ad vitam excitatus, quam ab Apostolis solutus tantum ostendit non posse peccatores à Sacerdotibus absolvi à peccatis nisi prius à Deo ad vitam excitentur pergratias actuales. Et de eadem vivificatione intelligendi sunt Augustinus & Greg. comparantes peccatoris vivificationem cum Lazari resuscitatione: pag. 356. n. 806

Hieronymus scribens in illud Matt. *quodcumque alligaveritis &c.* Non reprehendit potestatem absolvendi à peccatis; sed nimiam quorumdam Sacerdotum in absolutione concedenda licentiam, vultque ut sicut Sacerdotes antiquæ legis diligenter examinabant statum leprosi priusquam illum pronunciarent à lepra mundatum. Ita Sacerdotes nostri gerant se circa peccatorem. pag. 357. n. 808

Verba absolutionis intelligenda sunt in sensu proprio & obvio de vera peccatorum condonatione 1. quia hæc Christi verba, *quorum remiseritis &c.* videntur omninò sic accipienda 2. quia Sacerdos absolvens à peccatis non solet alium sensum intendere, quam proprium, & obvium. pag. 358. n. 811

Neque propterea forma est falsa aut nugatoria, quando peccata prius fuerunt remissa per contritionem, aut priorem confessionem; quia iterata remissio est vera confirmatio prioris remissionis. Ita iteratio prioris voti non est nugatoria sed vera ejus confirmatio. p. 358. 359. & seq.

Deneganda est absolutio 1. nolenti restituere rem alienam aut famam: 2. nolenti injuriam condonare: 3. feminis cum scandalo nudatis, & in ea nuditate perseverantibus: 4. retinentibus habitualem voluntatem duellum occasione data offerendi, aut acceptandi: 5. ignorantibus

tibus mysteria fidei ad salutem necessaria : 6. nolentibus abstinere ab usura, superstitionibus, arte divinandi &c. p.360.361.& seq.n.816 & seqq.

Si reincidentiæ in eadem peccata sint frequentes, eæque deliberatæ, atque inceperint aut eodem, aut uno alterove die post confessionem : nec in præsenti appareant signa majoris doloris, nec circumstantiæ sint mutatæ, videntur sufficienter arguere indispositionem pœnitentis ad absolutionem ei denegandam aut saltem differendam. pag.362. 363.n.825.

Confessarius audiens prima vice pœnitentem aliquem lapsum in multa peccata ejusdem speciei, debet illum interrogare 1. à quo tempore ultimam confessionem fecerit? 2. an similiter ante alias confessiones frequenter fuerit relapsus 3. Undè oriantur frequentes illi relapsus &c. teneturque pœnitens ad interrogata sincerè respōdere. p.363.364.n 830

Si pœnitens nolit deserere proximam & voluntariam occasionem peccandi, non est absolvendus : quia non potest velle in ea permanere absque peccato si autem occasio proxima sit physicè involuntaria ut si quis in mari navigans habeat concubinam in navi : aut vinctus, sit in carcere aut triremi cum flagitiosis &c. & appareat verè contritus, sitque paratus uti remediis adversus relapsum præscribendis, absolvi poterit semel atque iterum, ac deinceps, si subsequatur emendatio. pag. 834.n.364.365.366

Idem dicendum est de occasione moraliter involuntaria eo quod non possit deseri absque peccato, ut si quis obligatus ex justitia ad serviendum certo temporis spatio in aliqua domo, habeat illic proximam occasionem peccandi Quod si tantum sit moraliter involuntaria, eo quod non possit deseri absque gravi damno temporali nō quidem statim obligandus est pœnitens per negationem absolutionis ad eam deserandam, nisi adsit specialis ratio id faciendi si tamen adhibitis aliis mediis non appareat vitæ emendatio, tunc adigendus est ad eam relinquendam per negationem absolutionis. pag.367.368.n.840 & seqq.

Si dispositio pœnitentis omnibus attentis appareat dubia, ita ut non possit formari prudens judicium circam debitam pœnitentis dispositionem, differenda est absolutio : alioqui enim absolutio sacramentalis temere exponeretur periculo nullitatis. Excipe ab hac conclusione mortis articulum, aut grave ejus periculum. pag.368.369.n.844.& seqq.

Quandoque etiam benè dispositio potest absolutio differri ad breve aliquod tempus, si nempè confessarius omnibus attentis judicet dilationem absolutionis profuturam pœnitenti; ut v. g. criminum suorum gravitatem magis apprehendat, rem alienam efficacius restituat &c. pag.370.n 848

Erroneum tamen est generatim asserere differendam esse absolutionem pœnitenti, donec per tempus aliquod notabile à peccatis commissis abstinuerit 1. quia ad eum absolvendum sufficiunt solida indica veri doloris & sinceri propositi 2. quia id videtur esse contra finem hujus Sacramenti, vi cujus dantur gratiæ actuales ad vitanda peccata 3 quia bene dispositus jus habet ad absolutionem. p.370.371.n. 849.& seq.

Nulla alia prærequiritur mortalis certitudo de debita dispositione pœnitentis qua m prudens de illa judicium, quod haberi potest absque eo quod prius aliquam diu à peccatis commissis abstinuerit. Neque

contrarium docet S. Carolus Borromæus, dum parte 3. instruct. mortalium cap. 15. ait: *consultum esse absolutionem differre donec evidens appareat emendatio in iis qui tametsi dicunt ac pollicentur quod se eximent à peccato; tamen confessario probabilem faciunt metum, ut contrarium contingat:* quia exempla, quæ affert, ostendunt ex ejus mente id tantum habere locum in casu quo rationes istius metus sic prævalent rationibus contrariis, ut non possit formari prudens judicium de debita pœnitentis dispositione. pag. 372. n. 851. & seq.

Falsum omnino videtur, quod peccator debeat prius Deo satisfacere pro peccatis, quam ut ab illis absolvatur: id enim aperte est contra hodiernam praxim Ecclesiæ satisfactionem postponentis absolutioni. Neque primis Ecclesiæ sæculis contrarium fiebat in confessione secreta, sed tantum in publica. pag. 373. 374. n. 854

Seclusis specialibus rationibus judicandi quod pœnitens careat vero dolore ac sincero proposito, ac de hac re dubitandi, credendum est pœnitenti asserenti se verè de peccatis dolere, ac sincere emendationem proponere. Quia ut expresse docet S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc 7. ad 2. in foro conscientiæ credendum est homini pro se & contra se loquenti. pag. 375. 376. n. 856. & seq.

§. V.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ & Iurisdictione & Approbatione in eo requisita.

Solus Sacerdos potest esse Minister hujus Sacramenti. Est de fide ex Florent. in decr. de Sacram. & Trid. sess. 14. cap. 6. & can. 10. Constatque ex perpetuo usu Ecclesiæ. pag. 375. n. 860

Non potest quilibet Sacerdos administrare hoc Sacramentum præcisè vi suæ ordinationis; sed insuper ad sæculares, etiam Sacerdotes, absolvendos requiritur, ut sit approbatus ab Ordinario. Ita enim statuit Trid. sess. 23. cap. 15. revocans omnia in contrarium privilegia. pag. 377. 378. n. 863

Dixi ad sæculares absolvendos: quia circa confessiones Regularium sive virorum sive fœminarum nihil innovavit Trid. Extat tamen Bulla Greg. 15. requirentis approbationem respectu monialium, quam tamen Lezana tom. 1. quæst. regul. cap. 19. n. 35. restatur suspensam fuisse ab Urbano 8. respectu terrarum Regi Hispaniæ subjectarum. Satisque constat ex praxi contraria prædictam Gregorii Bullam non fuisse in Belgio receptam. Si tamen moniales fuerint Ordinario subjectæ, non possunt absolvi sine approbatione Ordinarii. Ibid. n. 864. & seqq.

Quamvis universaliter loquendo non videatur necessaria approbatio Episcopi loci in quo audiuntur confessiones; eo quod possit dari casus in quo id non sit verum: nam approbatus v. g. ab Episcopo Atrebatensi ad audiendas confessiones Atrebatensium, potest Atrebatensem absolvere in diœcesi v. g. Tornacensi, si per illam iter faciens illi forte ei occurrat iter quoque per illam facienti: quia tamen id videtur esse per accidens, ideo simpliciter dici potest quod necessaria sit, & sufficiat approbatio Episcopi loci in quo confessiones audiuntur. pag. 379. n. 867. & 868

Qui

Qui approbatus est ab uno Episcopo pro sua diœcesi, non est censendus approbatus pro aliis diœcesibus; sed in singulis nova approbatione indiget. Et contraria sententia damnata est ab Alexand 7. in brevi dato ad Episcopum Andegavensem 5. Jan. 1659. Idemque statuit Clemens 10. in sua constitutione quæ incipit *superna magni Patris familias*. Et ratio favet; quia in diversis locis non raró requiritur diversa confessarii capacitas. pag.380.381.382.n.869 & seq.

Possunt Episcopi limitare quoad tempus & personas confessarios approbare: non possunt tamen id licitè facere absque justa causa: quia approbatio non datur per modum gratiæ, sed justitiæ, saltem quando datur præmisso examine. Ita quoque statuit Clemens 10. in prædicta sua constitutione. pag.382.n.874

Approbatus generaliter ad audiendas sæcularium confessiones, non est propterea censendus approbatus ad audiendas confessiones monialium Episcopo subjectarum, etiamsi illas Episcopus non exceperit. Ita etiam decernitur in prædicta Clem. 10. constitutione. pag.383.n.875

Approbatio limitata quoad tempus desinit hoc ipso quod tempus limitatum præterit. Quæ tamen illimitate data est, nihilominus potest ex justa causa non tantum validè, sed etiam licitè revocari. Non tamen licitè absque justa causa. An autem validè controvertitur: videtur probabilius quod sic: quia nullo jure talis revocatio irritatur. pag.383.384.n.876.& seq.

Approbatio adæquatè sumpta non tantum importat judicium de capacitate Sacerdotis ad munus confessarii, sed etiam facultatem ad illud exercendum. Hæc autem facultas potest validè revocari etiam absque justa causa. pag.384.385 n 880

Non tantum approbatio necessaria est in Sacerdote ad confessiones audiendas; sed etiam jurisdictio vel ordinaria, vel subdelegata: ordinariam autem habent omnes, qui ratione officii habent curam animarum. Subdelegatam autem illi quibus ea legitimè concessa est ab habentibus ordinariam. pag.385.386.n.882

Religiosi mendicantes accipiunt jurisdictionem suam à summo Pontifice per suos Superiores: non possunt tamen hanc jurisdictionem exercere, nisi in locis illis pro quibus approbati sunt: & in alienis templis, opus etiam est facultate eorum qui templis præsunt. pag 386. 387.n.886

Potestas remittendi peccata, quam Sacerdotes accipiunt in sua ordinatione, non est completa defectu jurisdictionis. In idem redit si cum aliis dicatur potestatem illam non posse exire in actum defectu subditorum, aut propter Ecclesiæ prohibitionem. pag.387.388.n.887.& seqq.

Non sufficit jurisdictio præsumpta hoc sensu, quod daretur si peteretur. Sufficit autem si hoc sensu sit præsumpta, quod adsint sufficientia signa, quod sit concessa. Nec sufficit quod sit petita, sed non obtenta, licet injustè denegetur: quia nulla jura illam concedunt isto etiam casu. pag.389.390.n.892. & seqq.

Si quis tantum habeat jurisdictionem probabilem, possitque sibi certam comparare, aut adsit alter qui habeat certam, non potest licitè uti jurisdictione sua tantum probabili; quia sine necessitate exponeret Sacramentum periculo nullitatis. pag.390.n.892

Non sufficit jurisdictio existimata, nisi credatur communi errore, &

isti errori occasionem dederit titulus coloratus. Tunc enim censenda est Ecclesia tali confessario jurisdictionem concedere saltem transeunter, ad singulas absolutiones, ne qua anima pereat occasione tituli colorati. Ita communiter DD.

Fide certum est dari in Ecclesia potestatem reservandi certa peccata, sive impediendi absolutionem à certis peccatis per substractionem jurisdictionis. Id enim definitum est à Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 15. constatque ex praxi Ecclesiæ. Ad eum autem spectat ista reservatio, ad quem spectat jurisdictionem concedere. Itaque potestatem reservandi habet summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ; Episcopus respectu suæ diœcesis. Superior Religiosus respectu suorum inferiorum. pag. 391.392. n. 897. & seqq.

Non potest inferior contradicente Superiore aliqua peccata reservare. Undè potestas reservandi absoluta & independens residet in solo Papa. In Episcopis autem subordinata est voluntati Papæ. In Superioribus localibus, voluntati majorum Superiorum. Superiores autem locales hanc potestatem habent restrictam per Bullam Clementis 8. ad undecim casus. pag 392.393.n.898

Licet reservatio esset injusta, esset tamen valida; quia sicut potuit ab initio validè, licet injustè, denegari omnis jurisdictio, ita & validè limitari. Ut autem sit licita, debet esse in ædificationem, non in destructionem: ut loquitur Trid. sess 14.c.4. pag.393.n.901

Quamvis sola mortalia externa reserventur; absolute tamen loquendo possunt etiam reservari merè interna; quia respectu illorum potest etiam substrahi jurisdictio. Peccata dubia non censentur reservata, ut communius sentiunt DD. quia non sunt absolutè & simpliciter peccata: ut autem externum peccatum sit reservatum, non satis est quod habeat malitiam gravem ab actu interno, sed etiam requiritur ut externa malitia sit gravis. pag.394.395 n.902.& seqq.

Quilibet Sacerdos potest in mortis articulo quemlibet absolvere à quibuslibet reservatis: imò propriè loquendo in isto articulo nulla est reservatio, ut docet Trid. sess. 14. cap. 7. Undè si quis tunc à reservatis absolutus evadat periculum, non tenetur postea pro illis recurrere ad Superiorem, quia fuit directè ab illis absolutus. pag.395.n.906

Extra mortis articulum tantum possunt directè à reservatis absolvere ipse reservans, reservantis Superior, & ab alterutro delegatus. pag. 396.n.907

Si quis habens casum reservatum in propria diœcesi, veniat ad alienam, in qua casus iste non sit reservatus, potest illic absolvi à confessario regulari approbato, nisi eò venerit in fraudem legis ad declinandum proprii Episcopi judicium. Ita expressè Clemens 10. in sua constitutione *superna magni patris familias*. pag.396.n.909

Regulares privilegiati non possunt amplius vi suorum privilegiorum absolvere à casibus Episcopo reservatis: illorum enim quoad hoc privilegia revocata sunt per Urban. 8. Alex. 7. Clem. 10. pag 397.n.908

Habens reservata potest quandoque indirectè à reservatis absolvi, ab eo qui non habet potestatem in reservata. Remanente tamen onere sistendi se Superiori, aut ejus delegato ad optinendam directam absolutionem. pag.398.399.400.n.916.& seqq.

Quamvis Superior non debeat esse difficilis, dum inferior vel per se, vel

537

vel per alium petit facultatem alteri reservata confitendi imo possit graviter peccare hanc facultatem absque justa causa denegando: potest tamen, & interdum tenetur hanc facultatem denegare, præsertim Superior Religiosus, si ex nimia facilitate in concedenda hujusmodi facultate timeat scandalum, aut grave damnum Religionis suæ, aut periculum frequentis relapsus &c. pag.400.n.917

Sigillum confessionis est obligatio servandi secretum circa ea quæ in confessione sacramentali audita sunt. Tanta autem est hæc obligatio, ut nullo prorsus casu, absque expressa pœnitentis venia, vel minimum peccatum revelari possit. pag.401.n.919

Summus hic rigor obligationis oritur ex jure divino quasi naturali, seu ex natura rei consequente institutionem hujus Sacramenti, ne scilicet confessio per secreti revelationem reddatur odiosa. Ibid eod.nu.

Non tantum ex confessione valida nascitur ista obligatio, sed etiam ex invalida, modo facta sit animo se accusandi in foro conscientiæ. Si enim fieret ex solo joco, aut ex solo animo Sacerdotem tentandi &c. non incurreretur obligatio sigilli. pag.402

Obligationem sigilli contrahunt illi omnes, qui mediatè vel immediatè ex confessione aliqua sacramentali habent notitiam alicujus rei sub sigillum cadentis. Itaque hoc sigillo tenetur 1. ipse confessarius etiam fictus 2. Superior qui aditur pro reservatis 3. interpres alienæ confessionis 4. qui confessionali vicinus audit aliquid ex confessione pœnitentis 5. is cui Sacerdos confessionem alterius revelavit &c. pag. ibid.n.921

Generaliter loquendo violatur sigillum, 1. directè, revelando peccatum aliquod in confessione auditum absque pœnitentis venia 2. indirectè, aliquid dicendo ex quo veniri posset in notitiam peccati in confessione declarati. Ad hanc tamen violationem requiritur, ut aliquo modo determinetur persona, quæ peccatum revelatum commisit: aut ea dicantur ex quibus possit innotescere. pag 403.n.922

Non potest confessarius sine pœnitentis facultate cum eo agere extra confessionem de auditis in confessione absque sigilli violatione. Si tamen post impositam pœnitentiam, ac datam absolutionem judicet aliquid addendum circa dicta in confessione, potest id facere, quia illud spectat ad complementum confessionis. Potest etiam in sequentibus confessionibus pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus commisso. pag.404.405.n.924

Nunquam licet absque expresso pœnitentis consensu uti scientia in confessione accepta si illius usus sit directa aliqua, vel indirecta confessionis revelatio, aut per usum istum possit confessio reddi gravis & odiosa. Et nominatim Clemens 8. in decreto suo edito anno 1594. prohibet ne Superiores Regulares ea scientia ad exteriorem gubernationem utantur. pag.406.407.n.928. & seq.

§. IX.

§. III.

De satisfactione sacramentali.

PEr se loquendo tenetur confessarius satisfactionem aliquam seu pœnam imponere pœnitenti, quem à peccatis absolvit. Hæcque obligatio gravis est, ita ut peccet mortaliter, si nullam satisfactionem injungat: quia satisfactio est pars integralis hujus Sacramenti. p.407. n.932

Tenetur autem confessarius pœnam imponere aliquo modo peccatis pœnitentium spectatis omnibus circumstantiis proportionatam; ita ut peccet graviter, si pro quibusvis peccatis gravissimis, leves tantum pœnitentias promiscue imponat. Ut autem convenientes, & salutares satisfactiones injungat, debet diligenter attendere ut docet Trid. sess.14. cap.8. ad qualitatem criminum, & pœnitentium facultatem, videlicet conditionem, ætatem, sexum, validitatem, convictum, infirmitatem, &c. pag.408.409.n.934

Ex triplici potissimum causa imminui possunt satisfactiones pœnitentium: 1. propter præsentem morbum: 2. propter intensum dolorem externis signis sufficienter testatum: 3 propter indulgentias, eo enim fine conceduntur, ut sint partialiter loco satisfactionis Deo pro peccatis debitæ. pag.410.n.937

Inter opera satisfactoria maximè convenit ea injungere, quæ aptiora sunt ad pœnitentis emendationem. Quamvis autem absolute loquendo possint in satisfactionem injungi opera aliunde etiam præcepta; non tamen facilè id faciendum est: quia vindicta peccatorum in hoc Tribunali exercenda, alia opera in satisfactionem exigit: censendusque est confessarius id facere, dum jejunium, aut eleemosynam, aut auditionem Missæ in satisfactionem imponit. pag.410.411.n.939 & seqq.

Per se loquendo tenetur pœnitens acceptare, & implere pœnitentiam sibi impositam 1. quia claves non tantum datæ sunt ad solvendum, sed etiam ad ligandum 2. quia tenetur reus obedire judici justam sententiam ferenti. Si tamen injusta esset, aut irrationabilis pœnitentia, sive ob diuturnitatem, sive ob gravitatem, posset pœnitens illam recusare, & ad alium confessarium recurrere. pag.412.n.943

Hæc pœnitentis obligatio gravis est, ita ut peccet mortaliter, si impositam & acceptam pœnitentiam voluntariè non impleat, quia privat hoc Sacramentum parte sua integrali. Tenetur autem illam implere tempore præscripto: non tamen liberatur ab onere illius implendæ, qui illam non implevit intra tempus præscriptum. Datur in dilatione parvitas materiæ. pag.41?.413.414.n.944.& seqq.

Erroneum est asserere differendam esse absolutionem, donec pœnitens injunctam pœnitentiam implevit 1. quia illud est contra praxim Ecclesiæ post impositam satisfactionem statim absolventis, 2. quia satisfactio est complementum hujus Sacramenti: ergo illud supponit. pag.414.n.950

Non potest pœnitens propria authoritate pœnitentiam sibi impositam mutare, licet eam vellet mutare in aliam evidenter meliorem: quia pœnitentia ut sit Sacramentalis debet imponi virtute clavium. Nec inferior

ferior carens jurisdictione in reservata, potest mutare pœnitentiam à Superiore impositam propter reservata. Neque ab ullo sive æquali, sive etiam Superiore potest omnino tolli pœnitentia ab altero injuncta, sic ut loco ejus nulla alia substituatur. pag.414.415.n.952

Non tantum ab eodem confessario, sed etiam ab altero potest prior pœnitentia in alteram ex justa causa commutari. Ad id tamen requiritur, ut pœnitens declaret peccata, ob quæ fuerat imposita. pag.415.416.n.957.& seqq.

Satisfactio sacramentalis non causat gratiam sanctificantem ex opere operato: quia ante satisfactionem habetur tota essentia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo & totus effectus gratiæ sanctificantis. Nec refert quod sit pars Sacramenti, quia est tantum pars integralis, non essentialis. pag.416.417.n 958

Causat tamen ex opere operato aliquas gratias actuales adversus relapsum: quia non tantum imponitur in vindictam peccatorum, sed etiam in remedium. In eum autem finem opus est gratiis actualibus. Causat quoque ex opere operato aliquam remissionem pœnæ temporalis peccatis debitæ: quia partialiter saltem in eum finem imponitur. Ut tamen istum effectum habeat, debet fieri in statu gratiæ, quia inimicus Dei indignus est, ut ejus satisfactio acceptetur à Deo pro pœna temporali peccatis debita. pag.417.418.n.959

Satisfacit tamen obligationi suæ, qui satisfactionem injunctam implet in statu peccati. Quia Confessarius imponens satisfactionem pœnitenti, hoc tantum intendit, ut pœnitens ponat opus in satisfactionem injunctum. pag 418.n 962

CA-

CAPUT VII.

De Extrema-Unctione, Ordine, ac Matrimonio.

§. I.

De Extrema-Unctione.

Extrema-Unctio est verum Christi Sacramentum Est de fide 1. ex Jacobi 5. *infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* 2. ex perpetua traditione & usu Ecclesiæ tam Græcæ quam Latinæ 3. ex Concilio Florent. in decr. de Sacram. Et Trid. sess. 14. can. 1. de Extrema-Unctione. pag.419.n.963

Sacramentum Extremæ-Unctionis institutum fuit à Christo, post Resurrectionem simul cum Sacramento Pœnitentiæ cujus est quædam consummatio, ut ait Trid. sess. 14. in proœmio de Extrema-Unctione. Itaque loco Jacobi citato non habetur institutio hujus Sacramenti, sed tantum promulgatio. Ut unctio illa infirmorum, de qua Marci 6. fuit tantum figura Extremæ Unctionis postea instituendæ. pag 420.n.964

Non est hoc Sacramentum necessarium ad salutem necessitate medii; quia absque ejus receptione potest salus obtineri. Videtur tamen necessarium necessitate præcepti: quamvis enim nullibi extet præceptum de hujus Sacramenti receptione; consuetudo tamen Ecclesiæ videtur habere vim præcepti. pag.421.n.965

Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum: proxima autem est unctio. Debet autem hæc unctio fieri in formam Crucis ex usu Ecclesiæ & præcepto Ritualium obligante secundum aliquos sub mortali, secundum aliquos sub veniali Non est tamen id necessarium ad valorem Sacramenti. Uti neque quod fiat manu corpus ægri immediatè tangente, cum tempore pestis administrari possit mediante virgula. pag.ibid n.967

Probabile est benedictionem Episcopi non esse de essentia hujus Sacramenti: quia teste Arcudio Presbyteri Græci ex antiqua consuetudine benedicunt oleum infirmorum: nec unquam de hac re reprehensi sunt ab Ecclesia Latina: & in has sententia dicendum est Florentinum, & Tridentinum pro materia hujus Sacramenti assignare oleum ab Episcopo benedictum, quia ista benedictio est saltem in Ecclesia Latina necessaria necessitate præcepti. pag.422.n.968

Unctiones quinque sensuum sunt necessariæ necessitate Sacramenti. Ita communius DD. cum S. Th. q. quia secundum omnes ad valorem Sacramenti debent in forma illius exprimi quinque sensus: ergo in eundem finem adhibendæ sunt unctiones quinque sensuum: 1. quia Ecclesia statuit, ut si fortè Sacerdos ante completas quinque unctiones deficiat per alium perficiantur: ergo signum est singulas esse de essentia. pag.422.423.n.969

Contraria tamen sententia est probabilis; ac proindè usui esse potest in casu Extremæ necessitatis, quo scilicet non posset nisi unica unctio adhiberi ob mortem proximè imminentem. pag.423.424.n 970

Forma

Forma hujus Sacramenti à Florentino & plerisque Ritualibus hæc assignatur: *per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti in nomine Patris &c.* Et ita de aliis sensibus. De essentia tamen hujus formæ non est invocatio SS. Trinitatis: neque de essentia sunt ista verba *sanctam & suam piissimam misericordiam*. Ita communiter. DD. Ibid. n. 973

De essentia formæ hujus Sacramenti est ut sit deprecativa. Ita DD. communiter cum S. Th. Idque colligitur 1. ex verbis Jacobi *orent super eum* 2. quia Florentinum assignat formam deprecativam 3. ex usu Ecclesiæ deprecativam formam adhibentis. pag. 424. n. 974

Varii sunt effectus hujus Sacramenti, quos S. Jacob. ita expressit, *& oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Nomine autem peccatorum intelligi debent peccata propriè dicta, sive quoad culpam: quia id important ista verba in proprio sensu accepta *& si in peccatis sit, dimittentur ei.* Non dicitur tamen Sacramentum mortuorum, sed vivorum; quia supponit vitam animæ prius redditam per Sacramentum Pœnitentiæ: & tantum vitam reddit in istius Sacramenti defectu, & certis quibusdam casibus. pag. 425. 426. 427. n. 977

Omnis & solus homo baptizatus ratione aliquando usus, vi morbi in magno mortis periculo constitutus, est subjectum hujus Sacramenti. Debet autem istud periculum oriri ex infirmitate corporis: juxta illud Jacobi *infirmatur quis vestrum &c.* Undè hoc Sacramentum non est conferendum extremo supplicio afficiendis: neque prælium quantumvis periculosum, inituris. pag. 427. n. 980

Nulla alia dispositio ad hoc Sacramentum in homine justo requiritur, quam intentio seu voluntas saltem interpretativa illud recipiendi. Censetur autem hæc voluntas interpretativa includi in vita Christianè acta. In illis autem qui sibi conscii sunt peccati mortalis prærequiritur confessio, aut contritio si desit copia confessarii. pag. 428. n. 981

Solus Sacerdos potest esse Minister hujus Sacramenti. Est de fide ex Flor. in decr. de Sacrm. Et Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4. & manifestè colligitur ex verbis S. Jacob. *infirmatur quis vestrum &c. inducat Presbyteros &c.* Quamvis autem omnis Sacerdos possit validè conferre hoc Sacramentum: solus tamen Parochus, aut qui ab eo licentiam accepit, potest licitè illud conferre extra necessitatem. pag. 429. n. 983

Parochus tenetur ex justitia hoc Sacramentum subditis suis ministrare, ita ut peccet mortaliter si absque justa causa voluntariè omittat aut negligat hoc Sacramentum illis conferre. Nec eum excusat vitæ periculum etiam magnum, si infirmus nec Pœnitentiæ, nec Eucharistiæ Sacramenta prius receperit: quia tunc potest esse ad salutem necessarium. pag. ibid. n. 985

§. II.

§. II.

De Sacramento Ordinis.

ORdo est verum Sacramentum. Est de fide ex Conc. Chalced. Florent. & Trid. sess. 23 can. 3. Colligiturque ex Apost. 1. ad Timot. cap. 4. & 2. ad eundem cap. 1. hancque veritatem tradunt PP. antiquissimi Dionysius Ignat. Cypr. Ambr. &c. pag. 430. 431. n. 986

Septem sunt Ordines videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum; quorum, inquit Trid. sess. 28. cap. 2. *ab ipso Ecclesiæ initio nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria in usu fuisse cognoscuntur.* pag. 431. 432 n. 988

Tonsura non est Ordo sumendo Ordinem pro sacra ordinatione, dicitur tamen Ordo sumendo Ordinem pro statu clericali. Episcopatus autem comprehenditur nomine Sacerdotii, quod essentialiter includit. pag. 432. n. 990

Ordinatio Sacerdotis est propriè & verè Sacramentum. Est de fide 1. ex Trid. sess. 23. can. 4. 2. ex iis quæ generatim probant Ordinem esse Sacramentum, illa enim maximè verificantur de ordinatione Sacerdotis. Ibid. n 991

Ordinatio Diaconi est etiam Sacramentum 1. quia Act. 6. facta est ab Apostolis per manuum impositionem, adhibita certa oratione, seu forma, ut patet ex his verbis: *& orantes imposuerunt ei manus*: 2 quia apud Latinos hæc forma usurpatur *accipe Spiritum S. &c.* quæ verba manifeste denotant conferri gratiam ex opere operato. pag. 433. n. 993

Apostoli Act. 6. non instituerunt hunc Ordinem, ut objiciunt adversarii, sed supposita Christi institutione, primos Diaconos ordinarunt, occasione quidem ministerii & curæ viduarum, non tamen ad hoc tantum munus; leguntur enim prædicasse disputasse, baptizasse, &c. pag. 434. n. 994

Ordinatio Subdiaconi est etiam Sacramentum: 1. quia Florentinum post assignatas materias & formas Ordinationis Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum, indeterminatè dicit effectum Sacramenti Ordinis esse augmentum gratiæ: 2. ex forma Græcorum, in qua ut in Presbyteratu & Diaconatu dicitur: *divina gratia semper infirma curat &c. promovet talem &c.* ibid. n. 995

Quod autem cap. *à multis de ætate & qualitate præficiendorum*, de subdiaconatu dicitur, quod in primitiva Ecclesia non esset Ordo sacer, non ideò id dicitur, quod tunc non esset Sacramentum; sed quod tunc non haberet votum castitatis sibi annexum. ibid. n. 996

Probabile est minores Ordines esse Sacramentum 1. quia ita communius sentiunt Theologi cum S. Th. 2. quia postquam Florentinum dixit materiam Sacramenti Ordinis esse illud per cujus traditionem confertur Ordo, & exemplificavit in Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, statim subjungit *& similiter de aliis, per rerum ad sua ministeria pertinentium traditionem* 3. quia Trid. sess. 23. cap. 2. docet hos etiam Ordines semper fuisse in usu; ac proinde post singulos Ordines ibidem enumeratos indeterminate cap. 3. pronunciat *per Sacram Ordi-*

Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur gratiam conferri. pag.435.n.999

Gravis est controversia circa essentialem materiam & formam Ordinis Presbyteratus, ob diversitatem rituum qui in Ecclesia Latina & Græca in Presbyterorum ordinatione usurpantur; nam in Latina adhibetur traditio instrumentorum videlicet patenæ cum hostia, & Calicis cum vino, cum hac forma *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo pro vivis & mortuis in nomine Patris &c.* Deinde peragitur Missæ sacrificium, & sic ordinatus una cum Episcopo formam consecrationis pronunciat, & post communionem Episcopus ambas manus super caput ordinati imponit, dicens: *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata remittuntur eis &c.* In Græca autem non traduntur instrumenta, nec pronunciatur prædicta forma *accipe potestatem &c.* sed tantum adhibetur impositio manus dexteræ cum hac forma: *divina gratia quæ semper infirma curat & imperfecta perficit promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum*: ex quo videtur sequi; vel traditionem instrumentorum, & formam ei respondentem non esse de essentia Presbyteratus in Ecclesia Latina: quod dici non potest cum assignentur à Florent. pro materia & forma Presbyteratus. Vel in Ecclesia Græca invalidam esse Presbyterorum ordinationem, cum non adhibeatur ista materia & forma. Vel certe diversam esse essentiam Sacramenti Ordinis in Ecclesia Latina & Græca. pag.436.n.1002

Ad hanc difficultatem solvendam dicendum, Christum neque determinatè pro materia instituisse traditionem instrumentorum, neque impositionem manuum: neque hanc aut illam præcisè formam. Sed tantum generatim requisivisse signum aliquod sensibile circa personam ordinandi, quo significaretur tradita ei potestas consecrandi & absolvendi; relicta Ecclesiæ facultate determinandi in particulari signum, quo id significaretur. Apostolos autem elegisse manuum impositionem cum certa forma tanquam signum utriusque potestatis collatæ: & Ecclesiam Græcam in eum finem retinuisse manuum impositionem, & elegisse prædictam formam *divina gratia quæ semper infirma curat &c.* Ecclesiam verò Latinam impositionem quidem manuum etiam retinuisse pro signo collatæ potestatis ad absolvendum, & formam congruentem elegisse: *accipe Spiritum Sanctum &c.* Pro signo autem potestatis ad consecrandum assumpsisse traditionem instrumentorum, cum prædicta forma *accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* Ex quo tantum sequitur materiam & formam apud Latinos, qua traditur potestas consecrandi esse materialiter diversam ab ea, qua eadem potestas apud Græcos confertur: non tamen formaliter, sive in ratione signi istius potestatis; quandoquidem eadem potestas per utramque materiam, & formam signi ficetur & tradatur. pag.437. & seq.n.1004.& seq.

Dato quod Christus usus fuerit determinata materia, & forma dum Apostolos ordinavit; non sequitur, quod non reliquerit Ecclesiæ determinationem materiæ & formæ in particulari; quia non omnia quibus determinatè usus est, sunt propterea de essentia Sacramenti; ita in consecratione panis determinatè usus est vel azimo, vel fermentato pane: & tamen neuter determinatè necessarius est ad validam consecrationem. pag 440.n.1011

Ideò Concilia antiquiora tantum meminerunt impositionis manuum

nuum in Sacerdotum ordinatione, quia tunc per eam solam Sacerdotium conferebatur, saltem communius. pag.441.n.1012

Ideo autem Florentinum in decr. de Sacram. pro materia hujus Sacramenti assignat tantum traditionem instrumentorum; nulla facta mentione impositionis manuum quia illic attendit tantum ad potestatem consecrandi: ad quam tantum requiritur ista traditio cum forma ei respondente. Cum quo stat quod potestas absolvendi conferatur per impositionem manuum & formam ei respondentem. pag.ibid.n.1014

Greg. 9. cap. *Presbyter de Sacramentis non iterandis*, dicit ordinationem factam sine impositione manuum non debere iterari; sed supplendum esse, quod omissum fuit. Quia scilicet sine hac impositione validè fuit collata potestas consecrandi. Undè tantum supplenda impositio manuum, ut detur etiam potestas absolvendi. pag.442 n.1016

Duæ etiam sunt apud Latinos partiales materiæ & formæ in ordinatione Diaconorum. Prima partialis materia est impositio manuum, cum hac forma: *accipe Spiritum S. &c.* Secunda partialis materia est traditio Libri Evangeliorum, cum hac forma: *accipe potestatem legendi Evangelium &c.* pag.ibid.n.1018

Duæ quoque videntur esse partiales materiæ, & formæ in ordinatione Subdiaconorum. Prima partialis materia est traditio Calicis vacui, & patenæ vacuæ, cum hac forma: *videte cujusmodi ministerium vobis traditur &c.* Secunda partialis materia est traditio Epistolarum, cum hac forma: *accipe Librum Epistolarum &c.* Idem cum proportione dicendum est de materia & forma minorum Ordinum. p.443.n.1019

Difficultas autem quæ petitur ex diverso Ritu Ordinationis Diaconorum & Subdiaconorum in Ecclesia Græca, eodem modo solvenda est, ac difficultas de Presbyteratu. Ibid.

Ordinatio Episcoporum non est tantum extensio quædam Sacerdotii; & ultimum ejus complementum, ut volunt antiquiores Theologi: sed est verum & speciale Sacramentum. Ita communius recentiores 1. quia testimonia ex Apostolo allata, quibus generatim probavimus Ordinem esse Sacramentum, agunt de Ordine Episcopali; 2. quia Episcopus vi suæ ordinationis accipit potestatem munia valdè præstantia: ergo & gratiam ad illa debitè peragenda; 3. quia isti Ordinationi nihil deest ad rationem Sacramenti; cum sit ceremonia sacra sensibilis, collativa gratiæ, ut patet ex ista forma *accipe Spiritum S. &c.* p.443.n.1020

Nec indè sequitur, quod sint plures, quam septem Ordines: quia licet Episcopatus sit Sacramentum distinctum à Sacramento Presbyteratus, non censetur tamen specialis Ordo, eo quod essentialiter involvat Presbyteratum, nec sine illo possit subsistere. pag.444.n.1021

Absolutè loquendo Episcopus jure divino major est simplici Sacerdote, non tantum dignitate, sed etiam Ordinis potestate. Est de fide ex Trid. sess. 23. can. 6. & can. 7. Item ex PP. apud Bellar. dicentibus Episcopos successisse Apostolis: Presbyteros autem 70. disciplis. Illos posse generare Patre per ordinationem Sacerdotum. Hos tantum filios per Baptismum &c. pag.444.445.n.1023

Hieronymus coæquans Presbyteros Episcopis, non est intelligendus de potestate Ordinis, quam majorem in Episcopis agnoscit, dum dicit: *ecquid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non facit etiam Presbyter?* sed de potestate jurisdictionis, quæ potest æque ampla à sum-

à summo Pontifice concedi simplicibus Presbyteris. pag 446. n. 1026.

Certum est impositionem manus supra caput ordinandi in Episcopum, factam saltem ab uno Episcopo esse partialem, ut minimum, materiam ordinationis Episcopalis; & hæc verba *accipe Spiritum S. &c.* partialem formam essentialem: Apostolus enim 1. ad Timot. 4. agens de Ordinatione Episc. ait: *noli negligere gratiam, data est tibi per prophetiam cum impositione manuum*. Et confit. ex eo quod in Ecclesia Græca etiam adhibeatur impositio manus. pag. 447. n. 1029.

Dixi 2. *impositionem manus*, *non manuum*; quia in Rituali Græcorum ponitur manus in singulari. Non potest tamen in Ecclesia Latina omitti impositio utriusque manus: quia, ut minimum, id necessarium est necessitate præcepti. pag. ibid.

Dixi 1. *factam saltem ab uno Episcopo*: quia dubitatur an non de essentia sit ut fiat à tribus Episcopis, affirmantque communius Theologi 1. quia hæc fuit semper praxis utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcę. 2. quia id præscribit Anacletus Epist. 2. & Joannes 3. in Epist. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Videtur tamen verius id non esse de essentia istius Ordinationis, cum hac in re legantur varii Pontifices dispensasse: videanturque Apostoli variis in locis Episcopos consecrasse, absque duorum Episcoporum concursu, ibid. n. 1027. & seqq. p. 447. 448. nu. 1030.

Probabilius videtur quod impositio Libri Evangelii supra scapulas & cervicem ordinandi cum forma ei respondente, non sit de essentia Ordinationis Episcopi. 1. quia hæc ceremonia omittitur apud Græcos 2. quia liber iste supra scapulas ordinandi olim tenebatur à Diaconis; & nunc tenetur ab uno è Capellanis Episcopi; cum tamen applicatio materiæ fieri debeat à Ministro Sacramenti. pag. 448. 1032. n. 1029.

Solus Episcopus est ordinarius Minister cujuslibet ordinationis, ita expresse Florentinum in decr. de Sacram. & quidem respectu Episcopatus & Presbyteratus sic est Minister, ut absolutè nullus præter ipsum possit valide istos Ordines conferre. Alios autem Ordines potest etiam simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis ministrare. pag. 448. 449. n. 1033.

Nullus Episcopus potest licitè ordinare alios, quam subditos suos, aut habentes dimissorias: aut speciale ad id priuilegium Tribus autem modis fit aliquis subditus Episcopi 1. ratione nativitatis 2. ratione domicilii 3. ratione Ecclesiastici beneficii. pag. 449. 450. n. 1035. & seq.

Omnis & solus masculus baptizatus est subjectum capax Ordinationis: nec ad ejus valorem requiritur certa ætas, aut scientia: secus, ut licitè fiat. Ordinatus sine dispensatione ante prescriptam ætatem incurrit suspensionem ab usu Ordinis recepti. pag 450. 451. n. 1038.

Ad licitam ordinationem requiritur etiam in sæcularibus titulus sustentationis. Vide de hac re Trid. sess. 21. cap. 2. de reform. Si quis autem adferat falsum titulum, aut obliget se ad titulum restituendum, aut nihil ex eo accipiendum, peccat mortaliter, & incurrit suspensionem. Uti & ille qui per saltus ad sacros Ordines promovetur. pag. 451. n. 1039

§. III.

De Sponsalibus.

Sponsalia sunt mutua promissio futurarum nuptiarum. Dicitur 1. *mutua*: quia cum hic contractus sit onerosus includit mutuam obligationem. Dicitur 2. *promissio*: quia ad sponsalia non sufficit simplex propositum. pag.451.452.n.1041

Sponsalia contracta ex gravi metu, vel sunt invalida vel possunt rescindi. Invalida etiam sunt si promissio fuerit ficta. Peccat tamen graviter qui sic promittit, obligaturque ad compensandum damnum, quod inde evenerit. ibid.n.1043

Soli illi possunt validè sponsalia contrahere, qui aliquando possunt matrimonium valide & licitè inter se inire: quia nemo potest se obligare ad rem impossibilem, aut illicitam. pag.453.n.1045

Primus & præcipuus sponsalium effectus est gravis obligatio contrahendi matrimonium tempore per contrahentes constituto: aut si nullum tempus per eos aut consuetudinem determinatum sit, parte altera opportune id exigente. Ibid.n.1047

Alter sponsaliū effectus est jus quoddam inchoatum, quod habet sponsus in Corpus sponsæ, & contra: ita ut si sponsus fornicetur cum alia, aut sponsa cum alio, non solum peccet contra castitatem, sed etiam contra justitiam. Quæ malitia injustitiæ superaddita fornicationi communius censetur mortalis respectu sponsæ, eo quod ipsa per eam multò deterior & vilior efficiatur. Respectu autem sponsi venialis, ob contrariam rationem. pag.454.n.1048

Sponsalia dissolvuntur 1. mutuo sponsi & sponsæ consensu 2. per matrimonium cum altera persona contractum: non tamen per alia sponsalia etiam jurata 3. per professionem Religiosam, aut vota substantialia in Religione approbata, aut susceptionem Ordinis sacri. An etiam per solum ingressum in Religionem, non convenit inter authores. Probabilius videtur partem in sæculo remanentem posse, si velit, resilire; quia ingrediens Religionem videtur hoc ipso renunciasse sponsalibus. Ingressum autem remanere ex parte sua obligatum casu quo egrediatur. Non posse autem sponsum ingredi Religionem, nisi resarciendo sponsæ damna, si quæ ab eo passa sit. pag.454.455.n.1050

Variis adhuc modis solvuntur sponsalia. Videlicet 1. per quodcumque superveniens impedimentum matrimoniali 2. per notabilem moram culpabilem sponsi vel sponsæ in contrahendo matrimonio: qui enim est in tali mora censetur alteri obligationem remittere, quamvis ipse ex parte sua adhuc teneatur 3. per discessum unius in terram longinquam absque consensu alterius. Qui tamen sic discessit non liberatur ex parte sua 4. per fornicationem sponsæ vel sponsi 5. per quamcumque mutationem notabilem sponsalibus supervenientem quæ si sponsalia præcesserit, sponsalibns obstitisset. pag.456.457.n.1054.& seq.

§. IV.

De Matrimonio.

MAtrimonium secundum se sumptum abstrahendo ab eo quod sit Sacramentum recte definitur *viri & mulieris maritalis coniunctio individuam consuetudinem retinens*: Si ly *coniunctio* sumatur pro conjunctione in facto esse & post matrimonii contractum perseverante, convenit matrimonio sumpto pro statu permanenti Si . verò accipiatur pro conjunctione in fieri convenit matrimonio accepto pro ipso contractu matrimonii. pag.457.n.1057

Dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum dicitur quod præcise inter personas non impeditas legitimo consensu contrahitur. Ratum verò, quod etiam signatum est Sacramento fidei. Consummatum denique, quod per copulam carnalem completum est. pag.458.n.1058

De fide est Matrimonium ejusque usum honestum esse ac licitum; 1. ex Scriptura Matt.19. v.6. & 1. ad Timot.4 v. 3. ubi Apostolus prædicit futuros aliquando hæreticos *prohibentes nubere* 2. ex variis Conciliis & communi totius Ecclesiæ consensu. pag.ibid.n.1060

Initio mundi, & statim à diluvio fuit præceptum naturale de ineundo matrimonio ad propagandum genus humanum: quo sufficienter multiplicato desiit hoc præceptum. Imo in nova Christi lege melius & laudabilius est abstinere à matrimonio, quam illud inire, nisi aliquid specialiter obstet. Est de fide ex Apost. 1. ad Cor. 7. virginitatem suadente eamque expressis verbis matrimonio præferente. p.459.n.1061

De fide etiam est licitum esse tam viro, quam feminæ comparte mortua transire ad secundas, tertias, quartas & ulteriores etiam nuptias. Tum ex Apostolo ad Rom. 7. & 1. ad Cor. 7. Tum ex Conc. Nicæno, Florent. & aliis. Ac denique ex praxi Ecclesiæ id permittentis. pag. 459.460.n.1062

Illicita est in lege Evangelica polygamia, sive pluralitas uxorum. Est de fide ex Trid. sess. 24. cap. 2. Deduciturque ex Matt. 19. si enim, ut Christus illic asserit, mœchatur, qui priore retenta alteram adjungit. pag.460.n.1065

Illicita etiam fuit polygamia in lege naturæ ab ipso initio mundi jure saltem divino positivo: ut patet ex prima matrimonii celebratione Gen. 1. ubi Deus primo homini unicam dedit uxorem, dixitque ut vir adhæreret uxori, non uxoribus, essentque duo in carne una, non plures. pag.ibid.n.1066

Illicita quoque est jure naturæ polygamia; Ita communiter Theologi 1. quia licet pluralitas uxorum non impediat primarium finem matrimonii, videlicet prolis generationem, cum vir unus possit plures uxores fœcundare: impedit tamen communiter finem secundarium, videlicet convenientem prolis educationem, & pacem domesticam, 2. quia æqualitas contractus videtur exigere, ut sicut uxor tradit viro dominium totius corporis sui: ita vir suum tradat totaliter uxori. pag.461.n.1067

Nec obstat quod in antiqua lege Sanctissimi Patriarchæ leguntur habuisse simul plures uxores: id enim factum est ex speciali Dei dispensatione, qui potest saltem indirectè dispensare in jure naturæ, tribuendo ius aliquod, ex cujus defectu aliquid erat jure naturæ illicitum. Ita quamvis homicidium & furtum sint jure naturæ illicita; potest tamen Deus utrumque licitum reddere dando alicui jus in vitam & bona alterius, Sic ergo potuit polygamiam lege naturæ illicitam, reddere Patriarchis licitam dividendo jus in plures uxores, quod ex natura rei uxor una habet totaliter in corpus mariti. pag. 462 463. n. 1068.

Matrimonium ut est Sacramentum; rectè definitur signum sensibile gratiæ sanctificantis, quo vir & mulier consensu perpetuo conjunguntur. Quod sit propriè Sacramentum fide certum est. 1. ex Flor. in decr. de Sacram. recensente matrimonium inter septem legis novæ Sacramenta. Et ex Trid. sess. 24. can. 1. dicente anathema contrarium efferentibus 2. ex communi consensu Ecclesiæ. 3. ex PP. Ambr. Chrys. Aug. & aliis apud Bellar. pag. 463. n. 1072.

Institutum autem fuit hoc Sacramentum à Christo, vel in Cana Galilileæ dum præsentia sua nuptias honoravit Ioan. 2. Vel dum indissolubilitatem matrimonii stabilavit Matt. 19. Vel denique post Resurrectionem. pag. 454 n. 1074.

Forma hujus Sacramenti sunt verba consensum exprimentia. Materia autem sunt corpora contrahentium. Non enim est alia forma & materia matrimonii ut est Sacramentum, quam sit, ut est contractus, eo quod Christus contractum matrimonii, nulla facta mutatione, elevaverit ad esse Sacramenti. Nec obstat quod corpora contrahentium sint tantum materia circa quam versatur matrimonii contractus; in Sacramentis autem debeat assignari materia ex qua componantur: quia hoc speciale est huic Sacramento, quod cum sit ipsemet matrimonii contractus à Christo elevatus ad esse sacramenti, sicut contractus ille habet tantum materiam circa quam; ita & hoc Sacramentum. p. 464. 465. n. 1076

Matrimonium baptizatorum semper est Sacramentum, quando saltem confusè illud intendunt. Ita DD. communiter. Ratio est quod Christus non instituerit specialem aliquem ritum pro Sacramento, sed ipsum matrimonii contractum in baptizatis elevaverit ad esse Sacramenti: ergo non potest valere in ratione contractus; nisi etiam valeat in ratione Sacramenti, si non desit intentio saltem confusa. pag. 465. n. 1078.

Explicatur multiplex difficultas obstans rationi Sacramenti in matrimonio per procuratorem inito. Ut 1. quod indè sequeretur sponsum dormientem posse hoc Sacramentum ministrare. 2. actionem sacramentalem per alium exercendam quam per ministrum. 3. Sacramentum conferri absenti. 4. gratiam Sacramenti recipiendam ab eo, qui nihil cogitaret de Sacramento. Dicendum in istis sequelis nihil esse absurdi, & hæc omnia specialiter accidere in hoc Sacramento ex eo quod Christus omnem validum Matrimonii contractum elevaverit ad esse Sacramenti. pag. 4657. 466. n. 10.9.

Dixi *si adsit saltem intentio Sacramenti*. Probabilius enim videtur posse matrimonium esse validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti, si nullo modo intendatur Sacramentum, aut contrarium inten-

intendatur; quia generaliter adesse Sacramenti requiritur aliqua intentio: sicut ergo alia Sacramenta possunt esse invalida defectu intentionis; ita & hoc sacramentum. pag.466. n.1081.

Cum matrimonii contractus sit tantum per accidens connexus cum sacramento, & de facto ab eo separetur in non baptizatis, potest unum intendi sine alio. Certè non apparet quomodo dici possit virtualiter & implicitè intendi matrimonium in ratione sacramenti ab iis, qui in infantia post Baptismum ab infidelibus adducti, nulla cognitione habita de Ecclesia & sacramentis ejus, postea ineunt matrimonium. pag.467.

Quando clandestinum matrimonium erat validum, solebant illud contrahentes, sacramentum intendere, saltem confuse, quia intendebant jungi matrimonio, sicut junguntur alii fideles Quod si nullo modo sacramentum intendissent, nec matrimonium illorum fuisset sacramentum. Ibid. n.1084.

Qui post matrimonium initum baptizantur, & matrimonium suum ratificant coram Parocho & testibus, verius videtur istam ratificationem esse sacramentum. Item matrimonium ob gravem causam cum dispensatione contractum inter baptizatum, & non baptizatum, vel contra esse sacramentum ex parte baptizati, quia dici potest quod Christus unum & indivisibilem matrimonii contractum elevaverit ad esse duo sacramenta partialia, quorum unum possit subsistere sine altero. Idem dic si unus contrahentium intendat matrimonium, altero non intendente. pag.468. n.1085. & seq.

Minister hujus sacramenti non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. Ita cum S. Th. Theologi communiter. Idque colligitur 1. ex Flor. in decr. de Sacram. ubi dicit *causam efficientem matrimonii regulariter esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum*. Atqui contrahentes ponunt consensum & illo mediante efficiunt matrimonium ergo & sacramentum, quod non distinguitur ab ipso contractu elevato ad esse sacramentale Colligitur 2. efficaciter ex Trid. sess.24. can. definiente absque ulla exceptione matrimonium Christianorum esse sacramentum: debuisset enim excipere matrimonium clandestinum, Si Minister hujus sacramenti esset Parochus, Et cap.1. de refor. docet *clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta fuisse rata & vera matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*. Atqui matrimonia dicuntur rata ratione sacramenti, ut declaratur c. *quanto de divortiis* ergo &c. pag.468.469. n.1088.

Evaristus scribens ad Episcopos Africanos conjugia aliter præsumpta quam cum benedictione sacerdotali non esse conjugia, sed adulteria, dicendus est loqui secundum præsumptionem fori externi reputantis matrimonium illud esse invalidum, quod probari non potest. Vel certe dicendum tunc etiam fuisse irrita matrimonia clandestina, ut probat Pont. pag.470. n.1091.

Ex eo quod Alexander cap. *cum in Ecclesia de simonia* dicat horribile esse quod pro benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid accipiatur. Et Martinus in fine Concilii Constant, numeret inter sacramenta solemnitatem seu benedictionẽ matrimonii, nõ sequitur quod ista benedictio facta à Parocho sit sacramentum proprie & strictè dictũ: sed tantum quod sit aliquid sacramentale seu sacrum: quo sensu idem Alex. ib. inter sacramenta numerat exequias mortuorum. p.ib.

Eodem modo explicanda sunt varia Concilia, dum benedictionem nuptiarum vocant aut supponunt esse Sacramentum: videlicet hanc denominationem isti benedictioni tribuere in latiori significatione. p.471. Dum Concilium Coloniense habitum anno 1536. p.7. c.40. dicit matrimonium accedente benedictione sacerdotali conferre gratiam, non vult in ista benedictione consistere rationem hujus Sacramenti: sed id dicit, quia cum ista benedictio sit præcepta, non potest gratiam recipere, qui illam culpabiliter omittit. Cap. autem ultimo vocat Sacerdotes ministros hujus Sacramenti, sumendo Sacramentum in latiori significatione, pro ipsa benedictione nuptiarum. Eodem modo explicanda est Synodus Cam. habita anno 1567. dum ait Parochos esse Ministros hujus Sacramenti. pag.472.n.1097

Quod in hoc Sacramento idem sit Minister Sacramenti, & recipiens Sacramentum; inde oritur, quod hoc Sacramentum consistat in ipso conjugum contractu à Christo elevato ad esse sacramentale: iidem autem necessario sunt, qui ineunt contractum, & ex contractu obligantur. pag.472.473.n.1099

Quamvis contrahentes nesciant se esse Ministros, nihilominus sufficienter intendunt Sacramentum per hoc, quod intendant contrahere matrimonium eo modo, quo contrahitur in Ecclesia Christi. p.473.

§. V.

De consensu ad Matrimonium requisito & præsentia Parochi ac testium.

Mutuus contrahentium consensus necessarius est ad valorem matrimonii. Ratio est quod matrimonium consistat in contractu: de essentia autem contractus sit mutuus consensus. Porrò consensus ille debet esse verus & non fictus: 2. plene deliberatus: 3 signis exterioribus expressus, quia debet ab altero acceptari: 4 liber à coactione seu metu gravi. pag.474.n.1103. & seq.

Sufficit consensus conditionatus, si conditio sit de præsenti vel præterito, eaque substat. Si autem sit de futuro contingenti suspenditur valor matrimonii usque ad eventum conditionis, quem tenentur contrahentes expectare: Adveniente autem conditione probabilius videtur, quod matrimonium reddatur validum absque novo consensu. In praxi tamen ad majorem securitatem curandum est ut renovetur. pag.475. n.1105. & seq.

Si conditio adjecta repugnet naturæ aut fini matrimonii, irritum est matrimonium ex cap. *si conditiones de conditionibus adjectis*. Si autem non repugnet, sed sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adjecta cap. eod. id tamen intelligendum est secundum præsumptionem fori externi: alioqui enim si quis intendisset nullo modo contrahere nisi subsistente tali conditione, non esset matrimonium. pag.ibid.n.1107

Non est necessarium ut consensus requisitus feratur in actum conjugalem. Nec refert quod generatio prolis sit finis matrimonii. Est enim tantum illius finis; supposito quod conjuges velint uti matrimonio, quem

quem usum possunt impedire mutuo consensu de continentia in matrimonio servanda. pag.476.477.n.1108.& seqq.

Matrimonia clandestina, spectato solo jure naturæ sunt valida: quia ad valorem matrimonii ex natura rei sufficit mutuus liber consensus. Fuerunt tamen semper ab Ecclesia graviter prohibita: & jure novo Trid. sess. 24. cap. 1. de reformatione reddita sunt invalida, ubi ius illuc receptum est. Censetur autem clandestinum si desit præsentia Parochi & duorum aut trium testium pag.478.479.n.113.& seq.

Præsentia Parochi & testium debet esse moralis, hoc est talis ut advertant ad id quod agitur, ac de eo testari possint. Non est tamen necessarium ut sit Parocho & testibus voluntaria: & sufficit præsentia Parochi alterutrius coniugum. pag.479 480.n.1117

Habens domicilium in loco ubi Tridentinum, non est receptum non potest valide contrahere in loco ubi receptum est. Et contra habens domicilium in loco ubi receptum est, valide contrahit in loco ubi non est receptum. Ratio est quod contractus fiant iuxta leges locorum in quibus celebrantur. pag.481.n.1122

In locis autem in quibus Tridentinum fuit promulgatum, sed modo subiacent hæreticis Tridentinum non recipientibus, nihilominus requiritur præsentia Parochi ad valorem matrimonii inter Catholicos initi, si Parochus possit haberi. Si autem non possit haberi, vel quia nullus est, vel quia latet &c. Valet matrimonium si adhibeantur testes. Ita responsum est à S. Congreg. Trid. Interp. pag ibid.n.1123

§. VI.

De Matrimonii indissolubilitate.

MAtrimonium, saltem consummatum divino & naturali iure indissolubile est. Quod divino, patet ex illis Christi verbis Matt. 19. *quod Deus coniunxit, homo non separet*. Quod etiam naturali, colligitur ex eo quod matrimonium saltem consummatum, ex natura sua ordinetur ad convenientem prolis generationem, & educationem, quæ non potest stare cum matrimonii dissolubilitate. p.482.n.1124.& seq.

Probabilius videtur in lege Mosaica matrimonium ex speciali permissione Judæis facta dissolvi potuisse per libellum repudii. Ita communius DD. Alioqui enim facultas facta viro Deut. 24. ad uxorem dimittendam si ei displiceat, & libertas ibid. concessa repudiatæ nubendi alteri, fuisset perniciosa: Induxisset enim repudiatas in adulteria; quamvis enim tunc licitum fuerit viro habere simul plures uxores: non licuit tamen feminæ habere plures simul maritos: ac proinde si per libellum repudii non fuisset solutum matrimonium non potuisset repudiata sine adulterio alteri viro nubere. pag 483.n.1126

Cum Christus Matt. 19. dicit libellum repudii fuisse permissum Judæis *ob duritiem cordis eorum*, tantum vult istam duritiem dedisse occasionem isti permissioni. Eam autem revocat, quia ex mala causa orta fuerat: nec decebat eam continuari in lege gratiæ. p.483.n.1127

Cum Deut. 24. dicitur mulier repudiata nubens viro alteri, *polluta & abo-*

& abominabilis facta est coram Deo, id intelligendum est de pollutione & abominatione legali. ibid. n. 1128.

Nec obstat quod indissolubilitas matrimonii sit juris naturalis quia potest Deus efficere ut quod est juris naturalis nō sit amplius tale, ita juris naturæ est ne quis capiat rem alienam dando tamen alicui dominium in rem alienam efficit ut id non sit amplius contra jus naturæ. pag. 484. num. 1129.

Si unus conjugum infidelium ad fidem convertatur; nolitque alter cohabitare absque injuria Creatoris, potest fidelis relicto infideli, aliud matrimonium inire cum fideli. Ita expresse statuitur cap. *quanto de divortiis*. Colligitur ex Apost. 1. ad Cor. 7. Quod si infidelis paratus sit cohabitare nulla contumelia afficiendo aut Christum, aut fidem Christianam; probabilius videtur non posse tunc matrimonium dissolvi: & quia tunc cessat ratio dissolutionis, & dissolutio verteretur in odium fidei Christianæ. pag. 484. 485. n. 1131.

Matrimonium Baptizatorum consummatum nullo casu dissolvi potest quoad vinculum. Est de fide ex Flor. in dec. de Sacram. Et Trid. sess. 24. can. 7. & perpetua praxi Ecclesiæ. Dixi quoad vinculum: quia quoad thorum & cohabitationem solvi potest per divortium. pag. 485. n 1132.

In hac Christi sententia Matt. 19. *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ab fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, ly mœchatur non debet referri conjunctim ad utramque propositionis partem, sed divisim hoc sensu: quicumque dimiserit uxorem suam, videlicet quoad thorum, nisi ob fornicationem, mœchatur: Et qui aliam duxerit quacumque ex causa, mœchatur: primo quidem casu mœchia aliena, in quantum dat uxori occasionem mœchandi juxta illud Christi Matt. 22. *qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa facit eam mœchari*. Secundo autem casu mœchia propria, quia cum aliena conjungitur. Ibid n. 1133

Matrimonium baptizatorum ratum, seu non consummatum dissolvitur per solemnem professionem in Religione approbata. Est de fide ex Trid. sess. 24. can. 6. Idem antea decretum fuerat ab Alex. 3. cap. *verum* & cap. *ex publico de conversione conjugatorum*.

Habet autem Religiosa professio vim solvendi matrimonium ratum, non jure naturali, nec divino, sed Ecclesiastico: alioqui enim idem præstarent simpliciam vota Societatis Jesu cum vere & proprie constituant Religiosum. pag. 487. n. 1136.

Potest Pontifex aliis etiam de causis matrimonium ratum non consummatum solvere. Sequitur ex præcedenti conclusione: & confirmatur ex facto plurium Pontificum qui tale matrimonium aliquando solverunt. Nec obstat illud Christi, *quod Deus conjunxit homo separet*: quia non facit illud ut homo sed ut Christi vicarius. ibid. n. 1137.

Divortium est separatio conjugum quoad thorum & habitationem manente vinculo conjugii. Licitum est ob conjugis sive viri, sive feminę adulterium. Non sufficit tamen suspicio, aut etiam probabilitas adulterii, sed requiritur moralis aliqua certitudo. p. 488. 489. n. 1139. & seqq.

Non tantum ob adulterium, sed etiam alias ob causas v. g. ob compartis sævitiam, furorem, lepram, aut alium morbum contagiosum, apostasiam à fide &c. licet facere divortium. Non potest tamen id fieri privata autho-

authoritate, sed opus est authoritate legitimi judicis. Vide cap. *finale de conversione conjugatorum.* Et cap. *illa de divortiis.* p. 489. n. 1144.

Possunt etiam conjuges mutuo consensu separare se, non tantum quoad thorum, quod certum est; sed etiam quoad habitationem. Ad hoc tamen postremum opus est Ordinarii consensu. Ibid. n. 1145.

Per se loquendo tenetur conjux conjugi debitum reddere. Patet ex Apost. 1. ad Cor. 7. *uxori vir debitum reddat: similiter & uxor viro.* Et hæc obligatio est sub mortali; cum sit justitiæ & in re gravi. Nulla tamen est obligatio, per se loquendo, debitum petendi. Potest tamen esse per accidens: ut si sit periculum incontinentiæ: si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum &c. pag. 490. n. 1147. & seq.

Qui moraliter certus est de nullitate matrimonii sui, nec potest debitum petere, nec reddere, ut certum est. Qui autem contraxit cum dubio de valore matrimonii, manente dubio non potest debitum petere; tenetur tamen reddere comparti quæ bona fide contraxit. Cap. *Dominus de secundis nuptiis.* Quod si uterque cum tali dubio contraxerit, neuter potest petere aut reddere quia manente tali dubio exponerent se periculo peccandi. Ibid. n. 1149.

Qui post matrimonium bona fide contractum incipit dubitare de ejus valore, tenetur ad diligentem veritatis inquisitionem, & durante dubio non potest debitum petere: tenetur tamen reddere ob periculum faciendi contra jus alterius. pag. 491. n. 1150

Qui cognovit consanguineam uxoris suæ in primo aut secundo gradu non potest debitum petere ob novam affinitatem contractam. Potest tamen, & debet reddere. Idem dic de conjuge obstricto castitatis voto, donec à voto suo liberetur. Qui autem contraxit matrimonium obstrictus voto Religionis, aut Ordinis sacri, graviter quidem peccavit sic contrahendo, & matrimonium consummando; sed post consummationem potest petere & reddere debitum. Ita communiter DD. ibid. n. 1151.

Illicitum est accedere ad uxorem gravidam cum periculo aborsus. Quod si absit istud periculum, non videtur accessus ille illicitus, præsertim si adsit periculum incontinentiæ, Ita etiam DD. communiter. pag. 492. n. 1154.

Variatio situs aut modi naturalis in actu conjugali non est mortalis ut communius sentiunt DD. modo servetur vas debitum, nec sit periculum effundendi semen extra illud, aut impediendi generationem. Est tamen veniale sic debitum petere aut reddere: uti & actum conjugalem exercere solius voluptatis causa. Ibid. n. 1156. & seqq.

§. VII.
De impedimentis Matrimonii.

IMpedimenta matrimonii alia sunt dirimentia, alia impedientia tantum. Quæ tantum impediunt ne fiat licitè hoc versu comprehenduntur: *tempora, mandatum, votum sponsalia, crimen.* Primum igitur impedimentum reddens matrimonium illicitum est tempus, quod dicitur clausum ab Adventu usque ad Epiphaniam inclusivè. Et à Feria 4. cinerum usque ad Dominicam in albis etiam inclusivè. Quo tempore Trid. sess. 24. cap. 10. prohibet solemnes nuptias. pag. 492. num. 1158.

Secundum est mandatum seu prohibitio matrimonii ab Episcopo vel

vel Parocho facta. Tertium est votum simplex castitatis in sæculo servandæ: aut votum ingrediendi Religionem aut sacros Ordines recipiendi. Quartum sponsalia validè contracta cum altera. Quintum est crimen quo nomine continentur multa delicta, ob quæ pœnitentiæ loco per antiquos Canones decernitur abstinentia à matrimonio quod jam per non usum abrogatum est. pag 493. n. 1158

Quindecim sunt impedimenta matrimonium dirimentia his versibus comprehensa. *Error, conditio, votum, cognatio, crimen. Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen honestas, Amentes affinis, si clandestinus, & impos, Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.* ibid. eod. num.

Itaque primum impedimentum dirimens jure naturæ est error circa substantiam personæ: ut si putans ducere Caiam, ducat Titiam Error autem circa qualitatem non dirimit. Secundum est conditio servilis ignorata, si pars altera sit libera: ex cap. *finali* de conjugio servorum. Ibid. n. 1160 & seqq.

Tertium est votum solemne castitatis in Religione approbata aut sacris ordinibus annexum, & etiam votum simplex quod in Societate Jesu absoluto tyrocinio emittitur ex Bulla Greg. 13. quæ incipit *ascendente Domino*. pag. 494. n. 1162

Quartum, est cognatio, quæ triplex est: naturalis, spiritualis & legalis: Naturalis seu consanguinitas in linea recta dirimit matrimonium in quocumque gradu: in transversa seu collaterali usque ad quartum gradum inclusivè. In linea recta tot sunt gradus, quot numerantur personæ, non numerata persona à qua initum ducitur. Hinc pater & filius contingunt se in primo; avus & nepos in secundo; & ita deinceps. In collaturali autem personæ æqualiter distantes à communi stipite seu principio tot gradibus ab invicem distant, quot recedunt à communi stipite. Hinc fratres & sorores sunt in primo gradu consobrini in secundo gradu & ita deinceps. Quod si inæqualis sit distantia, censetur in illo gradu à se invicem distare, quo remotior recedit à communi principio. ibid. n. 1163

Cognatio spiritualis est propinquitas orta ex Baptismo vel Confirmatione quæ post Trid. sess. 24. de reform. Matr. cap. 2. tantum contrahitur inter patrinos ex una parte, & baptizatum aut confirmatum, & illius patrem ac matrem ex altera. item inter baptizantem, vel confirmantem, & baptizatum aut confirmatum, baptizatique aut confirmati patrem ac matrem. ibid. eod. num.

Cognatio legalis est propinquitas orta ex adoptione perfecta, qua scilicet Principis aut Reipublicæ consensu aliquis adoptatur in filium hæc propinquitas dirimit matrimonium inter adoptantem & adoptatum, ac adoptati filios ac nepotes. Item inter adoptatum & proles naturales ac uxorem adoptantis. pag. 495. 496. Ibid. eod. num.

Quintum impedimentum dirimens est crimen. Duo autem sunt crimina distincta à raptu quæ matrimonium dirimunt. Primum est homicidium: quo ex duorum conspiratione alterius conjux occiditur, ut postmodum matrimonium inter se contrahant. Vel quo post admissum adulterium vir aut femina sine prævia conspiratione alterius conjugem interficit intentione contrahendi matrimonium cum parte superstite. Alterum est adulterium sic commissum, ut adulteri, quantum in se est,

vel

vel matrimonium ineant viva comparte : vel saltem fidem sibi præstent de matrimonio inter se mortua comparte ineundo. Ibid.n.1168

Sextum est disparitas cultus seu Religionis ; quæ dirimit matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, & contra: idque probabilius jure tantum Ecclesiastico : cum in eo possint summi Pontifices dispensare: & reipsa Paulus 5. anno 1615 concessit ad decennium Episcopo Funaniensi in Japonia & Superioribus Societatis in Regno Chinensi facultatem dispensandi in hoc impedimento. pag.497.n.1169

Matrimonium fidelis baptizati cum hæretico baptizato validum quidem est, cum nullo jure irritetur ; illicitum tamen est seclusa Pontificis dispensatione vel expressa, vel tacita : qualis videtur esse in variis Germaniæ urbibus: in quibus hæretici pacifice vivunt permixti Catholicis. Ibid.n 1170

Septimum impedimentum est vis seu coactio impediens libertatem Octavum, Ordo sacer ob solemne votum castitatis ei annexum. Nonum ligamen seu vinculum prioris vinculi adhuc perseverantis. Decimum, honestas orta ex sponsalibus quæ est velut quædam affinitas jure Canonico introducta inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & contra. Item ex matrimonio rato non consummato inter maritum & consanguineos uxoris ; & contra. Ortum ex sponsalibus tantum dirimit in primo gradu juxta jus novum Tridentini sess. 24. cap. 3. cum antea dirimeret usque ad quartum inclusivè cap. *iuvenis*, *de sponsalibus* Quod autem oritur ex matrimonio rato non consummato dirimit usque ad quartum gradum inclusivè. pag.497.498.n.1171

Undecimum est amentia seu carentia usus rationis matrimonium dirimens ex quocumque capite proveniat. Idque jure naturæ ob defectum liberi consensus. Si tamen amentia sit cum lucidis intervallis, validum est matrimonium in illis intervallis contractum. p.498.n.1174

Duodecimum est affinitas seu propinquitas personarum orta ex copula carnali sive licita, sive illicita. Quæ provenit ex licita seu conjugali dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Quæ autem provenit ex illicita jure novo Trid. 24. cap. 4. solum dirimit usque ad secundum inclusivè. Affinitas non parit affinitatem: undè & possunt duæ sorores matrimonium contrahere cum duobus fratribus. Et filia uxoris ex alio matrimonio, cum filio mariti ex alio pariter conjugio &c. pag 499 n.1176

Decimum tertium est impotentia ad copulam carnalem : quæ : quæ si sit perpetua & conjugium antecedat, undecumque oriatur, matrimonium dirimit jure naturæ. Secus si non antecedat sed superveniat matrimonio. Si autem dubitetur an impotentia sit perpetua, an temporalis, datur a jure triennium ad experientiam bona fide faciendam. Quo elapso, si adhuc duret censetur perpetua. ibid.n.1177

Decimum quartum est raptus seu violenta feminæ renitentis abductio: quæ iure novo Tridentini sess. 24. cap 6. dirimit matrimonium inter raptorem & raptam, etiam post raptum consentientem, quamdiu manet in potestate raptoris. Quod si à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta consentiant, validum erit matrimonium. Raptor tamen, & auxilium ei præbentes subiacent excommunicationi, & aliis pœnis de quibus Trid. loco cit. pag.500.n.1178

In impedimentis iure naturali dirimentibus, qualis sunt error circa per-

personam: ligamen prioris conjugii: amentia: impotentia ad copulam &c. non potest Papa dispensare. In iis autem impedimentis, quæ solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimunt; potest dispensare, non tamen licitè absque justa causa. Et in isto casu censenda est invalida dispensatio, utpotè subreptitia: cum non sit præsumendum voluisse Pontificem facere, quod ei non licet. pag.500. 501. n.110. & seq.

Inter legitimas dispensandi causas passim ab authoribus numerantur. 1. extinctio magnæ litis, pax consanguineorum, evitatio scandali, conservatio illustris familiæ &c. pag.501. n.1183.

Ob gravem causam potest Episcopus ex tacita Pontificis licentia post contractum matrimonium dispensare in prædictis impedimentis, si adsint sequentes conditiones. 1. si impedimentum sit occultum, matrimonium autem publicum, 2. si denunciationes aliæque solemnitates non fuerint culpabiliter omissæ. 3. si bona fide initum fuerit matrimonium, 4. si separatio non possit fieri absque scandalo &c. pag. 502. n.1184.

Qui habet duo impedimenta debet utrumque explicare in petitione dispensationis, licet forent eiusdem rationis: sicut enim contracto uno non contrahitur alterum; ita sublato uno non ideò aufertur alterum, pag 503. n.1186.

Si causa non finalis ob quam datur dispensatio sit falsa, nulla est dispensatio: secus si tantum sit impulsiva. Ibid. n.1187.

Si in petitione dispensationis aliquid omittatur quod jus jubet exprimi, invalida est dispensatio, Ibid. n.1188.

Si omnibus attentis dispensatio appareat dubia, sicut non adsint sufficientes rationes ad formandum prudens judicium quod sit valida, illicitus erit usus istius dispensationis, ibid. n.1190.

Si matrimonium fuerit nullum ob defectum dispensationis, ad illud revalidandum necesse est ut obtineatur dispensatio; & uterque novum consensum præstet. 504. n.1191

Si matrimonium fuerit nullum defectu interni consensus ex parte utriusque Debet uterque novum consensum ponere Quod si fuerit nullum defectu consensus unius tantum, videtur sufficere, si ipse consensum ponat, quia ut supponitur alterius consensus remanet habitualiter. pag.505. n.1195.

Si nullitas matrimonii undecumque orta fuerit notoria, aut periculum sit ne innotescat, ut fiat validum non sufficit quod consensus clandestine renouetur, sed debet id fieri in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus. pag.505. 506. n.1195.

FINIS.